TABVLÆ

ANALYTICÆ,

QVIBVS EXEMPLAR ILLVD SANORVM SERMONVM DE FIDE, CHARITATE, ET PATIENTIA,

quod olim Prophetæ, Euangelistæ, Apostoli literis memoriæque mandauerunt, fideliter declaratur.

AVTHORE

STEPHANO SZEGEDINO PANNONIO.

De operis huius, nunquam anteà editi ratione & vsu longè maximo, ad ampliss. Senatum *Schaphusianum* Epistola Dedicatoria.

Authores tam veteris quàm noui Testamenti, his Tabulis illustratos, septima pagella continet.



LONDINI

Excusum in ædibus Richardi Fieldi, impensis Guilielmi Nortoni.

159[illegible]



AMPLISSIMIS
VIRIS NOBILITATE, PRVDENTIA, ET SINGVLARI virtute præstantissimis,

D. IOANNI IACOBO ZIEGLERO,
D. IOANNI CONRADO METERO, I. V. Doctori,
Reipublicæ SCHAPHVSIANAE Consulibus, cæterisque SENATORIBVS Dominis suis perpetua obseruantia colendis,
Salutem.



TABVLAS hasce qui scripsit, mundo iam dudum ita innotuit: vt vel hinc solùm debeant esse omnibus pijs commendatæ. Sunt tamen & aliæ: quibus laus illarum facilè augetur. Huius generis labor non probatur omnibus: tum alias ob causas: tum verò ob λεπτολογίαν in primis: quam eiusmodi schematistæ plerunque solent committere. Diuisionibus non sunt contenti primis atque secundis: etiam ad tertias, ad quartas, ad quintas, ad sextas transuolant: & nescio ad quotas vsque. Vnde plus sæpe tædij in legentium animis oboritur: quam percipiatur commodi. Quanquam id ita fieri interdum sit necesse: præsertim vbi certa certarum rerum sunt genera: genera inquam summa: genera intermedia: & genera proxima, suis inter se distincta differentijs: de speciebus & indiuiduis vt nil dicam. Ad SZEGEDINVM quod attinet, eiusmodi schematismos hoc loco ille non confecit. In locis communibus tractandis subdiuisionum latissimus offertur campus: at hîc in angusto nauigatur: non in vasto Oceano. Adstringit sese libro disponendo non in genere: sed singulis eius in specie capitibus, cœlum, cum terra non commiscens. In vno eodemque capite cùm res non vnius generis contineantur, sed diuersi: diuersa illa nudè distinguit: diuisione rarò vtens vlteriore. Id quod magnopere in viro commendandum. Est enim aliud di-

uisio, aliud partitio, aliud enumeratio: aliud distinctio: vt est bene literatis non incognitum. Inest autem hisce capitum, siue distinctionibus, siue resolutionibus, siue dispositionibus, tam perspicua, tamque venusta breuitas; vt eam profectò satis mirari nequeam. Vtilitates hinc prouentunt complures, Iuuatur legentis intellectus. Sunt sæpè tam prolixi commentatores: vt posteriora legens, priora ampliùs nesciat. Hîc primo statim intuitu cernuntur omnia simul. Iuuatur memoria. Ad plebem qui concionantur Pastores, memoralia (sic vocant) conficiunt: aut ipsi si conficere non possint: ab alijs describunt: descripta, in cathedram secum deportant: aspectui suo obijciunt, vt elapsa conceptæ concionis capita inde recolligant: infirmæ sic succurrentes memoriæ. Subsidium certè minimè spernendum: in primis acutùm cernentibus: quia rarum donum memoriæ tenacitas. Iam Tabulæ istæ, quæso, quid sunt aliud? Si subitò verba facienda in Ecclesia: aut per occupationes diu meditandi non est tempus: huc te recipito: & dispositionem sine mora habebis optatam: qua nixus, cætera si sis vel mediocriter in sacris versatus, possis superaddere. Nuda membra hîc designantur: ab industrio doctore postea vestienda. Iuuantur labores in meditandó. Qui in Psalmos, in Prophetas, in Euangeliographos, & in Epistolas sunt commentati, numero fermè carent: siue priscos, siue recentiores respicias. Priusquam in aliquem certum Prophetam, aut Euangelistam, omnes & singulos euoluas: annus abit, aut lustrum potius integrum. Subleuare laborem istum MARLORATVS voluit: Gallus natione, corona ornatus martyrij vt audio: vir vt doctissimus, ita & pijssimus. Super singulos paragraphos propè, potiorum hodie Interpretum congessit sententias: ita vt congestio illa in magnum excreuerit volumen: multum deposcens, tum tẽporis in legendo, tum in emendo pecuniæ. SZEGEDINVS laborem istũ nobis quasi & sumptum deuorauit: & vt apes ex varijs optimum succum expressit: non verba singulorum interpretum adducens: sed prestantiorũ mentem aperiens: ipsi contextui singulis in locis congruam. In momento hîc vides sine labore: quod istinc aliâs hauriendum cum molestia. Iuuatur denique crumena. Dispositiones in his Tabulis reperies, vt Index habet, non vnius libri tantùm atque alterius. Dispositi sunt Psalmi: dispositi quatuor maiores Prophetæ: Dispositi duo Euangelistæ: dispositæ orationes aliquot insigniores Petri & Pauli: dispositæ Epistolæ tum Paulinæ omnes, tum quatuor Canonicæ: disposita denique D. Ioannis Apocalypsis. In hos libros omnes & singulos, quot & quantis impensis emendi Commentarij? Norunt qui quotidie experiuntur. Vnius SZEGEDINI Tabulas istas si e-

meris: aliquot plaustra commentatorum te emisse, & loco aurei, teruncium exposuisse dixerim. Erit vnus instar omnium. Hasce Tabulas, hactenus nunquam visas, typis verò meis nunc primùm excusas, vobis, Amplissimi Viri, nuncupo. Veni ad vos anno superiore proximo: & ad vestram ciuitatem, Patriam meam dulcissimam, nobili arte Typographica ornandam, me ad tempus obtuli. Offerentem benignè suscepistis: aptum domicilium assignastis: conditionibus mecum haud iniquis transegistis: & omnia insuper promisistis bona: quæ à tali & tanto Magistratu queunt expectari. Aliud officij genus, quo meum in vos gratum animum declararem, quia ad manum hoc tempore non fuit: dictas Tabulas offerre volui: demissa cum petitione: vt eas æqui bonique consulatis: & me, meosque domesticos, habeatis commendatos, vt hactenus, ita quoque deinceps. Labores nostros Typographicos speramus vestræ Reipubl. non fore dedecori. Valete fœlicissimè, patroni omni obsequiorum genere perpetuò colendi. Datæ Schaphusiæ, anno recuperatæ Salutis 1592. August. 27. I. I.

Vestræ amplitudini addictissimus.

CONRADVS VVALDKIRCH.

Typographus.





STEPHANVS SZEGEDINVS candido Lectori ſalutem.

MAgnam vim eſſe ordinis, cùm in alijs rebus, tum in diſcendo & docendo maximè, ipſa rerum experientia teſtatur. Si enim ordo rebus deſit, confuſa & perturbata erunt omnia. At vbi orationis ſeries obſeruatur, erunt omnia perſpicua & illuſtria. Quare & in legendis aliorum ſcriptis maximè prodeſt ordinem orationis Studioſis oſtendere, vt eo oſtenſo, facilius omnia percipiantur. Prodeſt oſtendere vbi proponat author: quæ illius ſit voluntas, & conſilium: vbi & quomodo diſputet: vbi concludat. Quod qui non animaduertunt, velut hoſpites in ignota regione errabunt, & extra callem ignari feruntur.

Et nos igitur pietatis Studioſis conſulere cupientes, lectionem Prophetarum aliquot & Euangeliſtarum, duorum in primis, Matthæi & Ioannis, iuxta capitum ſeriem diſpoſuimus: vt quid illi velint, facilius cognoſcant Studioſi, ac inde ad prolixiores tandem Commentarios recurrant. Hoc enim & artifices facere ſolent: vt, qui parant ſtatuas facere, primò rude quoddam ſimulachrum fingunt è trunco: poſtea dolant ac poliunt. In ludo quidem ſphæræ ſimul diſcunt & mittere & excipere: at in doctrina priùs eſt benè & ordinè excipere, quam mittere: quemadmodum concipere priùs eſt, quàm parere.

Qui verò prolixiores ſtatim Commentarios ſibi legendos proponunt, perinde faciunt, ac ſi quis in æſtu nimium ſitiens prius bibere nolit, quàm aureum poculum illi adferatur. Vel, ægrotus antidotum bibere nolit, niſi vas ſit illi adductum ex Atticæ Veneris figulina. Vel, nudus hyeme veſtem induere nolit, niſi quæ lanam habeat ouium Atticarum. Nam qui ſitit, ſi ſitim extinguere cupit, potus ipſius priorem, quam poculi rationem habebit: vbi iam deſierit ſitire, tum demum poculi ſculpturam contemplatur. Ita Studioſo primùm animaduertendum quo ordine, licet prolixiùs, omnia dicantur: deinde ſi vacat, eos Commentarios legat, qui prolixè, ornatè ac eleganter ſcripſerunt.

Cæterùm addidimus nos hiſce noſtris Diſpoſitionibus, & conciones quaſdam, imò Scholia in Apocalypſim: quòd ea prolixiùs ac obſcuriùs à nonnullis tractari ſoleat. Hæc autem, quia ſingularum viſionum, imò capitum etiam ſeriem, partes & locos indicant, prolixioris Commentarij loco eſſe poſſunt. Hæc tu, candide Lector, æqui bonique conſulas, ac benè vale.

IN DILVCIDAS PSALMORVM ET PROphetarum Dispositiones STEPHANI SZEGEDINI, Patris in Christo ac Mecœnatis sui, perpetua *gratitudine colendi, &c.*

MATTHAEVS SCARICAEVS KEVINVS
S. Theologiæ Candidatis.



Visquis es æternæ, Lector studiose, salutis,
Quam sacra diuina Biblia voce docent:
Et cupis in tersas documenta redacta tabellas:
Hoc lege quod pandit nūc Szegedinus *opus.*
Namq; obscura locis Vatum præsagia multis,
Hic, velut exec̄ta rupe, videnda patent.
Instar & assumptæ facis in caligine densa,
Aut methodi, longæ difficilisq; viæ,
Hæc tibi lumen erunt, & praua monstrā viarum,
Dum sequeris venæ simplicioris iter.
Scilicet est meliùs, dubiæ, quàm fidere glossæ,
Prima suo rec̄tè scripta tenore sequi.
Nam tetricas vno capiens è fonte lacunas
Haud varietatum nube carere potes.
Et multos videas in vasto gurgite nantes,
Amplius, vt repetant, non meminisse scopum.
Synceroq; licet teneantur amore docendi:
Proficiunt tenui fertilitate tamen.
Vnde quidem refert tales adhibere Magistros,
Qui breuiter pandant eruta sensa rei.
Quale laborata dum prodeat arte volumen,
Atque Prophetarum vera medulla micet:
Ne nimiùm sera tibi mens ambage fatiscat:
Quoq; alios docili sub breuitate iuues:
Consule tam frugi solers monumenta laboris,
Et cape Thesæa fila sequenda manu.
Sat scio, dum propria melius non extruat arte,
Zoilus hoc frustrà carpere tentet opus.

INDEX LIBRORVM TAM VETERIS quam noui Testamenti, quorum Dispositiones in hoc Volumine continentur.

Dispositio

DISPOSITIO PSALMORVM Dauidis: Filiorum Chorah & Asaph: Ethan Esraitæ, & Mosis.

TABVLA DE PSALMIS.

Loci tres.

- **Quid sit Psalmus**: Est enim Spiritus Sancti Oraculum, quo hoc à nobis requirit, vt nomen Domini Dei nostri inuocemus, & laudes eius depredicemus.
- **A quibus rebus cōmendentur Psalmi:**
  - A vetustate. Nam in Ecclesijs non noui tantùm, sed & veteris Testamenti publica diuinæ bonitatis laus, & confessio communi Seruatori offerebatur ab omnibus, & quæ canebantur lingua vulgo intelligibili canebantur, quo animi saltem præsentium, si id ore fieri non posset, concinerent. Hunc morem Ecclesiæ quidam haud aliter damnant, quàm si noua quadam temeritate sacrificium laudis in Ecclesia ad homines prophanos transferretur. Cùm Dauid Psal. 118. & sæpè aliàs, omnes ad succinendum prouocat. Quòd verò in primitiua illa Ecclesia decantati sint Psalmi, testantur Epistola Plinij ad Traianum: Augustinus lib. 2. de Doctr. Christ. cap. 13. & Historiæ Ecclesiasticæ.
  - Ab honesto. Honestum enim ac pium Deum ab omnibus Christianis simul celebrari.
  - Ab vtili: Psalmi enim
    - Mentes fidelium ad fidendum Deo excitant.
    - Fideles ad inuocationem Dei hortantur.
    - Fidelem animum in conspectum Dei subuehunt, vt illic fidei suę, spei dilectionisq́; affectus vbertim effundat, & cū Deo loquatur, secreta sua illi communicet.
    - Consolationem ac medecinam in omnibus aduersitatibus præstant.
    - Meditationem beneficiorum Dei, diuinæque prouidentiæ fidem exercent.
    - Ad pietatem & sacrificium laudis adhortantur.
    - Confirmant patientiam in tribulationibus.
    - Spem rerum meliorum fulciunt.
    - Pietatem vitæ prouehunt.
    - Mysteria Regni Christi Propheticis oraculis eruunt.
  - A iucunditate ac suauitate. Per Psalmos enim animi nostri motus summa cum alacritate extollimus, ac coram Deo exultamus: imò gaudio & exultatione afficimur.
- **Quæ ad psallēdum requirantur:**
  - Intelligentia verborum & sensus, Psal. 47. Psallite intelligenter. Requiritur igitur vt populis intelligibili lingua Psalmi & Cantica canantur.
  - Affectus cordis: id est, amor, gaudium, exultatio.
  - Cor paratum ad laudandum Deum, Psal. 57.
  - Scopus Psalmorum & emphases si rectè cognoscantur.

PSALMORVM DIVISIO.

PSALMORVM alii sunt

Dauids, & hi vel

Ordinarij: id est, ordine dispositi, vt à Psalmo primo ad quadragesimum secundum Psalmum.

Inordinarij, sine ordine positi, ac aliorum Psalmis permixti, vt

	Psalmus Dauid, qui ordine est Psalmus	Cuius initium est,
42.	51.	Miserere mei, &c.
43.	52.	Quid gloriaris.
44.	53.	Dixit stolidus.
45.	54.	Deus per nomen.
46.	55.	Ausculta Deus.
47.	56.	Miserere mei.
48.	57.	Miserere mei, misere.
49	58.	Num vere, o.
50.	59.	Eripe me ab.
51.	60.	Deus repuleras.
52.	61.	Audi Deus clam.
53.	62.	Vtique ad Deum.
54.	63.	Deus Deus meus.
55.	64.	Audi Deus vocem.
56.	65.	Tibi ô Deus silen.
57.	66.	Iubilate Deo.
58.	67.	Deus misereatur nost.
59	68.	Simul atque exurg.
60	69.	Seruato me Deus.
61.	70.	Deus vt me libe.
62.	71.	In te Domine sper.
63.	72.	Da Deus Regi.
64.	86.	Præbe mihi Domine.
65.	91.	Sedens in abdito.
66.	92.	Commodum nunc.
67.	93.	Dominus Rex est.
68.	94.	Domine Deus (scele.
69.	95.	Adeste ouemus.
70	96.	Canite Domino.
71.	97.	Dominus regnat
72.	98.	Canite Domino cant.
73.	99	Domino regnante.
74.	100.	Iubilate Domino.
75.	101.	Bonitatem &.
76.	102.	Domine exaudi.
77.	103.	Prædica Dominum.
78.	124.	Anima mea prædica.
79.	105.	Confitemini Domi.
80.	106.	Conf. Domino quon.
81.	107.	Conf. Domino quon.
82.	108.	Paratum est cor.

	Psalmus Dauid, qui ordine est Psalmus	Cuius initium est,
83.	109.	O Deus qui laudem, &c.
84.	110.	Dixit Dominus Domino.
85.	111.	Confitebor Domino.
86.	112.	Beatus vir qui timet.
87.	113.	Laudate cultores.
88.	114.	Quum egrederetur Izra.
89.	115.	Non nostrum Domine.
90.	116	Diligo Dominum.
91.	117.	Laudate Dominum.
92.	118.	Confitemini Domino.
93.	119.	O beatos qui, &c.
94.	120.	Dominum in magno.
95.	121.	Leuo oculos meos.
96.	122.	Lætor quum mihi,
97.	123.	Ad te leuo oculos.
98.	124.	Nisi Dominus qui.
99.	125.	Qui fidunt Domino.
100.	126.	Quum Dominus restit.
101.	127.	Nisi Dominus ædificet.
102.	128.	Beatus vir qui timet.
103.	129.	Sæpius oppugnauerunt.
104.	130.	Ex profundo te uoce.
105.	131.	Domine cor meum.
106.	132.	Memento Domine.
107.	133.	Ecce quam bonum.
108.	134.	Ecce prædicate Dominum.
109.	155	Laudate nomen Domini.
110.	136.	Confitemini Domine.
111.	137.	Ad flumina Babylonis.
112.	138.	Confitebor enim toto.
113.	139	Domine tu me scrutatus.
114.	140.	Eripe me Domino.
115.	141.	Domine te voco.
116.	142.	Voce mea ad Dominum,
117.	143.	Audi Domine supplicat.
118.	144.	Prædicandus est Domin.
119.	145.	Extollam te ô mi Deus.
120.	146.	Anima mea laudâ.
121.	147.	Laudate Deum, quia.
122.	148.	Laudate Dominum coel.
123.	149	Canite Domino carmen.
124.	150.	Laudate Deum in Sanct.

Filiorum Chorah, quorum

	Ordine est Psalmus	Cuius initium est,
1.	42.	Vt serua mugit ad torrentem,
2.	43.	Iudica me Deus, & suscipe,
3.	44.	Deus auribus nostris audiuim.
4.	45.	Eructat cor meum quid.
5.	46.	Deus nobis suffugium &,
6.	47.	Omnes populi plaudite manib.
7.	48.	Magnus Dominus & laudatus,
8.	49.	Audite hoc omnes populi,
9.	84.	Quàm sunt amabilia,
10.	85.	Propitius eris ô Domine terræ,
11.	87.	Fundamenta eius in montibus,
12.	88.	Domine Deus salutis mea, die,

&c.

Asaph, quorum

	Ordine est Psalmus	Cuius initium est,
1.	50.	Deus Iudicum Dominus locut.
2.	73.	Attamen bonus est Deus Israeli,
3.	74.	Ecquare Deus perpetuò nos,
4.	75.	Celebrabimus te Deus, celebr.
5.	76.	Notus in Iuda Deus, præclarum,
6.	77.	Voce mea quum clamarem ad,
7.	78.	Ausculta popule mi instit.
8.	79.	Venerunt Deus gentes in hær.
9.	80.	O Pastor Israelis ausculta,
10.	81.	Iubilate Deo robori nostro,
11.	82.	Deus constitit in cœtu Dei,
12.	83.	Ne te in silentio contineas,

&cet

	Cuius initium est,	
Ethan Esraitæ, Psalmus 89.	Misericordias Domini perpetuò,	&c.
Mosis, Psalmus 90.	Domine refugium factus es nobis,	

PSALMORVM LIBRI TRES.

1. Liber continet Psalmos, qui Dauidi adscribuntur 124.
2. Continet Psalmos, qui filijs Chorah tribuuntur 12. Et Ethan 1.
3. Continet Psalmos, qui Asapho adscribuntur 12. Et Mosis 1.

LIBER PRIMVS PSALMORVM, qui Dauidi adscribuntur.

Dispositio Psalmi I.

Tres partes Psalmi primi.

- Habet iusti hominis fœlicitatē, ac pietatē. Vbi tria agit:
  - Exclamatione quadam celebrat hominem iustum, dicens, Beatus ille vir.
  - Describit pietatem illius, ob quā beatus sit. Hanc in duobus consistere docet: in
    - Vitādo qualicunque malorum cōsortio: & hic tres malorū gradus facit: puta
      - Impiorum, vt qui animo sunt turbulento, & inquieto, quales esse solēt ἄθεοι, quibus vt nullus est erga Deū respectus, nulla erga Deum fides, nulla religio in corde, ita nihil veræ pacis possident, his rectè consilium datur. Intelligit autem de maliciosis, vafris, & irrequietis cogitationibus, quibus cor impium & impacatum, terrenisque rebus absque vllo Dei timore deditum, varias rationes comminiscitur, quibus per fas & nefas desiderijs suis satisfaciat.
      - Peccatorum, qui videlicet cordis impietatem totius vitæ conuersatione produnt, & peccandi studio delectantur. His viam tribuit, propter impietatis illorum in peccatis non solùm expressionem, sed & progressum, vsum, consuetudinem & continuationem. Vita illorum videtur strata quædam via esse, in qua nihil sit offendiculi, imò cursus quidam apparet esse planè inoffensus.
      - Derisorum, quibus omnis pietas, ac rectè viuendi doctrina ludibrio est. Datur his sedes, id est, cœtus & consessus consultantium. Solet enim vsu venire in hoc seculo, vt impij homines in Concilijs & consessibus Iudicum priores habeant, & regnent.
    - Sedula videlicet Dei, ac voluntatis diuinæ meditatione, lectione, auditione. Hic verò non linguam & aures tantùm Legi Dei accommodat, sed præcipuas hominis partes, voluntatem & mediationem: id est, cogitata, dicta, facta, ac omnem iusti hominis vitam.
  - Declarat quare hominem iustum beatū prædicet, & facit id similitudine sumpta ab arbore & viridi & frugifera, & ad scaturigines aquarū plantata, qualis est palma. Hic verò quatuor fœlicitatis notas ponit: Quòd
    - Vir iustus velut fluentis diuinæ gratiæ irrigetur. Et erit, inquit, velut arbor plantata secus riuos aquarum.
    - Cœlestem gratiam non frustra insumat: sed per hanc ita fœcundetur, vt fructus suos adferat. Loquitur autem de fidei, spei, patientiæ, charitatis, & omnis pietatis fructibus. Hoc significat, cùm dicit, Quòd fructum suum dabit, &c.
    - Hac cœlesti gratia constātèr ac perpetuò fruatur. Id notat, cùm dicit: Et folium eius non defluit.
    - Omnia illius instituta & facta diuinitùs dirigantur. Et quæcunque, inquit, facit, prosperabuntur.
- Continet diuersam impiorum sortē. Vbi quatuor agit:
  - Negat eandem esse impiorum sortem, cum ea, quæ piorum est.
  - Sortem impiorum planè diuersam subijcit: idq; similitudine quisquiliarum. Vide hîc similitudinum discrimina. Quātum enim est discriminis inter quisquilias vento agitatas, & arborem ad riuos aquæ plantatam, tantùm vtique, imò plus est inter iustum & iniustum.
  - Ex præmissa quisquiliarum similitudine infert impios iudicium Dei non laturos, sed in eo prorsus condemnandos esse, ac perituros.
  - Quod de vento quisquilias proijciente posuit, declarat, docens iudicium Dei id futurum impijs, quod ventus est quisquilijs.
- Adijcit ad finem piorum & impiorum discrimini, & impari sorti causam, qua docet, quare beati sint pij, & infœlices impij: quare illi sint ad æternam fœlicitatem congregandi: isti, diuini iudicij vento in morem quisquiliarum proijciendi. Quoniam, inquit, Dominus, viam: id est, morem, ingenium, vitam, institutum, & studium piorum approbat, curæq; suæ commissa habet, adeoq; tuetur, & per omnia dirigit: impiorum verò vitam odit, & perdet.

Dispositio Psalmi 2.

PARTES Psalmi 2. sex.

- Prædicit impiorum Regũ & Principum, & populorum furorem aduersus Regnum Christi sæuiturum. Vbi
  - Impiam ac stultam Principum & populorum temeritatem, cum admiratione per interrogationem notat. Quare, inquit, fremunt.
  - Impiorum conatibus feruorem, studium, fastum & conspirationem tribuit, cùm fremitus meditationis, erectionis, & consultationis meminit, ne tepidum ac remissum quid suspicemur.
  - Innuit aduersus quem potissimùm fremant Principes & populi: Aduersus, inquit, Dominum, & aduersus Christum eius ne sortem Christi priuatæ sortis esse sinat, sed hanc cum Deo communem faciat.
  - Subijcit verba hostium, vt exprimat quid illi inter se meditati sint, & consultarint, quas voces inter se sparserint.
- Affirmat certò futurum, vt conatibus impiorum diuinitùs frustratis, & ludibrio exponantur ipsi, & iram Dei contra se experti perturbentur, vbi simul & destinatum tempus, & sententiam, & grauitatem diuini contra impios iudicij, significat.
- Introducit personas Domini & Christi eius, cõtra quas consultant, impij, de hoc Regno Christi, cui tot gentes ac Reges aduersantur, colloquentes. Vbi
  - Primas partes Patri tribuit, quem de Filio suo Rege loqui facit, quòd hunc Regem super Sion montem sanctum constituerit. Hoc ob id facit, vt rationem eorum reddat, quæ prima & secunda parte Psalmi commemorauit: videlicet, cur gentium, Regum, ac Principum fremitus, meditationem non solùm aduersus Christum, sed cumprimis aduersus Dominum fieri: ideoq; se temeritatem illorum tanquam impiam & frustraneam admirari, ac Dominum, qui cœlos inhabitat, conatus illorum ridere, suoq; tempore in ira illius locuturum dixerit. Ideò scilicet quòd Christus ipse, quem ipsi impugnant, ab ipso Domino Rex sit constitutus, atque ob eam causam non illi tantùm, sed ipsi Deo aduersentur.
  - Inducit Filium, ac vocem illius, qua sententiã Patris, seu decretum, ac constitutionẽ illius Regno se inauguratis cõmemorat. Quid autẽ Dominus de se cõstituerit, nõ suo ipsius, sed potius verbo illius inducto declarat, vbi tria cõmemorat, se ac Regnum acceptum spectantia. Quod
    - Sit Filius Dei, etiam secundùm hominem, non tantùm quatenus de Spiritu conceptus est, sed etiam quatenus Regno est per Spiritum Sanctum inauguratus, siue intelligas quando baptizatus est ad Iordanem, siue quando per Spiritum sanctificationis à mortuis excitatus, ac Filius Dei declaratus est, Rom. 1. Atque ita illud, Ego hodie genui te: vel ad diem Baptismatis: vel quo cœlitus inauguratus, ac Filius Dei paterna est voce appellatus, vel certè particula hodie ad diem resurrectionis referẽda est, qua factus est primogitus ex mortuis, Coloss. 1. Et Filius Dei declaratus. Quare & Apostolus locum hunc resurrectioni applicat, Actor. 13.
    - Regnum Christi amplificandum sit à Domino: Postula à me, inquit, qua voce nihil aliud innuit, quàm beneuolentiæ paternæ erga Filium propensionem, qua nihil illi denegare potest.
    - Hostes Christi confringendi sint. Quàm verò facilis sit eorum confractio, comparatione vasis Figulini declarat.
- Alloquitur per apostrophen Principes ac Reges, qui Christo aduersantur, & ad resipiscentiam, ac debitam subiectionem hortatur: videlicet, vt rectè de Deo sapiant, Domino in timore seruiant, & Filium Christi osculentur, si sapienter ac fœliciter regnare cupiunt. Ita autẽ Deo rectè & sapienter seruitur, si Filius tanquam Rex & Dominus omnium agnoscatur, & colatur. Osculandi verbo humilem ac supplicem subiectionem exprimit, qua solent subditi Principum suorum vel pedes, vel manus in signum omnimodæ submissionis deosculari.
- Adhortationi subijcit comminationem futuræ perditionis, si monitis obtemperare nolint.
- Addit ad finem exclamationem, qua postquam immorigeris perditionem comminatus est, fœlicitatem omnibus illis pollicetur, qui spem suam ponunt in Filium, vt sicut terrentur impij, ita consolationem ac animi confirmationem habeant fideles.

Dispositio

Dispositio Psalmi 3.

Partes Psalmi 3.

- Habet admirationem de multitudine hostium, & querelam de maliciosis illorum conatibus & vocibus, quibus illum impugnabant.
- Continet fiduciam erga Deum, & securitatem contra impetum hostium. Vbi
  - Contra falsissimam hostium persuasionem, qua ad rebellandum animabantur, magna fide se confirmat.
  - Loquitur sibijpsi, seq; in fiducia ac spe potiūdi diuinitùs auxilij solatur, quòd certus sit Deum exauditurum preces suas.
  - Securitatem exprimit animi firma fiducia in protectione Dei conquiescentis: Ego, inquit, interea dum aduersarij mei insaniunt, & tumultuantur, absque vlla solicitudine suauissimè dormiam, & placidè euigilabo.
  - Causam securitatis exponit: Quoniam, inquit, Dominus sustentabit me.
  - Subiungit, quàm hac fiducia diuinæ sustentationis fretus, innumeram populi multitudinem haud quaquam timeat.
- Implorat diuinum auxilium, & est hæc pars bimembris.
  - Excitat Deum velut dormientem, vt se conseruet.
  - Præteritorum temporum pericula in memoriam reuocat, vnde fuerat diuinitùs, percussis omnibus inimicis, ereptus: atque inde fiduciam impetrandi auxilij confirmat.
- Claudit Psalmum epiphonemate, quo Domino virtutem saluandi, eamque bonitatem tribuit, qua populi sui rebus vbique consulat, innumeris que eum beneficijs ac bonis cumulet.

Dispositio Psalmi 4.

Partes Psalmi 4.

- Orat ad Deum pro exauditione & misericordia: quæ pars trimẽbris est.
  - Significat se Deum, tanquam protectorem ac defensorem innocentiæ suæ precari, vt clamantem ad se exaudiat.
  - Fiduciam impetrandi auxilij commemoratione acceptorum olim beneficiorum confirmat.
  - Inuocationem repetit.
- Habet apostrophen ad inimicos seditiosos. Vbi
  - Increpat inimicos, quòd
    - Tantis tamq; pertinacibus conatibus ad id cōtẽdebant, vt se à Regni administratione, quā gloriam suam vocat, à Deo videlicet acceptam, in summam deturbarent ignominiam.
    - Res vanas & impossibiles cupidè, ac studiosè tentabant. Has vocat vanitatem & mendacium: propterea quòd affectatores suos fallere, ac spe concepta frustrare soleant.
  - Instruit aduersarios de eo, quòd non tā aduersus se, quàm aduersus Dominum rebellando insurgant. Se verò Sanctum Dei appellat, non qnòd de sanctitate sua glorietur, sed quòd diuinæ beneficientiæ sit consecratus.
  - Reuocat aduersarios à peccato, quod moliebātur, & monet vt causam ipsam diligentiùs expendant, pacatiq; conquiescant. Huc pertinet quòd admonet, ne iræ hactenus contra se indulgeant, vt peccent, sed potius conatus suos taciti secum ipsi in cordibus suis examinent, cogitentque an fieri possit, vt iniustæ causæ non aduersetur Dominus, & Sanctum suum, quem sibi delegit, ipsorum libidini permittat.
  - Admonet vt vera sacrificia Domino offerant, ne putent se sacrificijs pecudum Deum placare, si peccent contra se: sed potius iusticiæ studeant. Id quod ipsis coram Deo sacrificij loco futurum sit. Atque ita tum demum spem suam in illum collocent.
- Redit ad Deum, proque beneuolentia illius impetranda orat. Vbi
  - Hostium verba recenset, mutata orationis forma: nam nobis pro vobis ponit, vt significet ad se ac suos hæc hostium verba pertinere. Ostendere verò pro exhibere, & bonum pro auxilio ponitur.
  - Cœlestis gratiæ ac beneuolentiæ hilaritatem exposcit, quod locutione metaphorica exprimit. Hic pro signatum est, lege leua, erige.
  - Tacite rebellis populi ingratitudinem notat, qua paternè erga ipsos affecto, tam malam gratiam rependebant. Ad hoc commemorare videtur quanto cordis gaudio fuerit affectus, quoties illis diuino munere rerum necessariarum prouentum obtingere vidisset.
  - Prædicat se non solum securum ab omnium periculo, vt vt per rebellionẽ infestetur, sed & à periculi metu liberum. Idque dormiendi metaphora (facit,
  - Addit causam cur non metuat.

Dispositio Psalmi 5.

PARTES Psalmi 5.

- Deum orat, vt vocem ac clamorem suum exaudiat. Vbi
  - Exæstuantes cordis affectus indicat, quòd orationem suam, nunc verba sua, nunc meditationem suam, nunc vocem clamoris sui vocat.
  - Fiduciam suam, implorandique diuini auxilij motum, in animo suo confirmat, cùm inquit: Rex meus, & Deus meus. Ad quem enim subditus, rebus afflictis pressus, rectiùs confugiat, quàm ad Regem suum, & pius in tentationibus constitutus, quàm ad Deum suum.
- Exponit cordis sui ad Deum fiduciam, futurumque sibijpsi pollicetur, vt pristinæ dignitati restitus, & à tam improbis inimicorum conatibus liberatus, denuò, domum Dei ingrediatur, ibique Dominum religiosè colat. Vbi
  - Cordis ad orandum præparationem, sedulitatem, intentionem, & ad Deum eleuationem exponit, cùm dicit: Manè audies vocem meam. Qui enim quod agunt, sedulò agunt, & ex animo, mox manè illi incumbunt, ac vix serò & vesperi desinunt.
  - Rationem fiduciæ suæ subijcit, quam ex ingenio diuinæ iusticiæ colligit. Qui iustus est, iniusticiam improborum hominum ferre non potest. Quare cùm Deus iustus est, ferre non potest, vt inimicorum meorum malitiam, praua studia, mendacia, crudelitatē, ac dolos non detestetur. Ideoq; certò mihi persuadeo, futurum vt oppressis illis in locum meum restituar.
  - Concepta liberationis fiducia, velut gloriatur de futuro ad Tabernaculum reditu, quem apprimè suspirabat. Dolebat enim illi plurimum, quòd vrbe eiectus, domum Dei ingredi, ac ibi cum fidelium cœtu Deum colere non posset.
- Orationem addit ad finē qua petit vt in iusticia Dei dirigatur: hostes verò destruantur, ac perdantur. Hæc pars est trimembris:
  - Orat pro se. Vbi duo agit:
    - Deo vitam suam commendat, orans vt se ducat, ac conseruet.
    - Rationem reddit, quare opus habeat custodia & ductu Dei, ne in manus inimicorum suorum incidat. Inimici enim ita modis omnibus instructi sunt, omni dolo, versutia, blandijs, &c. vt impossibile sit malitiam & fraudes eorum euadere, nisi diuinitùs conseruetur.
  - Orat contra hostes, vt à
    - Deo disperdantur, & proijciantur tanquam iniquitatis condemnati.
    - Consilijs suis cadant, id est, vt re infecta frustrentur ceptis, ac studijs suis malis.
  - Addit petitionis huius causas: Propter multitudinem, inquit, transgressionum eorum, &, quia rebellant contra te.
- Fructum commemorat, qui ex eo, si hostes pellantur, ad pios sit rediturus. Omnes enim pij hac re exhilarantur, & spem concipiunt, vbi viderint Deum habere iustorum rationem, illisque à Domino benedici, atq; eos beneplacito Dei, velut scuto quodam defendi.

Dispositio Psalmi 6.

PARTES Psalmi 16.

- Deprecatio, que pars quadrimembris est.
  - Iram & furorem Dei deprecatur. Vbi Propheta humano more ad Deum loquitur, cùm furorem illi tribuit.
  - Gratiam & opem illius implorat, & orat pro sanitate corporis, conuersione Dei, & conuersatione vitæ.
  - Adiungit argumenta fiduciæ, quibus spem impetrandi gratiam, sanitatem, conuersionem, & liberationem à morte in corde suo inter orandum confirmauerit, Sumuntur autem argumēta
    - A magnitudine partim morbi ac doloris, partim horroris, qui ex metu mortis est.
    - A diuturnitate tentationis, qua videbatur à Deo desertus, cùm dicit: Et tu Domine vsque quò!
    - A natura Dei, seu bonitate: Propter bonitatem tuam, inquit.
    - Ex ea consideratione, quòd non tā mors, quàm vita hominis ad laudem & gloriam Dei faciat: Quoniam, inquit, in morte non est tui memoria.
  - Intentissimum quendam æstum animi, inimicorum maleuolentiam, & improbissimam spem de morte sua conceptam, grauissimè detestantis, exprimit, cùm dicit: Laboro in gemitu, &c.
- Gloriatur de exaudita, & seq. Vide literam A.

A. Gloria-

A. Gloriatur de exaudita oratione sua contra inimicos, mortem suam auidè expectātes, cum quadam insultatione. Et hæc pars est trimembris.

- Per apostrophen inimicos suos à se reijcit.
- Reiectionis huius causam subijcit, eò quòd exauditus sit à Domino.
- Imprecatione satis ardenti contra inimicos suos Psalmum concludit. Imprecatur autem illis tria:
  - Confusionem, quæ ex spei frustratione fit.
  - Conturbationem, ex eo, quòd imperium iustitiæ effugere nequeant, sed illi diutiùs subesse cogantur.
  - Auersionem ex desperatione propositi.

Dispositio Psalmi 7.

Partes Psalmi 7.

- Imploratorem habet diuini auxilij contra persecutores, Id facit exordio pathetico. Vbi
  - Significat se in periculis mortis constitutum esse, habere inimicos qui se per sequantur, oratq; ad Deum vt se seruet, & eripiat.
  - Metum imminentis periculi, ac iam veluti præsentis exprimit. Significat enim periculum esse ne iam iam corripiatur, & perdatur. Et vt exprimat non leuem esse persecutionem, sed exitialem, similitudine Leonis feram insectantis, ac raptam discerpentis, atrocitatem ac crudelitatem hostis depingit.
- Habet commemorationem innocentiæ Dauidis, cum imprecatione exitij proprij, si non sit innocens. Eam innocentiam malitiæ Saulis obijcit, idq; coram Domino, quē sciebat omnium secretorū cognitorem, ac iustum iudicem probare nō posse innocentis hominis oppressionem. Vbi
  - Tacitè accusationem Saulis refellit, à quo accusabatur, quòd vitæ ac regno ipsius insidiaretur, & hoc prætextu ad mortem quærebatur. Hoc sentit, cùm dicit: Si feci hoc, si est iniquitas in manibus meis. Est autem iniquitatem in manibus esse, rem iniquam moliri, etiam si opere perfici nequeat.
  - Negat se non solùm innocenti, sed & hosti esse insidiatum, etiam illi, qui malum pro bono rependit.
- Confugit ad iustum iudicium Dei, quod facit
  - Orando
    - Pro se. Vbi
      - Petit vt exurgat, & quod de se statuit, & ad quod per Samuelē inauguratus est, iam ad effectum ducat.
      - Ostendit quò respiciat hoc iudicij, seu instituti Dei imploratione: nēpe vt populus ad Deum suū ritè colligatur, id quod sub regno Saulis erat neglectum.
      - Affert causas, cur tantoperè Deum imploret: videlicet quia sit innocens: inimici verò impij, ac Deus iustus, qui iudicat mundum, & probat corda, &c.
      - Animi fiduciam ex fide iusti iudicij Dei conceptam exprimit. Credit Deum sibi scuti locō fore.
    - Contra aduersarios: Consumat quæso, inquit, malū impios.
  - Comminando exitium impijs. Vbi
    - Hypothesi quadam plagas ab irato Deo velut ob oculos exponit, dum Deum describit iratū, acuere gladium. &c.
    - Similitudine prægnantis ob oculos ponit irremissos Saulis conatus, quibus vitæ ipsius insidiatur. Conceptui comparat cordis illius cōsilia, quæ dolorem vel afflictionem appellat, & intelligit persecutionem. Parturitioni comparat conatus perficiendi, quod mente cōcepit, hos vocat iniquitatem. Erat enim iniquū, hominē non modò innoxium, sed & bene meritum, & generum ad mortem quærere. Quādo verò perfici non potuit quod Saul moliebatur, partui huic & mēdacium tribuit. Patiet, inquit, mendacium, id est, non perficiet quod mente concepit, & aliud quid, quàm cogitauerat, sit editurus: videlicet suum ipsius exitium.
    - Aperit similitudine fodientis puteum, omnia Saulis consilia in suum ipsius exitium cedere. Quod apertiùs postea declarat, cùm inquit: Conuertetur in caput eius, &c.
- Psalmum cum Dei laude & gloria competenti claudit.

Dispositio Psalmi 8.

PARTES Psalmi 8.

Celebrat admirabilem philanthropiā Dei, qua ille genus humanum in se admodum humile & miserũ super omnia terrena exaltauit. Vbi

- Admiratur illam immensam magnificentiam gloriæ Dei in vniuersa terra passim omnium oculos incurrentem, velut vno internæ considerationis intuitu contemplatus.
- Ostendit versu 2. à quibus magnificentia illa Dei in terris passim eminens, cognoscatur. A pijs videlicet affectu & iudicio proprio paruulis non aliorum tantùm existimatione.
- Extollit immensam illam diuinitatis maiestatem in cœlis relucentem, significatque se illius consideratione non posse satis admirari, quid sibi infinita illa maiestas cum homine misero & abiecto voluerit.

Inducit dignitatem Adæ concessam, antequam peccasset, & postea propter peccatum amissam. Vbi

- Docet hominem ad imaginem & similitudinem Dei creatum fuisse: Hoc est quod dicit: Minuisti eum parumper à Deo, ac si diceret: Parum abfuit quin Deum constituerit hominem. Hoc dicit, non vt modicum discrimen inter Deum & hominem faciat, sed vt propositam philanthropiam amplificet.
- Exponit hominem dominium supra terram accepisse. Hoc enim gloriam & honorem appellat. Verbo coronandi veluti Regem quendam describit.
- Aperit quomodo dixerit hominem parumper minoratum à Deo, & gloria & honore coronatum: Constituisti, inquit, eum dominatorem, &c.
- Vt dominium supra opera manuum Dei acceptum declaret, subiungit: Omnia subiecisti sub pedibus eius, vbi terrestria nominat, non cœlestia.

Repetit quod primo loco posuit, ac celebratione nominis Dei, à qua orsus erat, Psalmum concludit.

Dispositio Psalmi 9.

PARTES Psalmi 9.

Prorumpit in laudem diuini nominis. Vbi

- Aestum cordis sui ad celebrandum Deum effundit.
- Subijcit, vnde ad hanc nominis Dei celebrationem motus sit: Quia videlicet Deus vicit hostes suos.

Celebrat virtutem & iudicium Dei in prosternẽdis gentibus. Vbi

- Declarat iudicium illud Dei, quàm fuerit potens & efficax.
- Adscribit Deo quòd Regnum eius sit sempiternum, opponitq; illud regno hostium, quorum memoriam perijsse dixit.
- Tribuit Deo tribunal ad iudicandum paratum. Additq; quòd orbem sit rectè ac iustè iudicaturus, ne semel tantum atque iterum, aut aliquos tantùm iudicare putetur.
- Ad consolationem afflictorum, vsum eius fidei ponit, qua in præcedentibus Deo Regnum sempiternum, Tribunal ad iudicandum paratum, iustumq; & æquum iudicium tribuit.

Hortatur populum ad psallendum Domino, & addit adhortationis causam.

Rapitur ad orandum, & addit causam, ob quam per misericordiam Dei exaltari è portis mortis oret: Vt enumerem, inquit, laudes tuas.

Victoriam contra gentes partam extollit. Vbi

- Non fortuitum aliquod & qualecunque, sed studiosè concinnatum exitium significat, idq; parabolis foueæ & retis.
- Interitum hunc impiarum gentium pro more suo Deo tribuit, quòd is iudicio suo malitiam illarum sic punierit, vt suo ipsorũ gladio perierint, ac populus Israel liberatus sit. Vbi & id significat, quo animo ista canat, cùm dicit, Innotuit Dominus. Videbatur enim Dominus prorsus obdormijsse, nec erat vllus nominis eius terror coram impijs gentibus. Verùm postea vbi gentes perdidit, nominis illius maiestas magno cum terrore innotuit.

Consolationis vice breui futurum affirmat, vt omnes impiæ gentes nullam Dei rationem habentes morte opprimantur. Et additur ratio consolationis.

Epiphonemate ad Deum contra impios facto, Psalmum concludit, & addit inuocationis finem.

Dispositio Psalmi 10.

PARTES Psalmi 10.

- Queritur grauiter cõtra impiorum superbiam, fraudẽ, crudelitatem, &c. Vbi
  - In exordio tentationem exprimit, quam mentes fidelium, etiam præclarorum virorum in tribulationibus sentiunt.
  - Significat quæ, cuius, & per quem sit angustia illa, cuius meminit. Per afflictum, intelligit seipsum.
  - Imprecatur hostibus interitum: idque ex dolore nimio, quem in anima eius incredibilis aduersariorum malitia, iniquitas & versutia peperit.
  - Subijcit superbiæ ac arrogantiæ hostium causas: quia videlicet iactat se, ac benedicit sibi, &c.
  - Queritur de malis fructibus, quos impiorum hominum prosperitas gignere solet. Loquitur autẽ non sine tentatione & admiratione, quanam ratione fiat, quòd viæ, id est, instituta & cõsilia impiorum tam illis prosperè cædant. Sunt autem prosperitatis impiorum fructus, quos hîc recenset: Cæcitas, vt iudicia Dei videre non possint, contemptus aduersariorum, securitas prophana, maledictio oris, fraus, dolus, labor: id est, molestia, iniquitas: id est, mendacium, insidiæ, deprædatio pauperum, vbi & collationibus vtitur Leonis & Venatoris. Item persecutio, crudelitas, cordis impietas, seu cogitatio mala de Dei iudicio.
- Auxilium Dei contra impios implorat. Petit autẽ duo:
  - Ne Deus afflictorum obliuiscatur, sed eripiat eos è manibus hostium: & addit rationem, quare potissimùm Deus surgere debeat, & impios euertere: videlicet ad reprimẽdam impiorum blasphemiam. Quæ verò illa sit, subijcit, dicens: Dicit in corde suo, non requiret. Deinde per antithesim affirmat Deum impiorum malitiã videre, & inquirere in eos, qui pauperes & orphanos opprimunt.
  - Vt brachium impiorum & malignorum conterat.
- Spe futuri auxilij cõcepta Psalmum concludit. Vbi
  - Potentiam Dei celebrat.
  - Rationem subijcit, quare fuerint gentes de terra Dei perituræ. Quia non potest Deus non audire afflictorum desiderium.

Dispositio Psalmi 11.

PARTES Psalmi 11.

- Opponit fiduciã suam nequitiæ proditorum, quibus eam iniquitatem exprobrat, quòd se ne in montibus quidem quiescere sinant, sed instar auiculæ abigant. Vbi
  - Significat, varios fore proditorum conatus, quibus se Sauli tradere moliebantur, eò quòd fiduciam in Dominum coniecerit.
  - Reddit fiduciæ suæ rationem, vbi crudelitatem hostibus exprobat. Metaphora verò sagittandi, & necis, periculum & irremissam persequendi sedulitatem notat.
  - Innuit latenter quid faciendum sit iusto in persecutionibus. Quid enim faceret aliud, etiam si cœlum ruat, & orbis fundamẽta concutiantur, quàm vt totus à Deo pendeat.
- Gloriatur de Deo, qui cœlitùs filios hominum despiciat, iustos diligat, & iniustos odiat. Vbi
  - Significat se abundè animatum esse, & confirmatum, eò quòd sciat Dominum esse in cœlis, qui cuncta mortalium opera videat.
  - Discernit filios hominum. Alij enim sunt pij, alij impij: ac docet quomodo inter vtraque genera hominum, etiam ipse Dominus discriminet.
  - Quia impios vehementi odio Deum prosequi dixit, exemplo memorabili & insigni id ob oculos ponit. Ideòque exitium illud Sodomæ, &c. admodum horrendum in medium adducit. In cuius mentione pleraque satis emphaticè ponuntur. Calicis nomine mensuram supplicij intelligit.
  - Reddit rationem quare probet Dominus iustos, impios ex animo detestetur, & perdat.

Dispositio Psalmi 12.

Partes Psalmi 12.

- Habet querimoniam de iustitia & fide diminuta. Vbi
  - Magno cordis dolore propter iusticiæ defectum pressus, exclamat ad Dominum, Serua me Domine.
  - Experimentum eius rei, quam adduxerat, subijcit: videlicet quòd nihil veri, nihil synceri in ore mortaliũ volnatur.
- Continet imprecationem exterminij malorũ, eò quòd malũ passim obtinere cerneret. Vbi
  - Notat multitudinem & abundantiam subdolorum, cùm dicit vniuersa labia dolosa.
  - Docet quod genus hominum detestetur: videlicet magniloquentes, superbos, præsumptuosos.
- Consolatur afflictos. Vbi
  - Inducit Deum deuastationẽ afflictorũ & gemitus pauperum amplius ferre non posse. Habet autẽ hic locus Anthropopathiam. Inducit enim Deum veluti commotum & indignantem, ac instar principis alicuius de liberatione populi secum loquentem, ac consultantem.
  - Admonet verbo Dei firmissimè innitendum esse, eò quòd verum sit, ac purum, vt argentum igne probatum, siue comminationem, siue promissionem spectes. Respicit autem ad illud præcipuè Dei verbum, quod Dominum dixisse vers. 5, canebat Propheta.
- Petit, vt afflictos à generatione impiorum custodiat secũdùm veritatem eloquiorum suorum, & addit petitionis causam, vbi & qualis sit impiorum generatio describit.

Dispositio Psalmi 13.

Partes Psalmi 13.

- Habet querimoniã de eo quòd
  - Deus sui oblitus esse videretur.
  - Faciem suã auerterit. Id quod indignationis indicium est.
  - Frustra toties secum de liberanda vita consultârit. Hoc enim est consilia in anima ponere.
  - Hostem inualescere contra se cerneret & in malitia perseuerare.
- Continet precationẽ ad Deum. Vbi
  - Exprimit quid à Deo impetrare cupiat: videlicet illuminationem: id est, prudentiam & vigilantiam, quo cauere & sciret, & posset, ne quando in manus hostiũ incideret.
  - Causam ostendit, propter quã cõseruari petat, ne in morte obdormiat, ne quis putet, quòd hac in re seipsũ quærat, & solo mortis horrore impulsus tã anxiè ad Deum oret
- Habet fiduciam in bonitatem Dei, de futuro Dei auxilio.

Dispositio Psalmi 14.

Partes Psalmi 14.

- Habet reprehensionem impietatis & vitæ corruptæ.
- Exemplum iudicij Dei contra primam mundi ætatem inducit: nempe ante diluuium.
- Habet comminationem vltionis diuinæ, quæ factura sit, vt impij Deum non cognoscentes, magno cum pauore Deum esse cognoscant. Vbi
  - Aperit, quod genus hominum notet.
  - Comminatur futurum, vt cum ingenti pauore & consternatione Deum iustum Iudicem esse cognoscant impij.
  - Adijcit rationem, quare aliquando consternandi sint impij, voratores populi Dei. Quoniam, inquit, Dominus, quem illi contemnunt est in medio iustæ generationis id est, non deseret populum suum.
  - Facit apostrophẽ ad impios, & exprobrat illis hanc impietatẽ, quòd consilium afflicti, quo spem suam in Deum collocabat, contemnant, & ignominia afficiant.
- Habet votum & precationem salutis, quæ Israeli contingat ex Sion, vbi vaticinatur & de ingenti lætitia Israelis, tum futura, quando captiuitas illius fuerit à Domino sublata.

Dispositio Psalmi 15.

Partes Psalmi 15.

- Habet Apostrophen ad Deum interrogatoriam, vt veluti Deum ipsum tanquam ad interrogationem hanc respondentem inducat.
- Subijcit responsum paucis verbis comprehensum, non vt hominis, sed Dei. Vbi
  - Complectitur rem totam: Qui, inquit, ambulat integer, id est, qui viuit & conseruatur integer.
  - Quod in summa dixit breui distributione in verba & facta partitur: factis enim & verbis constat totius vitæ nostræ conuersatio.
  - Non contentus summaria factorum & verborum iustitia, recenset species quasdam verborum & factorum. Verborum, vt non detrahere proximo, non peierare, non conuiciari. Factorum, vt non facere malum proximo, despicere reprobos, timentes Dei in precio habere, vsuram fugere, munera non accipere aduersus innocentem, &c.
- Concludit Psalmum, vbi veram fœlicitatem tribuit illis, qui hæc faciunt: affirmans eos commoraturos in Tabernaculo Dei, & habitaturos in Monte sancto eius.

Dispositio Psalmi 16.

Partes Psalmi 16.

- Orditur à precatione non sine profunda & viua considera-tione periculorum, quibus erat obnoxius. Vbi
  - Præmittit precationem.
  - Reddit causam precationis.
  - Rationem quandam spei suæ subijcit, dicens: Dico Domino, id est, hoc de te sentio, dico, & confiteor, &c.
  - Agnoscit & confitetur vilitatem suam in conspectu Dei.
  - Addit aliam causam, quare petat se à Deo custodiri: Quia, inquit, erga Sanctos, id est, electos tuos, qui sunt in terra tua, videlicet Canaan, omnis mea beneuolentia propendet, quantumuis in exilium eiectus, consortio illorum priuatus sim.
- Deplorat sortem suam, quòd inter gentes idolatras è terra Canaan Saulis malitia eiectus, degere cogatur. Vbi primò ostendit gentes pro vno & vero Deo, deos plures, eosque falsos, colere, ac illis immolare: secundò, sacrificiorum eorum, quæ sunt apud gentes idolatras, se non esse participem.
- Gloriatur de deo cõtra iniquitatẽ impiorum, qua eum ex terra Canaan eiecerant. De quo 1.Reg.26. Vbi
  - Docet etiamsi ex hæreditate sua è terra Canaan eiectus sit, Deum tamen habere portionem, sortem, & hæreditatẽ suam multò præclariorem quàm impij habeant, quibus nulla portio sit in Deo, quantumuis hæreditate illius terra sancta pro libidine abutantur, & soli Domini illius esse videantur. Vbi vtitur metaphora calicis & portionis à consuetudine veterum sumpta, qui in conuiuijs suam vnicuique portionem & calicem peculiariter admetiebantur.
  - Hæreditatem suam deprædicat & extollit, vocans eam amœnam & speciosam. Hac Deum ipsum intelligit.
  - Gratitudinem animi sui erga Deum exprimit, quòd is sibi consuluerit: id est, hunc spiritum dederit, quòd ipsum sortis & hæreditatis loco ellegerit. Per renes autem cogitationes & abditissimos affectus intelligit. Pro increpuerunt, lege erudierunt.
- Animi sui fiduciam, ac spem de Deo conceptam exprimit. Vbi
  - Ostendit se in omnibus tentationibus & periculis à Domino velut hæreditate sua dependere.
  - Rationem fiduciæ suę ponit, sumptam ab experientia diuinæ protectionis, quia Dominus sit à dextris eius: id est, causam illius suscipiat.
  - Gaudium cordis sui commemorat.
  - Addit spem veræ immortalitatis.
  - Per occasionem de Christi resurrectione vaticinatur. Nam & Petrus Act.2, & Paulus Act.13. hunc locum ad Christi resurrectionẽ referunt. Hic verò docet Christum ad vitam anima & corpore vnitis, resurrecturũ, & lætitia ac iucunditate æternæ vitæ fruiturum.

Dispositio Psalmi 17.

PARTES Psalmi 17.

- Opem Dei implorat. Vbi
  - Causam suam Deo commendat, ac innocentiam suam asserit, quòd non sit affectator Regni, ob quam rem à Saule ad necem quærebatur.
  - Testimonium diuinæ cognitionis citat: idq; magnifica & constanti fiducia, quod corde, ore, & externa vitæ conuersatione, pro virili abstinuerit à vijs dissipatoris.
  - Exponit singulariter quid à Deo petat: videlicet vt se in studio veræ pietatis conseruet.
  - Repetit quod versu primo cœperat.
  - Immiscet de fiducia impetrandi, qua se ad inuocandum auxilium Dei promoueri significat.
  - Orationem suam latiùs prosequitur. Vbi
    - Custodiri se petit ab insidijs impiorum. Vtitur hîc similitudine pupillæ & vmbræ alarum.
    - Periculum exprimit, à cuius facie ad alas diuinæ protectionis confugiebat.
- Habet querimoniam de
  - Impiorum ac inimicorum suorum potentia, quam dictione adipis metaphoricè notat.
  - Eo, quòd potentes inimici eius cõcluserint & conspirauerint aduersum se.
  - Superba eorum præsumptione, qua propter potentiam inflati, grandia & horrenda contra se loquebantur.
  - Malitia & sedulitate in se persequendo, per similitudinem venationis expressa.
  - Periculi præsentia, quam similitudine à sagittarijs sumpta expressit.
  - Ferocia & credulitate Saulis, quam Leoni comparat.
  - Insidijs, quas similitudine catulorum Leonis exprimit.
- Redit ad precationẽ. Vbi
  - Exprimit animi sui mœsti suspiria.
  - Describit aduersarios, dum viros huius seculi eos vocat.
  - Fiduciam suam de futura fœlicitate conceptam, impiorum conatibus, fortunis & delitijs opponit.

Dispositio Psalmi 18.

PARTES Psalmi 18.

- Exprimit suum erga Deum affectum. Vbi
  - Deum ipsum alloquitur, cuius amore se flagrare dicit.
  - Subijcit encomia liberatoris sui, vbi nouem elogia Dei ponit, quibus commemorationem beneficiorum ab illo acceptorum breuiter cõplectitur.
- Admirandã dei erga se beneuolentiam prædicat, qua inuocãtes se eripit, & seruat. Vbi
  - Ostendit in quantis malis constitutus Deum inuocauerit. Faciunt ad amplificationem periculorum, metaphoricæ illæ locutiones, funes mortis, torrentes Belial, funes sepulchri, laquei mortis, &c.
  - Subijcit quid in angustijs constitutus fecerit, & quò confugerit.
  - Aperit quid factum sit à Deo postquam clamorem suum in cœlo audisset. Inducit autem Deum ira cõmotum, ad formam Regis alicuius potentis, quia suis excitatus & imploratus, consurgit iratus, exercitum educit, & in hostes magna animi indignatione impetum facit, & suos liberat. Vt autem potentiam Dei ob oculos ponat, tempestatis descriptionẽ, eamque horrendam inducit, qua Dominus sæpe furorem suum contra impios exeruit, & ostendit. Hîc verò vehementiam iræ Dei, festinam Dei properationem ad sumendas pœnas, conflictum Dei cum hostibus, metaphoricis locutionibus describit.
  - Innuit quomodo à Deo ad clamorẽ suum excitato & irato liberatus fuerit. Vbi quod metaphoricè dixit, clarissimis etiam verbis exponit.
  - Subijcit quàm integrè & iustè se gesserit, non coram hominibus tantùm, sed & coram Deo.
  - Docet Deum iusticiæ ac integritatis suæ rationem habere.
  - Ostendit Deum erga bonos & integros bonum & integrum sese præstare, & econtra.
  - Subijcit argumenta vnde constet, Deum bonum esse bonis. Meminit autem beneficiorum, quæ populus Israel & ipse à Deo acceperit. Vbi per tenebras, tribulationes, per lucem, qua tenebræ discutiuntur, restitutam rerum prosperitatem intelligit.
- Integritatem Dei, & sequentia. Vide literam A.

A. Integri-

A. Integritatē Dei prædicat per exclamationem. Vbi
- Docet quicquid Deus cum suis egerit, id totum integrum esse.
- Exprobrat dijs gentium: idque per collationem.
- Prædicat quàm varijs virtutibus ad bella gerenda necessarijs, diuinitùs fuerit instructus.
- Canit de victorijs, quas, ope diuina adiutus, ab hostibus reportârit: quas omnes Deo, non suis viribus adscribit.

Gratias agit Deo
- Quòd à contentionibus, id est, insidijs populi ereptus sit.
- De exuberantia diuinæ virtutis erga se declarata, qua non modò supra Israel, sed etiam alias vicinas gentes exaltatus erat.

Cōcludit Psalmum. Vbi
- Complectitur ōmnia beneficia diuinitùs sibi tanquam Regi & vncto impensa.
- Votum facit non in præsenti modò, sed & in posterum beneficentiam Dei se celebraturum.
- Addit rationem voti.

Dispositio Psalmi 19.

Partes Psalmi 19.

Extollit duo maxima Dei beneficia, quæ gloriam diuinæ maiestatis commendant: quorum alterum est

Vniuersale, quod gloriam dei oculis spectandum omnibus mortalibus proponit. Vbi
- Gloriam Dei per cœlos enarrari, id est, ostentari dicit.
- Prædicat admirabilem illam & constantem dierū ac noctium vicissitudinem, quæ certè ex ineffabili illo cœlorum & ornatus illius opificio prouenit. Innuit autē nullam esse diem aut noctem, qua non adferatur aliquid noui, vnde gloria Dei illustretur. Et ipsa quoque quotidianæ renouationis facies gloriam Dei renouare videtur.
- Auxesim gloriæ Dei in opificio cœlorum & dispositione dierum ac noctium prælucentis prædicat. Etsi enim hæc muta sint, quòd ad vocem & verba attinet, nihilominus tamen gloriam Dei, quauis sonorissima etiam voce clariùs deprædicant, vt non sit angulus orbis aliquis, vbi vocalissima eorum cōcio non audiatur. Generalis enim erga quosuis mortales hæc Dei beneficentia est, qua diem, noctem, cœlos, Solem. &c. cōmuniter omnibus vbiq; totius orbis nationibus impertit.
- Digreditur ad celebrandum illustrissimum illud Solis opificium, quo & cœlorum machina splēdidissimè cernatur, & totus orbis illustratur. Vbi
  - Commendat hoc opus Dei ab ornatu iucundissimi splendoris, præcipuè quòd ipsius ortum concernit, qui solet esse splendidissimus, quem cōparat sponso, è thalamo suo in ornatu nuptiali progredienti, & omnium in se oculos conuertenti.
  - Gloriam Dei in Sole à velocitate cōmendat, quā summo miraculo vastos illos cœlorum cāpos vnius diei spacio percurrit, & quum id quotidie faciat, nihilo tamen lassatur. Et hoc nomine comparat eum heroi pedibus forti & veloci.
  - Celebrat Solem à virtute calefaciendi, quam adeò effundat circumquaque, vt cuncta per illam foueantur, quæ sanè tanta est, vt & metalla in ipso telluris gremio concoquat.

Particulare, & sequentia. Vide literam A.

Habet peccatorū suorū, quæ ex lege Dei cognouit cōfessionem. Vbi
- Petit sibi ignosci.
- Commendat se gratiæ ac beneuolentiæ Dei, orans vt eloquia oris sui: id est, laudes, ac orationes suæ Deo probentur.
- Ostendit vnde eloquia oris sui promanent: videlicet ex fiducia erga Deum, qua credebat se Deum habere rupem & redemptorem suum.

A Particulare, quod Iudæis singulariter præ reliquis nationibus diuinitùs est cōcessum. Vbi extollit Legē Dei, seu verbum ab

- Insignibus nominibus. Vocat enim Legem Domini, Testimonium Domini, eò quòd de voluntate Dei testetur. Itē Mandata Domini, quòd habeat ea, quæ Israeli seruāda diuinitùs mandabantur. Item præceptum Domini, quòd quædam facienda præcipiat, quædā vetet. Item vocat timorem Domini, eò quòd timorem ac cultum Dei doceat. Item Iudicia Domini, eò quòd iudicia Domini contra transgressores comminetur.
- Epithetis & elogijs Legis Dei. Vocat enim Legem perfectam, testimonium fidele: id est, certum, verum, firmum. Mandata recta: id est plana & æqua, ad similitudinem viæ, quæ plana est. Item Præceptum lucidum, quod nihil habet obscuri. Timorem mundum: id est, syncerum, eò quòd Deum puro & simplici corde colendum esse docet. Item iudicia vera, nihil iniqua habentia.
- Effectibus, seu operationibus Legis diuinæ, quæ sunt,
  - Conuertere.
  - Erudire.
  - Lætificare corda.
  - Illuminare oculos mentis: id est, dare cognitionem Dei & nostri.
  - Docere Dei timorem.

Dispositio Psalmi 20.

PARTES Psalmi 20.

- Orant Cantores, quibus Psalmus hic à Dauide compositus ad cantandū datus est, vt interea, dum ille prælium aduersus impios initurus, ad Deum oraret, & sacrificia præmitteret, à Deo exaudiatur, exaltetur, adiuuetur, & ad impletionem consilij sui consequatur.
- Subijciunt precationi præmissæ spē suam de futura victoria, quā Rex ab hostibus impijs, diuino auxilio adiutus, reportaturus sit. Vbi
  - Significant niti se fiducia ac spe diuini nominis, & ea spe fretos parare se ad prælium, nec defuturum Deum Regis suppetitionibus, eò quòd propter nomen Domini conflicturi sint, contra illius hostes & blasphematores nominis diuini.
  - Inducitur quisque pius è populo Dei, vt singulatim spem suam ac fiduciam exprimant: Nunc cognoui, inquit, &c.
  - Opponunt spem suam terrori, quem hostes multitudine curruum & equorum inferre & incutere, indeque victoriam reportare moliebantur.
  - Vaticinantur longè alium prælij exitum futurum, quàm quem hostes sibi pollicebantur.
  - Repetunt quod versu 6. scire se cecinerunt: quòd videlicet Dominus seruaturus sit Regem.

Dispositio Psalmi 21.

PARTES Psalmi 21.

- Prædicat populus beneficia, quæ Dauidi contra hostes suos contulit Deus. Vbi
  - Regem suum beatum prædicant, dum eum summo gaudio propter diuinam virtutem exultare dicunt.
  - Subijciunt de immensa Dei gratia, & beneuolentia erga Dauidem, qua illi, quicquid desiderauerit, præstiterit.
  - Subdunt rationem præcedentis sententiæ, vbi ostendunt hæc omnia non nisi ex mera Dei bonitate contingere.
  - Significant vsqueadeò charum fuisse Dauidem Domino, vt illi non modò quæ petijsset, sed & plura & cumulatiùs etiam, quàm petijsset, præstiterit. Cùm enim peteret, ne per hostes vita spoliaretur, longæuam etiam vitam, quam non petierat, consecutus est.
  - Prædicant gloriam illam, quæ Dauidi ex victorijs accessit. Vnde declarabatur adiuuari illum diuinitùs.
  - Significant hæc omnia non nisi ex diuino profecta esse fauore, quo Dauidem suum Deus indesinenter exhilarare voluerit.
  - Causam subdunt, propter quam Dauid Rex populi semper victor euaserit.
- Celebrant potentiam Dei, qua impios perdat. Vbi
  - Facillimum esse Deo indicant, hostes suos perdere.
  - Vehementiam iræ Dei, qua inimicos perditurus sit, per collationem exprimunt. Iram enim Domini igni comparant.
  - Exaggerant diuinum iudicium erga impios, quomodo non tantùm ipsos impios, sed & posteritatem eorum sit extincturus.
  - Adferunt rationem tantæ iræ Dei, & plagæ aduersus impios: Quoniam, inquit, intenderunt malum, &c.
  - Ostēdunt quomodo Deus plagas suas directurus sit cōtra hostes: videlicet vt solent illi, qui sagittis suis in eos collimāt, quos perdere ac cōficere moliuntur.
- Cōcludūt psalmum epiphonemate. Vbi
  - Excitant potentiam Dei aduersus impios
  - Pollicentur se, potentiam Dei, tanquam hostium victricem, canticis & Psalmis celebraturos.

Dispositio Psalmi 22.

PARTES Psalmi 22.

- Exprimit animũ summis & extremis angustijs occupatũ, & potẽtissima desperationis tẽtatione adobrutũ. Nõ enim fuisse desperationem, sed desperationis tẽtationẽ, liquet ex his verbis, quæ aliquoties repetit: Deus meus, &c. quibus ostẽdit, agnoscere se Deum suum, etiam si deserere videatur. Vbi
  - Ostendit summum cordis dolorem, & fortissimam desperationis tentationem.
  - Commemorat intentionem clamoris sui, & irrequietam ac indefessam inuocationem pro auxilio. Intelligit autem clamorem non vocalem, sed mentalem.
  - Succurrit tentationi ac luctationi spei & fiduciæ in Deum, exemplo Patrum ac maiorum, quos Deus in se sperantes non dereliquit, sed exaudiuit. Propterea velut admirabundus dicit: Cùm sis tu Deus ille, qui promisisti te habitaturũ in Sanctuario, in medio populi tui, & veritatem promissionis tuæ Patribus nostris ostenderis, qui fit vt me clamantem ad te non exaudias?
  - Subiungit quid sibi contingat: nempe longè diuersum, quàm patribus. Illi enim ad Deum clamantes non sunt confusi: se verò ita confundi, vt factus sit omnibus contemptus & probrum.
  - Ostendit vehementiam probri & contemptus sui: Omnes, inquit, videntes me, derident me, &c.
  - Recenset verba aduersariorum per Mimesim, quibus vanitatem spei, & indignationem illi obiecerunt.
  - Vt re ipsa euincat Deum esse Deũm: id est, protectorẽ & saluatorẽ suũ etiãsi in præsenti tentatione contrariũ appareat, producit ea, quæ nõ adulto & in tribulationibus ad Deum clamanti, opemq; diuinam scienter imploranti: sed per auxesim ea potius, quæ rerum omnium ignaro sine omni merito, denique sine omni imploratione præstita fuerunt, vtpotè quòd ope Dei ex vtero matris extractus, ab vtero matris in curam & sustentationem Dei proiectus fuerit, &c.
  - Ad preces iterũ reuertitur, orãs ne rebus tristibus ingruentibus à se Deus recedat.
  - Docet, quæ sit illa angustia, quã proximè acceperit quæ ad tã anxios clamores, & diuinæ protectionis opẽ implorandã eum impulerit. Vbi quæritur de
    - Multitudine aduersariorum, se vnicum ac desertum oppugnantium.
    - Viribus, potentia & ferocia aduersariorum, quos tauris pinguibus comparat.
    - Præsentia periculi, cùm se iam ab hostibus circundatum esse dicit.
    - Crudelitate aduersariorum: eos enim Leoni comparat.
  - Commemorat quanto metu sit consternatus, & quomodo aduersariorũ impetu exanimatus. Enumerat autẽ sex signa euidẽtissima formidinis & anxietatis maximæ. Quòd
    - Anima & corpus eò iam redacta sint, vt instar aquæ diffluant. Id quod de deiectione animi & corporis intelligi potest.
    - Nullum sit ex omnibus ossibus suis & membris, quod officium suum facere possit.
    - Cor suum instar ceræ liquefactum sit.
    - Omnis succus vitalis omnesq; vires corporis præ nimio metu instar testæ exaruerint.
    - Lingua præ nimia siccitate palato adhæserit.
    - Nihil iam supersit, nisi vt iam instar mortui sepeliatur.
  - Redit ad id quod cœperat de aduersariorum crudelitate & ferocia, quam alia inducta similitudine declarat, & quid corpori suo intulerint, recenset. Quomodo autem hæc Christo etiam ipsi conueniant Euangelicæ historiæ declarant.
  - Redit post incertas afflictionum querelas, ad precem, quam cœperat: orans ne procul à se discedat. Vbi periculi præsentiam iterum ob oculos ponit, dum commemorat gladium, canes, leonem, &c.
  - Aperit quo fine opem Dei implorauerit: videlicet vt esset copia & occasio landandi nominis Dei inter fratres: id est, fideles Domini. Videtur enim interire omnis occasio laudandi nominis Dei, quando mortalibus nihil apparet aliud in afflictis, quàm frustrà sperari in Dominum, & opem illius frustà inuocari ab afflictis.
- Hortatur, Vaticinatur, & seq. Vide literam A.

A.
- Hortatur omnes ad laudādum Deū. Vbi
  - Alloquitur timentes Deum, & monet vt Deum glorificent.
  - Reddit rationem adhortationis.
  - Quod alios facere iussit, videlicet Deum laudare atque timere, hoc se quoque facturum pollicetur.
  - Innuit quid Deum laudantibus à Domino præstetur.
- Vaticinatur de amplitudine Regni Christi. Vbi
  - Docet non solos Iudæos, sed & alias nationes ad Regnum Christi pertinere.
  - Addit rationem, vnde hoc colligat: nempe quòd Domini sit Regnum.
  - Innuit Christum agnituros & adoraturos, non miseros tantùm & pauperes, sed & potentes, quos hic pingues terræ vocat.
  - Exprimit qui sint seruituri Domino: videlicet credentes, quos hic Dauid semen Christi vocat.
  - Subijcit omnes fideles Deum laudaturos.
  - Innuit Apostolos, ac alios verbi Dei Ministros, à Domino mittendos venturos esse & prædicaturos iusticiam, quæ ex fide est, ex quorum prædicatione nasci debeat semen ad Christum pertinens.

Dispositio Psalmi 23.

PARTES Psalmi 23.
- Proponit summam totius Psalmi. Nam primo versu verbis paucissimis comprehendit omnia, quæ dicturus est: Omnia, inquit, mihi abundè sufficiant, quia Pastorem habeo Dominum.
- Recenset ea, quæ vt ouibus necessaria sunt, ita Dominus bonus ille Pastor summo studio procuret.
  - Quia gregi de bonis pascuis prouideat. Pascua hæc sunt verbū Dei.
  - Quia gregem pastum, instar boni Pastoris adaquatum minet. Adaquatio ista consolationem Spiritus sancti significat, per quam animæ afflictæ sitis & æstus extinguitur.
  - Quia oues itinere recto & commodo ad pascua ducat, & ex pascuis ad ouilia reducat. Necesse enim est, vt ouiculæ ducantur. & ita ducantur, vt Pastor eas precedat, non sequatur. Deinde non solùm opus est, vt educantur, sed vt commodo & rectò itinere ducantur: id est, non difficili, non molesto, non lutoso, non montoso, non dumoso sed plano, & æquo.
  - Quia præsens diligentem curam & custodiam contra insidias & insultus bestiarum impendat, vt in periculosissimis etiam locis oues tutæ & securæ sint. Parabolicos enim omnes causas periculosas vallem vmbræ mortis vocat.
  - Quia Disciplina & custodia sua non destituat oues. Hoc significat virga & baculus pastoris. Nam ita solent & Pastores boni in educendo & custodiendo ouiculas, virga & baculo vti. Virga ad minādum, ad coercendum, ad impellendum: Baculo ad innitendum & quiescendum interim dum gregi pascenti fideliter astant. Iam quia satius est virga Pastoris ouem impelli & castigari ne pereat, quàm in bestiarum dentes incidere, rectè Dauid de virga & baculo Pastoris sui gloriatur. Virga enim disciplinæ, in viam cogimur, alioqui aberraturi, deinde ad domum reuocamur. Hinc etiam intelligimus custodiam & fidem paternam & dilectionem, quòd ab eo castigamur.
  - Quod hostibus ouium deuictis mensam omnibus paret: id est, reficiat & lætificet eos, quod dictione olei significat. Item largiatur suis dona, iuxta cuiuslibet mensuram, quod dictione calicis significat.
- Conclusio, in qua ostendit, cui id totum acceptum ferat: videlicet non iusticiæ aut merito suo, sed bonitati ac benignitati Dei.

Dispositio

Dispositio Psalmi 24.

PARTES Psalmi 24.

Dignitatē populi dei, templi Dei, mōtis Dei Sion cōmēdat Propheta, per cōparationem totius reliquæ terræ. Vbi

- Vtitur collatione totius terræ erga istum locum diuinæ habitationis: Etsi,inquit,omnis terra Dei est,non minùs quàm iste locus, nihilominus hic dignata est sedem figere diuina illa maiestas.
- Prædicat non solùm Dominium Dei,quod habet in terram, sed simul commendat ipsius sapientiam,industriam,omnipotentiam in fundando & parando terram. Nam ædificaturi homines, magnasque moles fundaturi,non in liquidum, sed in solidum fundamenta iaciunt. At contra Dominus tantam machinam superstruxit aquis,elemento omnium liquidissimo.

Canit qui verè digni sint habitatione montis huius Dei. Vbi

- Per interrogationis vehementiam,quasi admirabundus dicit: Quis ascendit in montem Domini? quasi dicat, quibusuis datus est in terra habitandi & consistendi locus: verùm,quis tandem ille est, qui ascendere mereatur? id est, qui dignè ascendat in montem ipsum Dei,qui consistat in loco sanctitatis eius?
- Respondet ad propositam quæstionem, ostendens quis ille sit, qui dignus habeatur ad hoc,vt ascendat in montem Dei. Is verò est mundus manibus,corde & ore.
- Ostendit quid expectare debeat,qui mundis manibus, mundo corde & ore montem Domini ascenderit,& coram Deo steterit,nēpe benedictionem: id est,beneficentiam singularem, & bonitatem Dei erga se.
- Declarat qui sint,de quibus loquitur: Qui videlicet puri corde,manu & ore ad montem Domini ascendunt. Nempe qui Dominum quærunt,& faciem eius inuisunt.

Gloriatur in ædificatione domus dei, in habitationeq; diuini nominis. Vbi

- Alloquitur per prosopopeiam portas domus Dei nondum existētes, hortaturque vt properè struantur,festinentque ad excipiendum Dominum,ac Regem gloriæ. Intelligit autem per portas totam domum,per synechdochē. Verùm interea singulari affectu portas alloquitur,vtpotè per quas erat ingressurus Dominus. Fores vocat æternas respectu sedium, quas antea incertas & vagabundas habuerunt. Primùm in deserto: deinde in Gilgal: posteà in Siloh: quartò in terra Philistim: quintò in Bethsemet: sextò in Kiriathiarim: septimò in domo Obededom: octauò in ciuitate Dauid: nonò demū in templo Hierosolymitano solidam mansionem inuenit,vbi ad desolationem vsque mansit domus Dei.
- Portis tribuit interrogationem,quasi gloriantibus præ gaudio futuri ingressus gloriosi Regis.
- Respondet portis pari gaudio & exultatione,dicens: Dominus fortis & potens,&c.

Dispositio Psalmi 25.

PARTES Psalmi 25.

Significat ad vnum se Dominum Deum suum confugere in tribulationibus. Vbi

- Præmittit propositionem,quòd à solo Deo dependeat.
- Reddit rationem cur animam suam ad Deum leuet, vel à Deo dependeat: quòd scilicet esset Deus ipsius ac in ipso confideret.
- Subijcit petitionem: Ne pudefiam,inquit:id est,ne frustrà in te sperasse videar.
- Significat non agere se hac confusionis deprecatione suam ipsius causā, sed magis sollicitum de gloria Dei,ne illa apud eos extinguatur,qui simili modo opem ab illo expectant.
- Precatur confusionem impijs.

Instituit precationem,& sequentia. Vide literam A.

A. Instituit precationem. Vbi

- Petit vt notam sibi faciat voluntatem suam, iuxta quam viuat, & ambulet.
- Assignat rationes cur hæc à Deo postulet.
- Nititur fidei ac spei fundamento, ostendens Deum esse misericordem & bonum. Vbi se potius quàm Deum, operum miserationum illius admonet.
- Damnat sua delicta, imò totam anteactam vitam, quæ oranti illi, in mentem venit, quam agnoscit ita turpem esse, vt precetur Deum, quatenus illius planè obliuiscatur. Quod quidē humano more dicit, cùm nulla in Deum cadat obliuio.
- Redit ad institutam precem de cognoscenda via Domini, seque in illa speranda & obtinenda respectu & fiducia bonitatis Dei, contra obiectum propriæ indignitatis confirmat.
- Subijcit de quibus peccatoribus loquatur: videlicet humilibus & mansuetis, id quod & sequenti versu declarat.
- Mentione fœderis & testimoniorum Dei, iterum admonetur transgressionum suarum. Mordetur conscientia peccati denuò, vnde iterum orare cogitur veniam peccatis.
- Extollit per digressionem beatitudinē eius viri, qui Dominum verè metuit, & colit, qui transgredi mandata illius non ausit. Incipit autem commemorare per partes, quæ sit timentis Dominum beatitudo, Quòd
  - Donatur cognitione voluntatis Dei, vt sciat qua in re gratificetur creatori suo.
  - Animo donatur quieto & securo, idque constanter.
  - Semen eius prosperè habebit, & potietur beneficio fœderis diuini: quod quidem fœdus ad timentes Dominum pertinet.
- Redit ad institutum suum, quo diuinā opem implorare cœpit. Vbi
  - Commemorat fiduciam suam & spem, qua semper fuerit erga Dominum.
  - Experientiam operis & benignitatis diuinæ rationis loco subijcit, ad sustentandam fiduciam suam.
  - Petit in summa quatuor à Deo: Vt
    - Ab hostium infestatione liberetur.
    - Remittantur peccata.
    - In æquitate & integritate conseruetur.
    - Deus populum suum liberet.

Dispositio Psalmi 26.

PARTES Psalmi 26.

- Innocentia sua fretus, causam suam, quam habebat aduersus domum Saulis exul & proiectus, iudicio iusti Iudicis iudicandum offert.
- Post implorationem iusti Iudicis vitæ suæ cursum & institutum declarat, taleque esse ostendit, in quod ea facinora, quæ sibi falsò imputabantur, cadere non potuerunt. Vbi duo commemorat.
  - Qua fuerit semper pietate erga Deum.
  - Quàm studuerit malum fugere: quod faciunt, qui veram in Deum pietatem custodiunt. Interea tacitè describit, quales habuerit Aulicos regnum Saulis. Vocat eos vanos, subdolos, malitiosos, impios, peccatores, viros sanguinum.
- Subiungit precationē, in qua orat, ne similis habeatur istis improbis: ne illis coniungatur, & particeps habeatur delictorum, & supplicij illorum.

Dispositio Psalmi 27.

PARTES Psalmi 27.

- Commemorat quàm sit infracto animo, & ab omni formidine in rebus alioqui periculosis & tristibus vacuo. Ac cuius securitatis causas quoque subiungit, ne videatur de suis, vel aliorum viribus, ac præsidijs, sibi tanta polliceri: Dominus, inquit illuminatio mea, &c.
- Ingens animi desiderium exprimit erga domum & tabernaculũ dei. Vbi
  - Ostendit se præ omnibus bonis, quibus liceat in hac vita frui, vnum hoc extollere, si detur pacifice in domo Dei habitare.
  - Significat quid in domo Dei agere cupiat. Vt
    - Contempletur quàm sit suauis, iucundus, illustris & splendidus Dominus in iudicijs suis. Et addit huius rei rationem. Quoniam abscondit me in Tabernaculo: id est, seruauit me suo adiutorio.
    - Immolet Domino hostias cũ iubilo & clangore: id est, summo gaudio.
    - Cantet & laudem dicat Domino.
- Addit at finem pro more suo precationem. Orat autem in
  - Genere, vt mereatur audiri. Huic precationi quædam fiduciæ argumenta intertexit: De te dixit cor meum; Quærite, inquit Dominus, faciem meam: id est, inuocate me, faciem ergo tuam requiram. Deinde vocat se seruum Dei, & Deum dicit esse Deum salutis suæ. Tertiò, se abiectum esse dicit, ita vt ne à parẽtibus quidem suis adiuuari potuerit.
  - Specie pro custodia & defensione contra hostes, vt declaret pro qua re clamet, & in quo se exaudiri petat: Doce, inquit, me viam tuã: id est, quid ego facere debeam, qua via insidias hostium euadam.

Dispositio Psalmi 28.

PARTES Psalmi 28 habet

- Preces in
  - Genere, pro exauditione precum suarum. Vbi
    - Fiduciam impetrandi confirmat, cùm dicit: Petra mea.
    - Magnitudinem periculi exprimit, cùm dicit: Ne similis reddar illis, qui descendunt in foueam.
  - Specie. Orat hîc
    - Pro se, ne permittatur similis fieri illis, qui pacem loquuntur cum proximo, verùm in cordibus malum alunt.
    - Contra hostes, quibus imprecatur vltionem à Deo, eamq; talem, quæ conueniat tantæ improbitati.
    - Pro populo Dei sibi commisso in fine Psalmi, vt Deus illum seruet ab omnibus aduersitatibus.
- Gratiarum actionem cũ exclamatione animi in laudem Dei gestiẽtis. Atq; hîc omnes gratiarum actionis partes ponit: videlicet quòd
  - Dicit vocem precationis suæ à Deo auditam.
  - Ab illo adiutus sit.
  - Ex eo colligat Dominum esse fortitudinem & scutum suum, robur populi, & vncti: id est, Regis.
  - Dicit, Exultat cor meum, & cantico meo laudabo eum.

Dispositio Psalmi 29.

PARTES Psalmi 29.

- Hortatur potentes huius seculi ad agnoscendam gloriam & potentiam Dei.
- Admirandam illam potentiam Domini & potētissimis quibusuis expauescendam, per tempestatis descriptionē illis ob oculos ponit: nimirum in virtute & efficacia vocis illius. Commendat autem eam
  - Ab efficacia tonitrui horrendi in tempestatibus. Nam aquas multas tempestatum nubes vocat.
  - A vehementia & efficacia venti, quam in robustis & sublimioribus arboribus per vehementiam flatus, omnia robusta concutientis, & nonnunquam prosternentis, exercet.
  - A fulgetris, quæ vocat excisas ignis flammas.
  - Ex eo, quòd bestias ac feras deserti (nam desertū pro bestijs deserti ponit) perterrefacit: quod fit in tempestatibus.
  - Iterum à potentia flatus, quòd dicit, Vocem Domini denudare syluas: ramos enim & arbores quoque disijcit.
  - A multitudine aquarum, quas desuper instar diluuij effundit.
  - Ab effectu tempestatis: vt videlicet perterrefacti homines agnoscāt potentiam Dei, Deum timeant, & glorificent.
- Potentiam Dei alioqui tremendam, qualem iam descripsit, populo Dei iucundam facit, promissione victoriæ & pacis.

Dispositio Psalmi 30.

PARTES Psalmi 30.

- Affirmat se laudaturum Dominum, idq́; in seculum.
- Causam reddit, quare velit laudare Dominum, vers. 1. 2. & 11. Vbi
  - Exprimit quod fuerit illud periculū. Aperit se morbo deprehensum, clamasse ad Dominum, & sanatum esse.
  - Commemorat quo animo fuerit in isto longæuo morbo, quod facit vers. 6 7. 8. 9.
- Excitat alios versu. 4. ad laudandum secum Dominū. Vbi
  - Ostendit quos admoneat: videlicet qui beneficiorum Dei gustum perceperunt.
  - Subijcit ingenium diuinæ bonitatis, quod expertus erat vt sæpè, ita & in hoc morbo.

Dispositio Psalmi 31.

PARTES Psalmi 31.

- Magna cum fiducia ad Deum orat,
  - Ne confundatur.
  - Vt exaudiatur, eripiatur, ducatur, & protegatur.
- Magno cum gaudio post acceptam opem diuinam exultat, vers. 7. & 8. Vbi etiam declarat quomodo illam expertus sit.
- Queritur de calamitate sua, qua fuerat adobrutus. Hāc describit bifariam: Quid
  - In seipso expertus sit, ostendit. Quod facit versu. 9. & 10
  - Extrinsecus acciderit, innuit: Habitus suum, inquit, opprobrium, &c. Vbi & magnitudinem horroris & contemptus declarat.
- Iterum ad preces reuertitur, & orat
  - Pro se, vt
    - Liberetur de manu inimicorum suorum.
    - Deus illum diuino suo fauore complectatur. Id quod per metaphoram luminis faciei significat.
  - Contra hostes, quibus confusionem imprecatur.
- Prædicat diuinā bonitatem
  - In genere, à copia & multitudine infinita.
  - Per speciem, quasi exempli vice, eò quòd timētes se tutatur. Id quod apertiùs posteà de se ac suis prædicat, dicens: Benedictus Dominus, &c. Atque hic à veritate etiam bonitatem Dei commendat contra cogitationes tentatæ fidei, quas expertus erat, cùm iam videretur iamiam in manus Saulis cōclusus esse. Vbi veritatē bonitatis Dei, tandem contra omnē expectationem suā expertus est.
- Hortatur & alios, vt diligant Deum, fortique in illum fiducia se muniant.

Dispositio Psalmi 32.

Partes Psalmi 32.

- Exemplũ animi peccatorum pondere pressi & anxij dolorẽ, luctam, cõfessionem & reuelationem in ipso Dauide declarat, vsque ad vers. 8. Vbi
  - Declarat sensisse se iudicium & iram Dei, deprehẽsum spiritus sui dolum, eumque sensum adeò fuisse grauem, vt magna exclamatione beatos pronunciet, quorum sunt peccata à Deo remissa.
  - Exprimit quem dolorem, quam angustiam, quam luctam in animo suo passus sit. Taciturnitas, cuius meminit, opponitur confessioni, quam mox subiungit.
  - Subiungit confessionem peccati ad Deum, & illius clementissimam remissionem.
  - Innuit quid cognitio bonitatis Dei faciat in illis, qui illam tenent: videlicet vt maiori fiducia & ipsi ad Deum pro peccatorum remissione & diuinæ gratiæ impetratione orent. Deinde quòd etiam ab inundatione malorum securi reddantur, qui ista gratia Dei potiuntur.
  - Suo id exemplo probat tutos ac securos futuros ab omnibus malis eos, qui gratiam diuinæ bonitatis adepti sunt.
- Adhortatur pios omnes ad amplectendam Domini doctrinam & disciplinam. Vbi
  - Dicit se exemplo suo ad hoc illis prodesse vt intelligentes reddantur quomodo sit cum Deo ambulandum, & qua ratione acquirenda gratia Dei.
  - Admonet pios ne sint instar animantium brutorum, quæ nisi cogantur, sessori suo non obediunt.
  - Confert impios & pios, & quid vtrosque maneat apud Deum refert & commemorat.
  - Concludit per exclamationem adhortatoriam, dicens: Lætemini iusti, &c.

Dispositio Psalmi 33.

Partes Psalmi 33.

- Excitat iustos ad exaltationem Spiritus in Domino: deinde ad laudandum Deum.
- Reddit causas cur debeant iusti exultare, & Deum laudare. Sumuntur autem rationes
  - A veritate, fide, iusticia, & bonitate Dei.
  - Ab omnipotentia Dei, quam in creatione Mundi considerandã proponit. Vbi ad timorem Dei omnes hortatur.
  - Ab administratione rerum & prouidentia, vel voluntatis Dei efficacia. Nam consilium suum semper in effectum ducit: consilia verò & cogitationes gentium multarum dissipat. Inde per exclamationem subdit: Beata gens, cuius est Deus eius. Quis enim nocere potest ei, qui talem habet Deum?
  - Ab omni scientia & gubernatione rerum omnium, quam commendat primùm in eo, quòd omnia videat: deinde in eo, quòd omnia mortalium opera & instituta intelligat & curet. Opponit autem omnipotentiæ ac prouidentiæ diuinæ vires creaturarũ, & eas omnes inanes ad saluandum esse declarat, vt sunt bellicæ potentissimorum hominum copiæ, Gigantum virtus, equorum robur.
  - A gratia & misericordia Dei erga timẽtes se, quos eripiat, ac tuetur.
- Habet vocem populi Dei, qua velut prioribus monitis correspõdens hæc tria agit:
  - Confitetur populus fiduciam in Deum, qua ab illo totus dependeat.
  - Commemorat qua spe teneatur erga nomen Dei sanctum.
  - Oratione sese pro spe sua bonitati Dei commendat.

Dispositio Psalmi 34.

PARTES Psalmi 34.

- Excitat se & alios ad laudandum Deum.
- Causam reddit, cur Deum laudet, & alios ad laudandum Deum excitet:
  - Quia exauditus & liberatus sit à Domino.
  - Quia alij etiam exaudiantur, & liberabuntur qui festinent ad Dominum.
  - Quòd per Angelos suos Deus fideles suos tutatur.
- Hortatur ad fiduciam, cultum, & timorem Domini, adiectis argumentis partim à bonitate dei erga suos, partim ex illius iusto iudicio & seueritate erga impios sumptis.
- Subdit quid operetur timor Dei:
  - Coercet linguam.
  - Malitiæ non studet.
  - Beneficentiæ studet.
  - Pacem sectatur.
- Docet timentes Dominum gratia Dei frui perpetuò, qua fit, vt in malis non deserantur, sed liberentur: cùm interea eo bono careant impij.

Dispositio Psalmi 35.

PARTES Psalmi 35.

- Habet orationem
  - Pro se, vt protegatur.
  - Contra aduersarios, quibus pœnas meritas imprecatur. Hæc omnia non certo ordine iuxta versuum seriem persequitur. Facit hæc versu. 1.2.3. 4.5.6.8.17.19.22.23.24.25.26.
- Querimoniam habet super malitia aduersariorum, quā in cōspectu iusti Iudicis effundit, recensens quid ab illis patiatur mali, idque quā iniquè. Agit hoc vers. 7.11.12 13. 14. 15.16.20.21. Queritur autem quòd
  - Ad interitum foueam animæ suæ parauerint.
  - Fraude aduersum se vsi sint.
  - Lætati sint super calamitates ipsius.
  - Deriserint eum aduersarij.
  - In vnum aduersum se conuenerint & conspirauerint. Immiscet autem & innocentiam suam, quòd immeritò ista ab illis patiatur. Commemorat etiam quomodo amico animo erga ipsos fuerit affectus, beneficiumque illis intulerit, cui ipsi malè, malumque pro bono reddentes, responderint.
- Fiduciam habet & spem futuri auxilij & gaudium de accepta liberatione. Pollicetur que non solùm per se, sed & per eos, qui aliquā iusticiæ & innocentiæ suæ rationem habebant gratiarum actionem reddendam. Aguntur ista versu. 9.10.18.27.& 28.

Dispositio Psalmi 36.

PARTES Psalmi 36.

- Ostendit quis sit fons impiæ vitæ, qui fructus, quæ studia. Vbi
  - Ostendit quid impietatis animaduerterit in reprobis: videlicet contemptum Dei, & animum nullo timore præditum.
  - Causam reddit, quare impij destituti sint omni timore Dei: videlicet quia placent sibijpsis.
  - Subiungit quid contemptus Dei mereatur: videlicet odium Dei. Contemptū Dei ex ipsis fructibus docet ac probat. Hi sunt cogitata, dicta, & opera mala, maximè si accedat pertinax constantia.
- Ex propensa impiorum malitia considerat & commendat bonitatem Dei generalem illam, qua bonus est ita excellenter, vt deploratis etiam reprobis benefaciat. Facit id versu. 5. 6. 7.8.9 Vbi primò commendat bonitatem Dei ab excellentia & infinita copia, quæ tanta sit, vt terram sursum ad cœlos vsque, & infrà ad abditissimos vsque abyssos, repleat. Secundò, ostendit in summa, quibus rebus benefaciat Deus: generaliter omnibus, etiam impijs, dat vitam, lucem, pastum, custodit, & protegit.
- Orat pro defensione & conseruatione tam aliorum, qui Deum cognoscunt, quàm sui.

Dispositio

Dispositio Psalmi 37.

PARTES Psalmi 37.

- Hortatur ad studium pietatis,& ab his, quæ ab illo auocant dehortatur: vtpotè quæ pietatis studiosos, nisi cauti sint,infestissima sunt. Vbi
  - Admonet ne pius inuideat,aut indignetur malorum prosperitati.
  - Reddit causam propositionis,cur illis inuidere non debent: quia videlicet citò pereunt malitiosi. Atque id similitudine virentis herbæ declarat,quæ diu virere non potest.
  - Hortatur ad spem, beneficentiam,honestum victum,& delectationẽ in Domino.
  - Subijcit rationem adhortationis,adiecta promissione.
  - Redit ad id quod 1.& 2.versu cœpit, iubens vt animo simus quieto, sileamus propter Dominum , illius respectu, permittentes illius prouidentiæ corrigenda,quæ corrigenda videntur, & vindictæ vltionem etsi tardauerit,illum expectemus,néue prosperitati impiorum indignemur.
  - Addit rationem suprà positam : Quia impij exterminabuntur,pij manebunt. Vbi tria minatur reprobis: primò,exterminium: secundò,velox exterminium: tertiò,omnimodum.
- Occurrit tentationibus,quibus moueri poterant imbecilles fide. Quarũ
  - Est,quòd impij iustos perpetuo odio,insidijs, & quibusuis malis persequantur. Hic consolatur pios Propheta, quòd conatus hostium irritus,vanus,& illis ipsis exitiosus erit. Hanc tentationem & eius antidotum,infrà versu 32.& 33 repetit.
  - Quòd impij magnis diuitijs abundant in hoc seculo , quibus omnia contra pios posse videntur. Isti tentationi occurrit Vates à versu 16.ad 26.declarans modicam iusti substantiam maximis impiorũ opibus longè præstantiorem esse,& adfert huius rei causas. Primùm,ab instabilitate diuitiarum,& potentiæ impiorum. Secundò, quòd dies iustorum Deo sint curæ. Tertiò, quòd iusti tempore aduerso non deserentur,non pudefient,& indiebus famis saturabuntur. Posteà redit ad id , quod versu 16.cœperat: declarans quòd non solum sibijpsi satis habeat iustus,sed ita animatus sit in modica illa facultate,vt & alijs ex illa succurrat.
- Redit ad principalem propositionẽ, quæ est, non esse deserendum iustitiæ studium, propter temporalẽ impiorum prosperitatem. Vbi
  - Monet vt recedatur à malo,& incumbatur beneficentiæ.
  - Huic studio innocentiæ annectit promissionem pacis & quietis.
  - Argumenta subijcit,quibus & fidem faciat isti pollicitationi, de quieta & secura terræ inhabitatione,& studium innocentiæ persuadeat. Sunt autem illa primùm de ingenio Dei, qui iudiciũ diligat: deinde de ingenio iusti,quod est delectari meditatione iusticiæ.
- Concludit versu 34.Psalmum adhortatione ad patiẽtiam, qua patienter expectatur auxilium Dei,& ad studium pietatis. Id vt facilius persuadeat,de sorte piorum & impiorum pluribus differit,idque per admonitionem. Iubet enim prouidentiam Dei animaduertere in pijs & in impijs.

Dispositio Psalmi 38.

PARTES Psalmi 38.

- Orat ad Dominũ. Vbi duo facit:
  - Deprecatur iram & furorem Dei,versu 1.
  - Auxilium à Deo precatur,quod duobus vltimis versibus facit.
- Queritur se grauiter affligi cum grauitate morbi, tum onere peccatorũ, & perfidia suorũ. Vbi
  - Morbum suum apertè Deo adscribit,dum dicit illum sagittas & manum Domini.
  - Concussionem cùm animi tum corporis ex vlcere queritur.
  - Reddit causam turbationis,cùm dicit: Propter iram tuam, propter peccatum meum.
  - Conscientiam Dei appellat,cùm dicit: Coram te desiderium meum.
  - Exaggerat dolorem,ac deiectionem suam: Cor meum , inquit, circumiactatur,non tantùm caro titubat.
  - Queritur de his,quæ extrinsecus ita calamitoso acciderunt. Idque non solùm ab inimicis,sed etiam amicis. Id facit vers. 12.13.14.16.17.18.19.20.

Dispositio Psalmi 39.

PARTES Psalmi 39.

- Commemorat quomodo in præsentia inimicorum suorum siluērit, doloremq; suum tacitus presserit. Id facit versu 1.2.3.& *9.*
- Complectitur querimoniam suam, in quam post diuturnum silentium erūpit ad Deum. Vbi
  - Petit instrui, quàm citò sit de hac vita tollendus, & istam vitæ vanitatem superaturus. Ad hanc orationem impulit eum grauis & diuturnus morbus, & malitia hominum, vt cupiat quàm citissimè hinc migrare.
  - Fatetur humanæ vitæ, cùm in seipso, tum in vniuersis mortalibus breuitatem & vanitatem, & vtrumque similitudine pugilli & vmbræ depingit.
  - Subijcit vitam mortalium esse non solùm breuem & vanam, sed simul esse & miseram, & inanibus curis plenam.
  - Colligit ex his spem nostram in Deum locandam esse.
- Habet precationem querimoniæ subiectam. Vbi
  - Precatur remissionem peccatorum, quorum gratiâ agnoscit se diuinitùs & meritò corripi.
  - Ostendit cur petat ab ista plaga liberari: videlicet ne impiorum ludibrio exponatur.
  - Repetit quo fuerit aduersus impiorum insidias silentio & patientia, & addit causam, quòd sciret hanc plagam manum esse Domini.
  - Precatur amolitionem plagæ, & subtexit argumentum commiserationi accommodum: A vulnere, inquit, manus tuæ ego defeci.
  - Declarat rationem, quare Deus ita soleat corripere mortales: videlicet primùm propter peccata: deinde vt à peccatis arceantur.
  - Orat suppliciter exaudiri clamorem suum.
  - Reddit rationem à vitæ huius qualitate, idque per similitudinem peregrini.
  - Petit doloris remissionem, qui nisi remittatur, planè sit exitium allaturus.

Dispositio Psalmi 40.

PARTES Psalmi 40.

- Extollit bonitatē Dei quæ sperātes in se, & in tribulationibus ad se clamantes exaudit. Vbi
  - Innuit se exauditum & adiutum fuisse à Domino, sub parabola extractionis de fouea profunda, limosa & aquosa: & exaltationis in petram tutissimam.
  - Aperit ad quid ex hac auditione motus sit: videlicet ad Cāticū nouū.
  - Ostendit in quem vsum hoc Canticum instituerit: videlicet vt & alij cognoscant Dominum, & timeant.
  - Beatum prædicat eum, qui spem suam in Deum ponit.
- Complectitur animi gratitudinem, gestientis sese totum diuinæ voluntati & gloriæ Dei amplificandæ consecrare. Vbi
  - Prædicat in genere omnia beneficia Dei, quæ populo iam olim exhibuit. Commēdat autem illa à tribus: A
    - Multitudine, quòd tanta sint, vt sint innumerabilia.
    - Magnificentia, quòd scilicet non sint vulgaria, sed admirabilia.
    - Singulari bonitatis studio, cùm dicit: Et cogitationum, seu studiorum tuorum non potest iniri ratio.
  - Exhibet se paratū ad diuinæ voluntatis nutum. Id facit ver. *6.7.8.9.* 10. Vbi
    - Deijcit opinionē sacrificiorum, quibus Deo nihil possit gratificari.
    - Aliam gratificandi Deo rationem subiungit, & offert: Aures, inquit, perfodisti mihi: id est, in obedientiam voluntatis tuæ me consecrasti.
    - Offert se promptum & voluntarium ad obedientiam Dei, in quam agnoscit se consecratum, & volumini, id est, verbo Dei deditum.
    - Prædicationem & commendationem beneficiorum Dei sedulam pollicetur.
- Habet precationem, & sequentia. Vide literam A.

A. Habet

A. Habet precationem pro auxilio contra hostes impetrando. Vbi

- Misericordiam Dei implorat, bonitatique & fidei illius custodiendæ se commendat.
- Rationem subiungit cur misericordiam Dei imploret: videlicet quòd afflictionibus prematur, & quòd istæ afflictiones sint flagellum peccatorum suorum, quorum, nullus sit numerus.
- Queritur de angustia cordis sui.
- Orat pro liberatione ex angustia.
- Exprimit quid in tribulationibus potissimùm vrgeat ac præmat: videlicet quòd intelligebat afflictiones suas si aliquandiu duraturæ sint, vergere in contumeliam gloriæ Dei propter impios, quibus ridiculum erat sperare in Dominum: & ad deiectionem piorum, qui spem suam in Deum transtulerant: orat igitur pro auxilio Dei, vt impij confundantur, pij verò qui Deum quærebant exultent & lætentur.
- Conijcit se in numerum pauperum & afflictorum, sed Deum sui rationem habere fatetur, & per apostrophen ipsum esse adiutorem & liberatorem suum ostendit, adiecta precatione ne moram nectere velit, sed in tempore succurrere dignetur.

Dispositio Psalmi 41.

PARTES Psalmi 41.

- Fœlicitatem eorum prædicat, qui nouerunt afflictis ex animo compati.
- Commemorat quam precê & querimoniam morbo graui decumbens ad Dominum fuderit. Vbi
  - Exponit implorationem diuinæ misericordiæ.
  - Petit auxilium Dei.
  - Queritur de fraudulentia, prauitate ac simulatione inimicorum suorum, qui odio occulto ipsum persequebantur.
  - Iterum misericordiam Dei implorat, vt per illam restitutus vicem queat rependere subdolis illis amicis & inimicis, eò quòd gloriam Dei tueri gestiebat.
- Beneuolentiam Dei prædicat, quam certo signo erga se deprehenderit, simulque spem suam & fiduciam erga Deum declarat.
- Concludit Psalmum laudis sacrificio, quò videlicet omnia tendere debent, quæ vel Deus nobiscum, vel nos cum Deo agimus. Id facit versu vltimo.

Dispositio Psalmi 42. qui iuxta Psalmorum seriem Psalmus est 51.

PARTES Psalmi 42.

- Confugit ad miserationum Dei multitudinê agnoscens ac confitens peccatû ac meritam condemnationê. Vbi
  - Petit remissionem peccatorum.
  - Subiungit causam cur id petat: sensum videlicet transgressionum & dolorem quo illarum gratia afficiebatur.
  - Ostendit contra quem potissimùm deliquerit.
  - Innuit se tam grauiter in Deum peccasse, vt non possit Deus iniusticiæ culpari in omnibus his, quibus hoc peccatum suum disciplinæ virga visitet.
  - Commemorat corruptionem humanæ naturæ, idque suo ipsius exemplo. Deinde constantissimam Dei veritatem, vt etsi corrupti simus, sapientiam tamen suam nos docuerit, id est, cognitione voluntatis suæ nos instructos reddiderit, vt nihil nobis relinquatur excusationis qui tam enormiter in Deum deliquimus.
  - Repetit quod primo & secundo versu cœperat, nempe vt mundetur à peccatis & peccatorum immundicie. Vbi ad figuram Legis respicit cùm hysopi meminit.
  - Significat dolorem ac pœnitudinem cordis sui ex sensu peccati continuo, eò quòd ossa sua contrita esse dicit, videlicet per sensum peccati, & indignationem Dei.
  - Agnoscit peccati sui turpitudinem, & quia scit illud Deo displicere, orat vt faciem suam auertat à peccatis suis, ne per illorum conspectum offendatur, & vt omnes suas transgressiones deleat.
  - Orat ne se propter peccatum abijciat Deus.
  - Petit se liberari à conscientia peccati, conscientia inquam effusi sanguinis innoxij. Reus erat mortis propter occisum Vriam cum alijs militibus. Hic reatus conscientiam Dauidis mordebat, instar rei captiui, qui omnibus horis sententiam mortis expectat.
- Orat, pollicetur, & seq. Vide literam A.

A.
- Orat pro donis Dei, quæ remissionem peccatorũ comitari solent. Vbi
  - Orat pro reconciliatione, vnde intimus & penitissimus mœror vertatur in gaudium & lætitiam, & exultent ossa deiecta & protrita.
  - Petit mundiciem cordis, quæ vera mundicies est.
  - Petit sibi dari spiritum rectum, sanctum & voluntarium.
  - Orat pro lætitia salutis, id est, auxilij Dei, qua destitutus erat post lapsum, post quem mœstitiam sentire cœperat.
  - Petit aperiri sibi os, vt Deum laudare & colere possit. Vbi qui sint veri cultus aperit.
  - Precatur pro regni sui prosperitate, & causam finalem subnectit.
- Pollicetur aliquid
  - Si se ab hoc luctu & mœstitia liberauerit, quosuis peccatores admoniturum, vt per resipiscentiam ad Deum conuertantur.
  - De sacrificio laudis. Instrumenta sacrificij sunt, os, lingua, & labia ad laudem Dei apta. Materia est depredicatio laudis Dei, id est, eorum quæ ad laudem Dei faciunt, vt sunt potentia, iustitia, misericordia, bonitas. Atque hic spiritu prophetico prædicit de sacrificijs iustitiæ, quæ offerenda sint Deo in nouo Testamento. Vitulos hîc intelligit labiorum nostrorum vitulos, de quibus Oseæ 14.

Dispositio Psalmi 43. qui iuxta Psalmorum seriem *est Psalmus* 52.

PARTES Psalmi 43.
- Habet apostrophen ad impium Doeg, versibus 5. Vbi duo facit.
  - Opprobrat impio Doeg quædam
    - Non solùm malitiam insignem, sed & studium malitiæ. Illud est diligere malum ex animo, meditari malum, & linguam ad fraudem & calumniam acuere.
    - Gloriationem in malitia, eò quòd crudelitatem illã & summam malitiam proditorum & occisorum Sacerdotum sibi laudi duceret, quasi insigne factum commisisset.
  - Vindictam Domini illi minatur, quæ allatura sit omnimodum exitium. Ideò vtitur verbis destruendi, conterendi, abradendi, & eradicandi.
- Complectitur ea quæ colligit ex vindicta impij Doeg:
  - Quòd iusti vindictam hanc Doeg videbunt, & inde incipient amplius quàm antea metuere Dominum, tanquam iustum vltorem malorum.
  - Non posse prosperari hominem in malo florentem & potentem, spemque suam non in Deum, sed in suas diuitias & prauitatis potentiam collocantem. Eum verò qui in Dominum constanter speret, futurum in domo Dei sicut oliuam viridem, id est, prosperaturum in omnibus.
  - Gratiarum actionem pro ope diuina, qua liberatus erat, & corroboratio spei in nomen Domini.

Psalmus 44. qui iuxta seriem est Psalmus 53. idem *est cum Psalmo* 14.

Dispositio Psalmi 45. qui est iuxta seriem *Psalmus* 54.

PARTES Psalmi 45.
- Habet precationem ad Deum pro liberatione ab hostibus. Vbi
  - Respicit ad potentiam Dei, tanquam fidei suæ fundamentum.
  - Petit exaudiri preces suas.
  - Subdit causam cur se exaudiri petat. Nam vim sibi inferri ab improbis queritur.
- Habet argumentum animi fiducia præsenti prediti de auxilio dei. Vbi
  - Ostendit non posse deseri eos, qui spem suam in Deum collocant.
  - Colligit ex auxilio Dei, malum hoc, quod sibi parabant inimici, in ipsos recidere.
  - Duo pollicetur Domino:
    - Liberaliter se sacrificaturum Domino.
    - Celebraturum nomen ipsius.
  - Assignat rationes cur id facere velit.

Dispositio

Dispositio Psalmi 46. qui iuxta seriem Psalmorum est 55.

Partes Psalmi 46.
- Habet precationem, qua petit preces suas exaudiri.
- Narrat calamitates & angustias, in quibus constitutus fuit. Vbi
  - Ostendit vnde sit titubatio & tumultuatio: A facie, inquit, inimici.
  - Exprimit cordis sui anxietatem, timorem & pauorem, &c.
  - Aperit quid optârit sibi in angustia, & quid consilij cœperit animo, versu 6.7.8.
- Imprecatur vltionem hostibus. Vbi
  - Precatur illis duplicē vltionem. Vt
    - Destruatur potestas eorum colligatio & nocendi facultas.
    - Prorsus auferantur de terra viuentium.
  - Reddit rationes cur vltionem illis imprecetur. Quia
    - Sint contentiosi, iniqui, subdoli, oppressores insontium.
    - Simulant se amicos, à quibus tamen probris & calumnijs præter expectationem sit affectus. Hos per apostrophen alloquitur.
- Declarat quomodo animū resumpserit, & futurū sibi auxilium & impijs supplicium pollicitus sit, vbi tria potissimum agit.
  - Profitetur fiduciam suam, quam precando erga Dominum corde conceperat.
  - Pollicetur sibi facturum Dominum, quæ in animi sui angustia, cùm pro se, tum contra hostes suos precatus est.
  - Assignat rationes, cur credat Dominum facturum ea, quæ pro se & contra hostes suos precatus est: videlicet quia hostes sunt impij, Deus verò iustus sit.

Dispositio Psalmi 47. qui iuxta seriem Psalmorum, Psalmus est 56.

Partes Psalmi 47.
- Habet precationem ad Deum, adiuncta querimonia cōtra hostium improbitatem, & vltionis illorum imprecatione, versu 1.2.5.6.7. Vbi
  - Implorat misericordiam Dei.
  - Subijcit querimoniam de calamitate miserabili quam patiebatur. Et est hæc velut causa petitionis.
  - Imprecatur hostibus excidium.
- Interserit querimonijs suis, qua sit erga verbum Dei fiducia in omni tribulatione, ita vt per illam planè liberetur ab omni metu. Id facit versu 3, & 4.
- Repetit fiduciam ac spem respectu prouidentiæ ac curæ Dei, cum certa securitate & gloriatione, versu 8.9.10.11.
- Pollicetur gratiarum actionem pro liberatione.

Dispositio Psalmi 48. qui iuxta Psalmorum seriem Psalmus est 57.

Partes Psalmi 48
- Habet precationem Dauidis, quam in ipso periculo constitutus fugerit ad Dominum, & addit rationem cur sui misereri debeat.
- Commemorat post liberationem auxiliū Dei, vers. 2.3.4. Habet hæc pars tria, quòd
  - Clamauerit ad Dominum.
  - Ab illo sit auxilium consecutus.
  - In periculo fuerit omnium maximo.
- Prorumpit in gratiarum actionem. Et hoc facit versu 5.6 7.8. vsque ad finem, & addit gratiarum actionis causas.

Dispositio Psalmi 49. qui iuxta seriem Psalmorum, Psalmus est 58.

PARTES Psalmi 49.

- Continet inuectiuã aduersus assentatores Saulis, ver. 1. & 2. Vbi
  - Per apostrophen reprehensoriam, assentatores ipsos Saulis, homines impios & calamitatis suæ authores alloquitur.
  - Opprobrat illis iniusticiam, iniquitatem cordis, & calumniam insontium, qua immeritos passim per omnem regni ditionem præmebant. Idque nomine iudicij & iusticiæ.
- Malitiam eorum depingit versu 3. 4. 5. Vbi
  - Dicit eos esse alienos, videlicet à Deo & populo Dei. Idque ab vtero natiuam illis tribuens malitiam & generis peruersitatem.
  - Ostendit quàm eorum malitia ad nocendum instructa sit. Idque similitudine serpentis.
  - Dat illis tantam pertinaciam & obstinationem, vt prorsus à malitia ingenij irreuocabiles sint, instar aspidis surdæ.
- Vindictam condignã illis & imprecatur & prædicit, ver. 6. 7. 8. 9. Vbi
  - Per apostrophen Deum alloquitur.
  - Precatur Deum vt præposteram illam potentiam hostium, qua ad oppressionem insontium vtebantur, destruat. Vbi per dentes, vires & instrumenta nocendi, lædendi & perdendi intelligit: metaphora sumpta à feris bestijs, quibus solent abrumpi dentes, quibus ad nocendum vti consueuerunt.
  - Interitum impiorum prædicit, ac ad huius rei declarationem quinque similitudinibus vtitur: prima est aquæ dilabentis, quæ etsi aliquandiu tumeat, fluida tamen est, nihil post se relinquens, nisi fœtorem: secunda, arcus cuius nerui sunt incisi: tertia, testudinis, quæ non diu durat, sed intra ipsam testam tabescit, inanemque relinquit: quarta, abortiui mulieris, cuius vita in ipso terminatur vtero: quinta, spinarum recentium, quæ antequam ad maturitatem rhamni perueniant, à cultore horti vel agricola extirpantur.
- Complectitur fructũ, qui ex improborum vindicta nascitur: quorũ quòd
  - Iustus conspecto impiorum interitu sit gauisurus, eò quòd hac ratione conatus impiorum irritatur, & gloria Dei asseritur.
  - Ex vindicta impiorum quiuis intelligere possit, esse Deum in Cœlo, qui iustorum rationem habeat, & de impijs supplicium sumat.

Dispositio Psalmi 50. qui iuxta seriem Psalmorum, Psalmus est 59.

PARTES Psalmi 50.

- Clamat ad Deũ pro auxilio contra inimicos suos, conquerens de illorum improbitate & insidijs. Vbi
  - Orat vt se ab inimicis eripiat, versu 1. & 2.
  - Subijcit periculi magnitudinem, & crudeles ipsorum conatus, vers. 3. &c.
  - Immiscet querimonijs suis innocentiã suam, vt versu 3. cùm dicit: Non transgressionis meæ, id est, non peccati mei causa. & versu 4. Sine iniquitate currunt, id est, sine aliqua peccati mei culpa.
  - Persequitur implorationem cùm auxilij sui, tum vindictæ reproborum, versu 4 & 5.
- Declarat quã animo fiduciam & securitatẽ, implorata ope Dei conceperit, qua certus sit factus, primùm de irritandis impiorũ conatibus, deq; illorũ supplicio: deinde de bonitate Dei erga se, qua sit certò protegendus. Vbi
  - Inanitatem & stultitiã conatuum impiorum, ex collatione hinc diuinæ, illinc humanæ potentiæ, considerat, vers. 8.
  - Confugit per fidem ad potentiam Dei, qua se tutum fore sperat à potentia aduersarij, versu 9 & 10.
  - Redit ad precationem sed priori dissimilem. Orat enim ne hostes prorsus extingnantur subitò, sed paulatim deturbentur, ac deijciantur virtute Dei, id est, vt nulla deinceps rerum prosperitate vtantur, sed semper inferiores euadant. Vt id quàm diutissimè faciat, ad gloriam Dei, & vtilitatem populi sui.
  - Iterum desiderio gloriæ Dei orat pro vltione hostium, sed tali quæ faciat ad gloriam Dei: precatur verò illis mendicitatem, qua sint tam inopes & miseri satellites isti Saulis, vt cogantur pro satiando stomacho suo latrante, more canum circumcursitare.
- Claudit Psalmum gratiarum actione. Vbi duo facit,
  - Prædicat beneficium Dei, quod in tribulationibus constitutus expertus erat.
  - Pollicetur huius beneficij prædicationem, eamque ardentem & sedulam, vt summo diluculo bonitatem Dei sit laudaturus.

Dispositio

Dispositio Psalmi 51. qui iuxta seriem Psalmus est 60.

PARTES Psalmi 51

- Habet precationem ad Deum, vt Regnum populo suo restituat, terræ rupturas sanet, dextera dei adsit, clamantiq; ad se respondeat. Vbi
  - Commemorat commeritam tam diu iram Dei, qua factum erat, vt desererentur, dispergerentur, terra ipsa commoueretur, & inhabitatores illius duriter præmerentur.
  - Orat pro successu regni.
  - Conatum & successum regni sui, qua hactenus fuerat vsus Deo adscribit, versu 4.
- Oraculum Dei adducit ad corroborandam suam & populi sui fidem. Deus, inquit, locutus est. Quid verò loquutus sit, ex consequentibus patet: gentes videlicet Israeli aduersissimas subiugandas fore, ac regno Israelis, quod regnum Dei erat, adnumerandas. Idq; Dei ipsius beneficio, quod Israeli ex summa bonitate ac lætitia largiturus erat. Propterea dicit, Lætabor, &c. Huic oraculo credens Propheta, sperabat Gentes ipsas subiugandas esse, propter veritatem oraculi diuini, quo indubitata fide nitebatur.
- Habet apostrophen ad Deum. Vbi
  - Eas victorias quas consecutus iam erat, Deo ipsi adscribit.
  - Repetit præteritam iram Dei, qua factum sit, vt Deus cum Israele ad bella non sit egressus.
  - Ad precem redit, auxiliũ Dei implorans. Rationemq; huius fortissimam addit.
  - Psalmum forti & pia fiducia concludit.

Dispositio Psalmi 52. qui iuxta seriem Psalmorum est 61.

PARTES Psalmi 52.

- Habet precationẽ versibus 3. Vbi
  - Orat se exaudiri.
  - Orat in petram sublimem ac tutam subduci, quam vocat sublimiorem, quàm vt ipse eam, per se videlicet, conscendere queat, quæ nihil est aliud, quàm certa & solida securitas, ac protectio contra inimicos.
  - Adijcit rationes petitionis: A finibus, inquit, terræ. Primùm, vbique ex vniuersa terra, vbicunq; locorum & quàm longissimè à tabernaculo tuo dissitus, ad te clamo. Deinde, quia tu es spes mea.
- Exprimit fiduciam & animi securitatẽ de firma sui protectione. Vbi
  - De seipso canit, ac gloriatur se perpetuo per protectionem Domini tutũ fore.
  - Votum populi sui exprimit, qui gloriabatur Regem suum vita potiturum longæua, & per bonitatem Dei prosperè, inuitis omnibus inimicis, regnaturũ.
- Concludit Psalmum perpetuæ laudis pollicitatione.

Dispositio Psalmi 53. qui iuxta seriem est 62.

PARTES Psalmi 53.

- Animi sui erga Deum fiduciam exprimit.
- Opprobrat hostibus amentiam, qua perpetuò insonti insidiabuntur. Deinde interitum minatur. Statum verò ipsorum, quem ipsi non obseruabant, similitudine parietis inclinati, & maceriæ iamiam prolapsuræ depingit, ac illis reprobos ac subdolos conatus obijcit.
- Animam suam adhortatur, vt Deum expectet, versibus 5. 6. 7.
- Populum Dei per apostrophen alloquitur. Vbi
  - Hortatur, vt fiduciam suam nec in homines, nec in calumniam, ac violentiam, nec in diuitias, eò quòd hæc omnia vana sint, sed in Deum collocet.
  - Causas reddit cur id facere debeant: hæ sunt duæ, potentia videlicet & bonitas Dei, ita vt vnicuique iuxta factum suum rependere & possit, & velit.
  - Vt populo Dei rationes istas persuadeat, inducit suam de illis certitudinem, eamq; non qualitercunq; conceptam, sed quam ex auditu verbi Dei conceperit, Hoc est quod dicit: Semel locutus est Deus, Duo hæc audiui. Semel autem Deum locutum esse, idem est, atque quàm certissimè & constantissimè locutum esse. Vide Iob 33. Locutus est autem ista Deus per Mosen, & Propheta ista auditu non oris tantùm, sed & cordis audiuit.

Dispositio Psalmi 54. qui iuxta seriem Psalmus est 63.

Partes Psalmi 54.

- Canit quàm consolationem in Deo cùm in solitudine Iudææ constitutus esset, fortitudinis, gloriæ & bonitatis ipsius, quàm toties expertus erat, contemplatione conceperit. Vbi
  - Significat verbo sitiendi & concupiscendi ardentem illum, quo laborabat, videndi sanctuarium Domini, affectum.
  - Ostendit se in solitudine etiam constitutum, eadem vti Dei contemplatione, qua vteretur si esset in Tabernaculo Dei.
  - Extollit bonitatem Dei super omnia quæ sunt in Cœlo & in terra, dum vitæ eam præfert, significans sibi nec possibile nec iucundum esse, prærer illam viuere. Omnium enim quæ à Deo sunt condita præclarissima est vita. Tolle hanc, & quid proderunt Cœlum & terra, & quicquid in illis suspiciendum est? attamen illi bonitatem Dei præfert. Ista si fuerit, quid nocebunt omnia tristia? Quid ipsa mors qualis & quantacunque vide Rom. 8. Neque mors, neque vita, neque potentia, &c. poterunt nos separare à charitate Dei. Hinc est quod Sancti maluerunt vitam ponere qualicunque modo, quàm bonitate & gratia Dei priuari.
- Pollicetur se laudaturum Dominum & nomen ipsius inuocaturum. Idq; magno cũ affectu laudandi Deum, & labijs exultationis. Vbi
  - In laudem Dei prorumpit.
  - Ostendit vnde ista in laudem Dei exuberans lætitia oriatur: Tu facias, inquit, animam meam.
  - Docet quomodo & quando animam suam Deus saciarit velut adipe. Quando tui memor sum, inquit, super strato meo.
  - Innuit quid meditatus sit nocte de Deo, eiusq; beneficijs: Quod factus es, inquit, mihi auxilium, &c.
- Per antithesim de sua fiducia & protectione Dei, deque hostium suorum conatu & interitu disserit.

Dispositio Psalmi 55. qui iuxta Psalmorum seriem est 64.

Partes Psalmi 55

- Precationem ponit ad Deum, qua & protectionem Dei implorat, & de prauis ac subdolis hostium suorum studijs conqueritur.
- Vltionem diuinam illis comminatur & prædicit, eamque talem, quæ quosuis spectatores stupefactura sit.
- Indicat quid fructus allatura sit hominibus ista vltio, maximè iustis. Est autem duplex vindictæ impiorum vtilitas:
  - Generalis, quæ ad vulgus redit, vt ex illa discatur esse Deum in Cœlo, qui sit vltor malorum.
  - Specialis, qua fit vt iusti gaudio repleantur in Deo, & qui recto sunt corde glorientur: deinde & fiducia sua corroborentur, videntes Deo charos esse iustos & innoxios.

Dispositio

Dispositio Psalmi 56. qui iuxta seriem Psalmorum est 65.

PARTES Psal. 56.

- Celebrat gratiam Dei Israeli præstitam, quòd dederit se in Sion coli, adorari & inuocari, quodque clamantes ad se exaudiat, peccata remittat, & populum suum bonis domus suæ satiet. Id facit quatuor primis versibus. Vbi
  - Celebrat donum Dei suæ Ciuitati concessum, quòd videlicet in illius Ciuitate locum, vbi coleretur, elegerit.
  - Ostendit in quo potissimùm sita sit diuinæ laudis materia: videlicet quòd bonus sit, & preces exaudiat, peccata remittat, &c.
  - Redit versu 4. ad celebrandam Dei bonitatem erga populum suum, quem ad cultum suum ex sua bonitate, non ex meritis illius, elegerit.
- Celebrat eam gratiam Dei simul & potentiam, qua populorum aduersariorum tumultus ac fremitum compescens populo suo pacem largitur. Id facit versu 5.6.7.8.
- Commendat donum fertilitatis, quo terram diuitem & pinguem frugibus reddit. Idque passim in montibus, collibus, solitudine, locis campestribus, vallibus, &c. ita vt egredientes cantico & iubilatione repleantur. Atque hîc donum pluuiæ maximè commendat, sine quo viscera terræ sterilescunt. Deinde prædicat vim incrementi, quod est ex pluuia à copia & multitudine. Deinde & omnis generis frugum ac terræ nascentium varietate, cùm dicit, Ditas eam: idque plurimum.

Dispositio Psalmi 57. qui iuxta seriem Psalmus est 66.

PARTES Psalmi 57.

- Excitat vniuersam terram ad laudandum Deum. Vbi quam debeat omnis terra Deo dare gloriam subiungit versu 3. dicens: Dicite Deo quàm terribilia sunt opera tua. Exigit ergo eam gloriam quæ Deo propter illius omnipotentiam vniuersæ carni tremendam & formidabilem, detur.
- Hortatur ad consideranda opera & consilia Dei cùm prisca tum recentia, ad Israelis liberationem patrata. Vbi
  - Innuit quid cupiat considerari in operibus Dei, quæ hîc vocat consilia. Id videlicet quo singulari studio & consilio potentiam suam declarat. Id versu 5. facit.
  - Quædam ex illis exempli vice commemorat, asserens & prædicans eum esse seculi dominum, versu 6.7.
  - Hortatur ad benedicendum Deo. Vbi
    - Rationem reddit, qua moueri debeant populi ad laudandum Deum Israelis. Ea sumitur ab effectu potentiæ illius.
    - Commemorat afflictiones, quæ Israeli acciderunt, id quod quinque similitudinibus illustrat.
    - Subijcit & de liberatione ex omnibus aduersis.
- Præscribit populo Dei formam gratitudinis. Idq; suo exemplo, versu 13. 14. vsque ad finem. Vbi
  - Ponit gratitudinem animi beneficium acceptum agnoscentis, versu 13.14.15.
  - Subiungit beneficij deprædicationem ad consolandum Dei timentes, versu 16.17.18 19.
  - Psalmum cum laude Dei, & laudis illius deprædicatione per exclamationem concludit.

Dispositio Psalmi 58. qui iuxta seriem Psalmus est 67.

PARTES Psalmi 58.

- Expetitur gratia & beneuolentia Dei ab Israelitis.
- Subiungitur ratio cur expetatur. Vt
  - Viæ illius innotescant toti orbi, vbi & illud addit, à quibus cupiant cognosci, viam ac salutem Dei: ab omnibus videlicet terræ inhabitantibus.
  - In illo exultent omnes populi, illum omnes passim mortales deprædicent & obseruent, versu 3.4.5.

Dispositio Psalmi 59. qui iuxta seriem Psalmus est 68.

PARTES Psalmi 59.

- Orat pro auxilio Dei contra hostes. Vbi
  - Meminit Arcæ fœderis, quam hic Dominum appellat, vt Moses Num. 10. translationem interpretatur populo Dei: apertũ videlicet iudicium eius, quòd Deus surgeret ad vindictam de hostibus eius sumendam.
  - Per similitudinem fumi & venti, ceræ & ignis, confert impiorum inanitatem diuinæ potentiæ & indignationi.
  - Admonet ea, quæ recensuit, non ad peccatores & carnales Israelitas, sed ad iustos pertinere.
- Adhortatur populum ad canendum Deo, vbi & quid de eo canere debeant, ostendit.
- Potentiam ac bonitatẽ Dei in liberatione Israelis & egressu ex Aegypto, & alliàs declaratum ostẽdit. Vbi
  - Commendat potentiam Dei in monte Sinai declaratam. De quo vide Hebræor. 12. Cuius, inquit, vox tum terram tumefaciebat, &c.
  - Recenset beneficia Dei Israeli præstita. Vbi
    - Commendat donum fertilitatis terræ Canaan diuinitùs cõcessum. Vbi per hæreditatem terram Canaan intelligit.
    - Canit virtutem Dei, qua populo suo contra hostes victoriam tribuit & renunciatrices, id est bonas nuncias, quæ Epinicion canerent propter verbum, id est, nuncium victoriæ, dedit.
    - Innuit sermone parabolico, per abiectionem, inter ollas fuligniosas, summam calamitatem & grauissimam seruitutem: & per columbam, candentem & deauratam summam rerum lucem & prosperitatem.
    - Extollit montem Sion supra montem Basan. Vbi montem Basan tanquam sublimem, more scripturæ vocat mõtem Dei. Solent enim montes, ciuitates, arbores grandes: mõtes, vrbes, & arbores Dei vocari. Intelligit autem montis dictione regnum vnde per sublimitatem montis Basan, id est, potentiam & robur regni Basan instituit commendationem montis Sion, cuius gratia regnum illud Basan, regnum Gigantium cùm introduceret Deus populum suum in terram Canaan virtute diuina dissipatum est. De quo Deut. 1.
    - Insultat montibus ac regnis, cum dicit: Quare resultabatis montes excelsi ? quasi dicat, quàm insaniebatis regna robusta & sublimia resultando exercitui Dei viuentis. Elegit sibi Dominus montem istum Sion vt habitaret in illo, & vt restiteritis, habitat in illo, quod nunquam poteritis impedire in sempiternum.
    - Commendat gratiam Dei, qua montem Sion ad habitandum sibi, velut in medio populi sui, elegerit.
    - Respicit ad maiestatem Dei, quæ declarata est in monte Sinai, in qua instar potentissimi Regis cum infinito Angelorum exercitu populum captiuum liberauerat ex Aegypto. Et vt olim ad montem Sinai fœderis ineundi gratia, ita ad hunc montem Sion deduxerat.
    - Apostrophen habet ad Deum. Ascendisti, inquit, in altum, id est, potentiam tuam magnificè exeruisti, quando de hostibus tuis deuictis & prostratis triumphasti.
    - Considerata Dei bonitate & potentia prorumpit in laudem Dei per exclamationem, & addit rationem.
    - E re gesta colligit concilium ac decretum Dei. Decreui, inquit Deus, reducam populum meum: videlicet cæsis tanti regni tantatumq; viriũ hostibus, victorem reducam illum saluum è profundo maris, superato Pharaone cum ingẽti suo exercitu. Vbi cruentas hostium strages prædicat.
- Celebrat pompam illam, qua Arcam Domini cum ingenti totius Israelis tripudio, Hierosolymam reduci instituerat.
- Complectitur Prophetiam ita dilatandæ & amplificandæ gloriæ Dei in Israele, vt & cætera regna sint potentiam eius agnitura, & munera suppliciter allatura. Idque ex mandato & decreto Dei, & adiungit precem.
- Hortatur in fine ad laudandum Deum, & Deo gloriam potentiæ dari iubet.

Dispositio Psalmi 60. qui iuxta seriem Psalmus est 69.

Partes Psalmi 60.

- Habet precationem pro liberatione. Vbi
  - Ardentissimam opis diuinæ implorationem habet.
  - Subijcit periculi magnitudinem, comparans hostium suorum vim & conatus impios alto luto, vndis profundis, ac procellis irruentibus.
  - Exponit versu quarto de quibus vndis & procellis intelligat, cùm dicit: Multiplicati sunt super capillos capitis, &c.
- Anxias Dauidis querelas habet. Vbi
  - Appellat conscientiam Dei, quem nihil lateat, qui sciat innocentiam suã, vers. 5.
  - Deprecatur offendiculum eorum qui in populo Dei omnem spem & fiduciam in Deum collocabant. Timebat illis ob id, quòd si ipse periclitatus esset ac desertus, fides ipsorum, ipsius exemplo, fuisset plurimùm labefactata.
  - Rationem reddit ob quam metuat, ne suo exemplo offendantur, quærentes Dominum: Quia, inquit, hoc ipsum quod te quæro, probro enim cedit mihi.
  - Declarat quod versu septimo dixit, se propter Deum sustinere opprobrium: Quia, inquit, pro domo tua zelatus sum, ferre non valens vt blasphemetur nomen tuũ & populus tuus: Quia opprobria quæ in te effundunt impij me contristant.
- Habet iterũ precationem. Vbi
  - Precatur, vt
    - Exaudiatur, versu 13.
    - Eripiatur à periculis.
    - Ad se aspiciat.
  - Argumenta habet spei ad hoc immixta, vt fiducia in petẽdo auxilio sustentetur: sumũtur hæc partim
    - Ab ingenio Dei, quod Deus sit bonus & misericors.
    - Ex Prophetæ afflicti conditione & miseria: Quia, inquit, seruus tuus sum miser, &c.
    - Ab aduersariorum suorum malitia: Propter inimicos, inquit, meos libera me.
- Imprecatur dira hostibus, & habet duas partes:
  - Cõtinet diras, quas improbis imprecatur. Imprecatur autem
    - Vt mensa, id est, solatium & doctrina ipsorum sit ruina.
    - Cæcitatem in rebus corporalibus & spiritualibus.
    - Rerum agendarum inconstantiam, quæ per lumbos labascentes intelligitur.
    - Omnia mala, cùm iram Dei in illos effundi cupit.
    - Eiectionem è sedibus suis.
    - Peccatorum augmentum, vt inoffensè peccando mensuram peccatorum suorum properè adimpleant, ne quo pacto possint amplius consistere, sed necesse sit eos omnino perire.
    - Deletionem è libro vitæ.
  - Habet causam cur id petat.
- Laudem Dei instituit. Vbi
  - Est descriptio diuinæ laudis. Vbi
    - Ponitur confessio propriæ humilitatis & miseriæ, cùm dicit: Ego vero sum afflictus.
    - Prædicatur salutis diuinæ beneficium.
    - Extollitur nomen Dei.
    - Additur quàm gratum & acceptum sit Deo hoc sacrificium laudis.
  - Coniungit gratulationi amoris affectum, quem erga populum suum miserè pressum, afflictum, & ad Deum clamantem habuit pius Rex & Pater: idque populi gratia afflictus.
- Excitat cœlum & terram, ad laudãdum Dominum. Vbi
  - Aduocat ad communionem laudis diuinæ cœlum & terram, maria, &c.
  - Prædicat per æthiologiam regni ac populi fœlicitatem iam orientem: eò quòd Deum protectorem, & ædificatorem habeat.
  - Addit fructum huius beneficij Dei: nempe quòd habitare detur & hæreditate possidere terram.
  - Addit quinam sint illius fœlicitatis participes futuri: nempe serui Dei.

Dispositio Psalmi 61. iuxta Psalmorum seriem Psalmi 70. satis aperta est & suprà Psalmo 40. quinque postremis Versibus posita.

Dispositio Psalmi 62. qui iuxta seriem Psalmus est 71.

PARTES Psalmi 62.

- Habet precationem, vbi
  - Orat vt liberetur.
  - Causam precationis ponit, eò quòd in Dominum speret.
  - Immiscet argumenta fiduciæ, quibus suffultus bona spe diuinum implorat auxilium. Sumuntur autem argumenta
    - Ex Deo: quia Deus iustus est & Petra & Deus suus, &c.
    - Ab aduersariorum qualitate & malitia.
    - A conditione sua, Quia inquit, in te fido, te laudo, &c.
  - Queritur se quasi prodigium factum esse multis: id est, declinatum ac si monstrum quoddam esset.
  - Subijcit Deum in isto rerum discrimine, fiduciam suam fuisse.
  - Petit vt seruetur, vt Deum toto corde laudare possit.
  - Causam huius precationis reddit.
  - Deprecatur desertionem sui, & aduersariorum confusionem precatur.
- Pollicetur se Deú laudaturum. Vbi
  - Quid in Deo laudaturus sit, subijcit: videlicet quòd
    - Iustus sit & ex iusticia sua saluet in se sperantes.
    - Potens sit & mirabilis in liberando suos.
    - Verax sit & fidelis.
  - Prædicat præterita Dei in se collata beneficia.
  - Orat ne deseratur, vt & deinceps potentiam & iusticiam Dei extollere possit.
  - Votum Deo facit, quòd velit eum ex animo laudare, postquam & ipse liberatus & hostes sui confusi fuerint. Id facit tribus postremis versibus.

Dispositio Psalmi 63. qui iuxta Psalmorum seriem Psalmus est 72.

PARTES Psalmi 63.

- Habet precationem. Vbi ostendit.
  - Pro quo petat: nempe pro filio suo Salomone in typo, in veritate pro Christo.
  - Quid petat illi: iudicium videlicet & iusticiam.
  - A quo petat hæc, quia à Deo. Nam vt rectè iudicent Reges & iusticiam seruent, donum est Dei. Ideò non simpliciter dicit Iudicia regida, sed iudicia tua & iusticiam tuam. Orat igitur vt filio suo hanc gratiá præstet Deus, vt quod apud illum iustú est iudicet.
  - Ad quid hæc Regi petat, videlicet vt iudicet populum in iusticia.
  - Ad quid opus sit in regni administratione, vt iudicium & iusticia seruentur: vt videlicet commodè & tranquillè cum omni pietate viuere possimus. Quare versu tertio pacem & iusticiam coniungit. Pacem autem optat abundantem, quæ passim in terra obtineat & floreat, quemadmodum cum vbertate frugum colles ac mótes fœcundi sunt.
  - Quid regno filij sui, & seq. Vide literam A.
- Claudit Psalmum gratiarú actione. Vbi
  - Ostendit ea quæ cùm in se gesta erant, tum in filio futura credebat & optabat, nec sua nec illius industria, sed admirabili Dei bonitate & dispensatione constare.
  - Tribuit Deo nomen gloriosum.
  - Optat vt non Iudæa solùm, sed & omnis terra gloriá eius repleatur.

A. Quid regno filij sui optet: videlicet, vt

- Timeatur & obseruetur obseruantia constanti & perpetua.
- Inauguratio filij sui in regnum sit illi omnium commodissima & vtilissima. Quare descensus Regis ad populum, sicut pluuiæ super herbam est accommodatio potentiæ, sapientiæ & iustitiæ eius ad res populi salubriter & paterno cum affectu moderandas. Huc pertinet quod Prouer. 16. dicitur: Clementia Regis quasi imber serotinus.
- Salomoni ea regni plenitudo & amplitudo contingat, quæ diuinitùs Israeli sub Mose promissa quidē, sed ad illa vsque tempora nondum fuerat planè obtenta. Qua de re vide Exod. 23. Deut. 11. Ios. 1.
- Vicina regna, quæ finibus terræ promissæ non includuntur, maiestatem regni Salomonis agnoscant, pristinas inimicitias ponant, & pacem cum Israele ineundam ambiant.
- Regi ac regno eius omnis generis fœlicitas & prosperitas contingat. Viuat, inquit, &c. Optat autem quædā pro-
  - Filio, vt
    - Viuat, id est, prosperè promoueat & regnet.
    - Quorumuis passim tam magnorum quàm populi fauore potiatur, ab omnibus colatur & ametur.
    - Etiam post mortem bene audiat apud posteros.
  - Populo, vt
    - In hac terra diuino munere abundans sit frugum copia, & agrorum fertilitas, vt frumentum, montis instar exurgat & strepitum edat densum vegetum, ac maturum, instar Cedrorum in Libano vento agitatarum.
    - Ciues regni & numero & rerum prosperitate floreant.

Dispositio Psalmi 64. qui iuxta seriem Psalmus est 86.

PARTES Psalmi 64.

- Habet precationem. Vbi orat vt
  - Se exaudiat, & addit precationis huius causam.
  - Animam suam custodiat & conseruet, & causam reddit.
  - Deus illi misereatur, & addit causam.
  - Sensu auxilij, custodiæ, & conseruationis animā lætificet, & addit causas: Quia
    - Ad te clamo.
    - Bonus es.
    - Respondes, id est, exaudis me.
- Extollit Deum verum, ad quem clamat, super omnes Deos: id est, potentes, spiritus vel homines.
- Vaticinium de conuersione omnium Gentium subijcit, vbi & vaticinij rationem subnectit. Vaticinatur autem Propheta in regno Christi, in quo solo gentes omnes ad Deum sunt conuersæ. Sicut & Christus Apostolos suos ad fines totius orbis misit, dicens: Euntes docete omnes gentes, &c.
- Occasione vaticinij ad precationem redit. Vbi orat vt
  - Vitam suam se doceat.
  - Cordi suo det vt nomen suum timeat.
  - Toto corde nomen Dei glorificet, & addit rationem.
  - Fortitudinem sibi largiatur.
  - Signum aliquod bonitatis suæ sibi exhibeat.
- Queritur de insidijs hostium suorum, qui vitæ ipsius insidiabantur. Vbi
  - Hostium suorum qualitatem & conatuum illorum improbitatem describit.
  - Rationem reddit cur Deus suos hostes superbos & improbos tam diu toleret: videlicet quia Deus bonus est, tardus ad iram, &c qua re & sese ad petendam cum fiducia liberationem confirmat. Verba sunt ex Mose, Exod. 34. desumpta.

Dispositio Psalmi 65. qui iuxta seriem Psalmus est 91.

PARTES Psalmi 65.

- Habet fiduciam & securitatē animi à protectione Dei, pendētis à primo versu ad 14. vsq;. Vbi
  - Habet descriptionem hominis fidelis. Huic tribuit quod in abdito & vmbra Dei habitet & commoretur, quibus metaphoris Dei protectionem intelligit.
  - Inducit verba fiduciæ hominis à Deo pendētis & de protectione Dei persuasi. Atq; hic secū Propheta, perinde atque ad alium quempiam loquitur, sicut solēt qui in rebus arduis consultando & deliberando secū ipsi mussitant, seque ipsos alloquuntur. Vbi
    - Ostendit quid pius de Dei bonitate sentiat.
    - Redditur ratio quare velit porrò in Deum sperare. Vbi per laqueum insidias: per venatorem, Saulem intelligit.
    - Duobus similibus potentiam Dei depingit, quorum alterum ab auibus, alterum à militibus sumptum est.
    - Ostendit luem exitialem non obesse pio & fideli homini, quam quidem hic terrorem nocturnum, sagittam volantem in die, pestem grassantem in tenebris, exterminium vastans appellat. Non enim rarum est in scripturis rem eandem primùm obscurè positam, pluribus, velut interpretationis gratia, edici.
    - Per apostrophen ad Deum, rationem tantæ securitatis & fiduciæ reddit: videlicet quare non timeat à timore nocturno, & cadant de lateri innumeri.
    - Summatim & in genere repetit quod antea dixerat: Non accedet, inquit, ad te malum, &c.
    - Reddit rationem, cur id sibi persuadeat: videlicet quòd Deus in quem pius animus fidit, per Angelos suos eum tueatur.
    - Amplificat diuinæ seu angelicæ custodiæ effectum. Hac enim fit, vt pius ac fidelis domitor euadat Leonum, Aspidum & Draconum sæuitiam. Vbi per istas beastias horrendam quamcunque aduersariam, & quantumuis horrendam, vel potentiam, vel malitiam quorumcunque spirituum, hominum & animantium intelligit.
- Oraculum Dei continet, quo speranti in se & ereptionem ac protectionem vitamque longæuam cum salute & liberatione pollicetur. Inducit autem Propheta Deum ipsum oraculo suo testantem, quòd huiusmodi pium & fidelem, qualis antea descriptus est, pro sua bonitate complecti, tueri, ac saluum reddere velit. Quod ob eam causam facit, vt quæ antè præmissa sunt, per infallibilem diuini oraculi certitudinem confirmet.

Dispositio Psalmi 66. qui iuxta seriem Psalmorum est 92.

PARTES Psalmi 66.

- Commendat Psalmodiæ iucunditatem, qua nomen Dei canticis & Musicis instrumentis celebratur.
- Opera Dei extollit, vt rationem reddat quare sit bonū celebrare Dominum. Vbi
  - Meminit in genere operum Dei, vt ex quorundam contemplatione, etiam reliquorum admiratio subeat.
  - Habet exclamationem, qua celebrantur opera Dei duplici nomine: propter
    - Magnitudinem illorum & magnificentiam.
    - Infallibilem sapientiam & infinitam prouidentiam.
  - Amplificat operum Dei profunditatem in eo, quod etsi videantur ab omnibus, non tamen cognoscatur ab omnibus quanta sit consiliorum Dei in operibus ipsius profunditas.
- Celebrat ea Dei opera, quibus impij perdūtur. Vbi
  - Impiorum prosperitatem in hoc seculo metaphoris germinandi & florendi exprimit.
  - Significat impios ad hoc germinare ad tempus, vt postea in sempiternum vastentur. Et hoc esse quod stultus non intelligat,
  - Opponit Deum & Dei potentiam impijs illis ita floridis & sublimibus, vt quasi dij quidam videantur.
  - Ostendit Deum per hoc comprobare se excelsum esse, quòd inimici eius pereunt.
- Celebrat ea Dei, & seq. Vide literam A.

A. Celebrat

A. Celebrat ea Dei opera, quibus pij saluantur. Vbi

- Ostendit quid sibijpsi futurũ speret. Vbi
  - Vaticinatur de inuicta regni ipsius potentia. Per cornu enim regni potentiam intelligit.
  - Reddit huius rei rationem: videlicet quòd ad regni administrationem à Samuele diuino iussu vnctus & inauguratus sit.
  - Vaticinatur de interitu hostium suorum.
- In genere de piorum fœlicitate disserit.
  - Fœlicitatem iustorum metaphoricis dictionibus florendi, fructificandi, pinpinguedinis & viriditatis proponit.
  - Canit fœlicitatem iustorum, signi cuiusdam vice indicaturam, esse Deum rectum, & refugium iustorum.

Dispositio Psalmi 67. qui iuxta seriem Psalmus est 93.

PARTES Psalmi 67.

- Celebrat magnificentiam Dei toti orbi declaratam. Vbi
  - Tribuit Deo regnum, idque magnificum & validum.
  - Subijcit magnificentiæ & potentiæ Dei documentum, eò quòd vniuersum orbem condiderit, & ita formauerit, vt inde ab initio immotus persti terit.
  - Dat regno Dei, quod sit antiquissimum & firmissimum.
  - Terribilem Dei potentiam per collationem depingit: quasi dicat, Terrebilis est strepitus & eleuatio fluminum, præsertim in marinis fluctibus: quantò terribilior es in excelso, Domine, qui maris & fluminum fluctus: condidisti, extollisque, & rursus vbi placet, deprimis.
- Celebrat beneficentiam Dei populo Israeli exhibitam. Vbi duo insignia Dei beneficia Israeli præstita proponit. Ptimum quòd Israeli testimonium verbi Dei dederit: secundum, quòd Israelem domum suam esse fecerit.

Dispositio Psalmi 68. qui iuxta seriem Psalmus est 94.

PARTES Psalmi 68

- Implorat vltionem Dei cõtra impios hostes. Vbi
  - Vocat Dominum vltionum Deum, idque secundo.
  - Appellat eum Iudicem terræ, vt significet eam vltionem se requirere, quæ iusto iudici competat.
  - Excitat eum, vt declaret Deum esse, qui superbiam impiorum videat, & detestetur.
  - Clariùs quid petat, exprimit, cùm dicit: Redde talionem superbis.
  - Querelas subijcit, quibus grauiter satis de impiorum hominum tripudio, arrogantia, crudelitate, & dementia conqueritur.
- Stultjtiam impiorũ redarguit, qui dicebãt: Non videbit Dominus versu 8.9. 10.11. Vbi
  - Per apostrophen alloquitur impios, & ad intelligentiam eos hortatur, adiecta stupiditatis illorum admiratione.
  - Ostendit fieri non posse, vt Deus qui dedit visum, auditum, scientiam, ipse non videat, non audiat voces eorum, non cognoscat quid agant.
  - Habet exclamationem, qua significat Deum non opera tantùm externa videre, sed internas etiam animi cogitationes. Vbi hominum cogitationes, consilia, instituta, sapientiam & astutiam vanitati subijcit.
- Minatur impijs, & seq. Vide literam A.

A. Minatur impijs iudicium futurum: ideoque prædicat eos beatos, quos interea Dominus lege sua docuerit, donec impiorum perditio veniat, versu 12.13.14.15. Vbi
- Per apostrophen ad Deum ipsum exclamat, tanquam fœlicitatis piorum authorem.
- Eos fœlices appellat, quos Deus docuerit tempus iudicij Dei contra impios patienter expectandum esse.
- Ponit ethiologiam, qua significat ideò certum paratum esse impijs periculum & exitium, quòd non sit Dominus deserturus populum suum.

Prædicat auxilium dei, quo vsus sit contra malos, versu 16.17.18.19. Vbi
- Subiectione vtitur, qua significat sibi à Deo tantum auxilium fuisse, quod similitudine fugientis, quem inimici insectantur, declarat.
- Significat se multis cogitationibus anxium & conturbatum, non vspiam inuenisse consolationem, nisi in solo Deo suo.

Pronunciat Deum non fauere sedi iniquitatis, sed futurum sibi munimentum, & perditurum oppressores innocentum. Vbi
- Significat impios prætextu Legis miseros opprimere.
- Aperit clariùs quid dixerat.
- Ostendit Deum sibi refugium esse.
- Docet sedem illam iniquitatis diuinitùs perdendam.

Dispositio Psalmi 69. qui iuxta seriem Psalmus est 95.

PARTES Psalmi 69.

Excitat populum ad gratiarum actionem & adorationem. Vbi
- Adhortatur populum, vt debita animi gratitudine, fide ac reuerentia ad laudandum Deum properet.
- Subijcit ethiologiam diuinæ laudis. Vbi
  - Prædicat de Deo, quòd sit Deus magnificus & Rex magnus.
  - Subijcit illius potestati terram vniuersam, montium sublimitates, & profundissima terræ penetralia, mare quoque illud immensum.
  - Ius terræ ac maris illi tribuit.
- Iterum ad reuerentiam & submissionem inuocationis & adorationis inuitat.
- Addit rationes, quòd
  - Deus nos condiderit.
  - Nos simus populus pascui eius, &c.

Admonet populum vt diuinæ voci quotidiè & incunctanter obediat, nisi velit immorigerorum Patrum exemplo diuina gratia & quiete priuari. Vbi
- Adhortatur populum, vt post canticum diuinæ laudis, post adorationem & inuocationem etiam verba diuinæ Legis audiat, & corde non obturato, sed præparato cupidè excipiat.
- Historiam adducit populo Israel satis notam, vt Patrum exemplo reddatur cautior. de qua re vide Exodi 17.
- Reuocat illis in memoriam omnes illas plagas, quibus Patres in deserto castigauit Deus, quam castigationem vocat obiurgationem.
- Tribuit Patribus illorum non simplicem errorem & ignorantiam, sed talem, qua errent corde, quo erant à vero studio Dei abalienati.
- Iuramentum Dei adducit, vbi requiem vocat terram Canaan, si typum consideres.

Dispositio Psalmi 70. qui iuxta seriem Psalmus est 96.

Partes Psalmi 70.

- Vocat ad laudandum Deum non Israelem tãtùm, sed & vniuersas totius orbis nationes, ad vers. 11. vsque. Vbi
  - Excitat omnes ad cantandum & benedicendum.
  - Ostendit cui sit cantandum: videlicet Deo.
  - Docet quid sit cantandum: Quia canticum nouum.
  - Exprimit quid sit euangelizandum: videlicet salus Dei, id est, virtus & beneficentia saluandi.
  - Ostẽdit quanta sedulitate & perseuerantia euangelizanda sit salus Dei: De die, inquit, in diem, id est, indesinenter.
  - Quid sit de Deo narrandum, innuit: Narrate, inquit, gloriam eius.
  - Subijcit quinam illi sint, quos ad cantandum, benedicendum, & narrandum inuitet: Omnis terra inquit.
  - Rationem reddit, quare totius terræ incolas ad ista inuitet. Vbi confert deos gentium cum vero Deo.
  - Exposcit ad omnibus gentibus cultum soli ac vero Deo debitum, vt relictis vanis dijs, ad colendum verum Deum conuertantur. Vbi & diuinam maiestatem prædicat. Loquitur autem de Deo, per imaginem potentissimi Regis in cuius Aula & Palatio, cuncta passim regiam maiestatem, visentium oculis obijciunt.
  - Exigit vt non deorum, sed Dei veri atria posthac inuisant, & quid illic faciendum sit, ostendit: vt videlicet adorent Dominum.
  - Postulat vt in gentibus passim gloria regni eius prædicetur. Vbi potentiam & iusticiam Dei celebrat.
- Claudit Psalmum vaticinio de regno Christi, quo futurum prædicit, vt cœlum, terra, mare, campi, syluæ, &c. coram Domino exultent. Habent autem verba hæc Prophetæ, gestientis & exultantis animi exuberantiam, qua vt immensum futurorum temporum fœlicitatem exprimeret, cœlo, terræ, agro, mari, syluis, &c. humanos sensus & affectus tribuit. Loquitur autem hic & de incarnatione Verbi, per quam Dominus in mundum venit, vbi iudicandi verbum, non pro condemnatione, sed pro directione & gubernatione ponitur.

Dispositio Psalmi 71. qui iuxta seriem Psalmus est 97.

Partes Psalmi 71.

- Prædicat potentiam & gloriam Dei contra impios hostes luculenter declaratã. Vbi
  - Inuitat omnes ad laudandum Deum & lætitiam.
  - Reddit rationem, quod videlicet Deus regnet: id est, superior euaserit hostibus.
  - Ostendit versu 2, 3. 4. 5. & 6. declarasse Deum potentiam suam contra hostes insigni aliqua, ac tali tempestate, qua exercitus illorum vel attriuerit, vel perterritos in fugam verterit, Israelique cædendos dederit. Tale quid 2. Samulis 5. legimus.
- Cõsiderata diuinæ maiestatis gloria, quam cunctos populos vidisse cecinit, rapitur ad detestandũ cultum idolorum. Vbi
  - Idolatris confusionem præcatur.
  - Petit vt dij gentium potentiam & maiestatem veri Dei sentiant.
  - Opponit populum De gentibus idolatris, Et sicut illis confusionem imprecatur, ita istis lætitiam, ex auditu gloriæ & potentiæ Dei conceptam, tribuit.
  - Addit lætitiæ piorum causam: Propter iudicia tua, inquit. Vbi iudicium vocat hostium proculcationem, vero & iusto iudicio Dei factam
- Habet parænesim ad eos, qui Deum diligunt, monens vt malum odio prosequantur. Vbi animat pios ad odiendum malos, ne ab illorum malitia sibi metuant, ac metu illis contra conscientiam gratificentur: sed sciant Dominum animas Sanctorum suorum custodire.
- Iustos & rectos corde ad lætitiam & laudẽ Dei Vocat Vbi.
  - Promissionem futuræ fœlicitatis & lætitiæ cõtinet.
  - Prouocat iustos ad lætandum in Domino, & laudandum Deum: idque acclamatione alacri.

Dispositio Psalmi 72. qui iuxta seriem est 98.

PARTES Psalmi 72.

- Prædicat salutem Dei populo Israel potenter & miraculosè exhibitam. Vbi
  - Ad cantandum Domino hortatur omnes.
  - Ostendit declarasse Deũ, esse sibi virtutem saluandi, & insticiam exercendi.
  - Significat vnde motus sit Dominus ad operandam salutem populi sui, quia ex bonitate sua.
- Adhortatur terram vniuersam, mare, flumina, montes, &c. ad iubilandum, vociferandum, exultandum, tubis clangendum, intonandum, & plaudendum coram Domino.

Dispositio Psalmi 73. qui iuxta seriem est 99.

PARTES psalmi 73.

- Tribuit regno Dei quod populum suum contra hostiles populos tueatur, quantumuis illi fremant. Vbi
  - Prædicat Dei potentiam.
  - Hortatur omnes ad laudandum Deum, quia potens & sanctus est.
  - Prædicat nomen Dei, celebratque illud à magnitudine & terribili maiestate.
- Regnum Dei celebrat, quod iudicium & iusticiam in populo suo exerceat. Vbi
  - Celebrat regnum Dei omnipotentissimum & admirandum à studio iudicij & iusticiæ.
  - Hortatur iterum ad laudandum Deum, propter æquitatem & iusticiam regni eius.
- Tribuit Deo clementiã ad exaudiendum suos ad se clamantes. Vbi
  - Exempla huius rei adducit ex veterum historijs desumpta. Inducit verò Mosen, Aaronem & Samuelem, qui non solùm pro seipsis, sed & pro populo Dei inuocauerint, & exauditi sint. Lege de hoc Exodi 14. Num. 16. 1. Samuel. 7. De Columna nubis, vide Exodi 33.
  - Pietatem & religionem Sanctorum Patrum populo Dei commendat.
  - Habet apostrophen ad Deum vbi clementiam Dei extollit erga suos, iusticiam verò erga hostes.
  - Adhortatur ad laudandum Deum, & addit rationem.

Dispositio Psalmi 74. qui iuxta seriem est 100.

PARTES Psal. 74

- Hortatur & aduocat populum Dei, vt cum gaudio & exultatione, gratiarum actione & laude in conspectu & atrijs Dei sui appareat. Vbi
  - Inuitat ad iubilandum Deo.
  - Rationem reddit, cur id facere debeat, versu 3.
  - Redit ad adhortationem, vt instar ouium per portas Tabernaculi Dei, velut septa sua ingrediatur populus, ibiq; Domino sacrificia laudis offerat.
- Prædicat de Deo quædã talia videlicet quibus animos nostros ad ea excitat, ad quę nos hortatur. Vtpotè quòd
  - Ipse sit Deus.
  - Nos condiderit.
  - Sit bonus.

Dispositio Psalmi 75. qui iuxta seriem est 101.

PARTES Psal. 75.

- Spem habet, qua futurum speret, vt aliquando restitutus de bonitate, ac iudicio Dei, cantet, ac Domino psallat.
- Propositum habet prudenter & integrè vitam instituendi, & quæ mala sunt & iniqua, fugiendi.
- Zelum exprimit, & studium opprimendi reprobos, complectendique & fouendi pios, à versu 4. vsque ad finem.

Dispositio

Dispositio Psalmi 76. qui iuxta seriem Psalmus est 102.

PARTES Psalmi 76.

- Orat ad Deum, vt se precantem, clamantem & inuocantem exaudiat.
- Querimoniam habet satis miserabilem, per ethiologiam. Vbi
  - Miserias suas enumerat.
  - Annectit miseriæ suæ & similitudines quasdam, quibus eam euidentiùs exprimat.
  - De inimicorum suorum illusione & conuicijs conqueritur.
- Occasione ab eo accepta, quòd dies suos velut fumum & vmbram euanescere conquestus est. Gloriam sempiternitatis Deo tribuit.
- Redit ad precationem. Vbi
  - Petit vt Sioni vastatæ succurrat, & misereatur.
  - Addit causas cur Deus illius misereri debeat. Quia
    - Venit tempus miserendi,
    - Serui Dei diligunt Sionem, ita vt & lapidum aceruos singulari amore prosequantur, & cum mœrore & commiseratione puluerem eius aspiciant. Per lapides & puluerem, vastationem vrbis: mœnia videlicet, & quæ splendidiora fuerant deiecta ac diruta, intelligit.
  - Indicat quantum ea res, si Sionis misereatur, ad gloriam nominis Dei, etiam apud gentes & posteras nationes propagandam faciat.
- Redit ad querimoniã. Vbi
  - Opponit suæ mutabilitati immutabilem æternitatem Dei, quæ nullis seculis atteri potest: omnia verò creata atterantur: & hac consideratione fiduciam impetrandi, quod petit, confirmat.
  - Aperit quid oret: videlicet quòd cupiat Israelem per diuinam clementiam confirmari, ne, sicut dignus erat, funditùs extirpetur.

Dispositio Psalmi 77. qui iuxta seriem Psalmus est 103.

PARTES Psalmi 77.

- Animam suam ad laudandum Deum inuitat, & addit rationem: quia Deus illi benefecerit.
- Recenset beneficia Dei, & sibi priuatim & Israeli communiter prestita, à versu 3. vsque & 19. Vbi
  - Beneuolentiam & bonitatẽ Dei erga se declaratam prædicat. Quòd
    - Remiserit omnes iniquitates suas.
    - Morbos suos sanauerit.
    - Vitam suam à morte liberauerit.
    - Deus illi benefecerit, & abundantiam alimoniæ dederit.
  - Prædicat in genere beneficia Israeli præstita Quòd
    - Deus oppressis illis succurrerit.
    - Vias & studia sua illis per Mosen & Prophetas patefecerit.
    - Israeli grauiter ac enormiter postacceptam viarũ Dei cognitionem peccanti pepercerit, & clementer ignouerit. Vbi
      - Prædicat diuinæ bonitatis & clementiæ gratiam. Atque hic vtitur collationibus, vt excellentiam bonitatis Dei declaret.
      - Rationem reddit, cur Deus erga homines transit misericors. Hanc sumit ex miseria conditionis humanæ. Conditione, homo puluis est: fragilitate vitæ est vt herba.
      - Beneuolentiam Dei erga timentes ipsum celebrat, quæ in sempiternũ per omnia secula duratura sit.
- Regnum Dei celebrat, & ad benedicendum illi & Angelos, & potentes, & exercitus, & Ministros, & omnia opera eius, & postremò & animam suam hortatur. Vbi dat Deo
  - Sedem in cœlo: ad iudicandum videlicet paratum, & Regnum, quo non Israeli tantũ, sed & omnibus, quæ in cœlo & terra sunt, dominetur.
  - Tanquam Regi ministros & satellites, qui verbo ipsius obtemperent, & in omnibus seruiant.
  - Opera præclara, quæ talia sunt, vt vbique ad gloriam Dei faciant. Atque hæc omnia ad laudandum Deum inuitat.

Dispositio Psalmi 78. qui iuxta seriem est 104.

PARTES Psalmi 78.

- Excitat seipsum ad laudem Dei.
- Per apostrophen ad Deum ipsum conuertitur, cuius opificium & prouidentiam laudaturus est. Vbi & indicibilem Dei sapientiam & potentiam prædicat.
- Ad populū Dei cōuersus, quædam de Deo prædicat. Vbi
  - Diuinam gloriam similitudine lucis exprimit. Sicut enim circa regiam maiestatem omnia magnificè splendent: ita Deo tanquam Regi omnium potentissimo splendoris vice lucem tribuit, qua sit circumquaque velut vestimento amictus. De hoc vide & 1. Tim. 6. Lucem, inquit, habitat inaccessibilem.
  - Celebrat opera Dei præclara. Vbi
    - Orditur à cœlo ipso tanquam illustriori, dominij Dei loco, vbi cœlum firmamentum intelligit.
    - Prædicat Dei potentiam in aquis, quæ super cœlos sunt, qua fit vt aquæ contra naturam suam in sublimi hæreant, & velut tabulæ quædam superiora cœli contegant.
    - Vt maiestatem cœlestis Regis exprimat, tribuit illi loco curruum & equorum nubes & ventos, quos canit etiam allatos esse, vt admoneat quanta velocitate Deus cunctos totius orbis terminos penetret.
    - Celebrat iterum potentiam Dei, eò quòd Ministros habeat expeditos instar ventorum, & efficacia valentes instar ignis flammantis.
    - Prędicat Dei potentiam & sapientiam in fundatione, cōstitutione, & dispositione telluris; videlicet quòd
      - Super bases, id est, maria, vt Psal. 24. fundauerit eam.
      - Abyssus telluris operimentum fuerit initio, sic vt supra montes steterint aquæ, posteà increpatione Dei velut voce tonitrui fugerint, ac cesserint, de hoc vide Genes. 1.
      - Ascenderint montes, id est, sublimes apparuerint, campi subsederint, id est, inferiora tenuerint. Quibus verbis id exprimit, quod Deus dixit: & appareat arida.
      - Aquis terminos posuerit, quos transgredi non liceat.
    - Celebrat prouidentiam illam Dei, qua dispensatione aquarum necessitatibus & vsibus hominum, bestiarum, volucrum, & arborum, inde ab initio conditarum rerum consulit. Vbi & arborum & mōtium vsus aperit.
    - Post celebrationem eorum, quæ primis tribus diebus in Genesi legūtur à Deo cōdita, progreditur ad ea, quæ quarta die facta commemorantur. Vbi
      - De ratione Lunæ, deinde de Sole, vsuque occasus & ortus illius disserit.
      - Vsum noctis subiungit, ac dicit illam poni à Deo inductis tenebris, & quid commoditatis ex ea cædat, bestijs ostendit,
      - Vsum diurnæ lucis subnectit, quatenus illa & ab hominibus & à bestijs vsurpatur.
    - Tribuit operibus dei per exclamationem tria: quòd sint
      - Innumerabilia.
      - Sapientissimè facta.
      - Facultates Dei, quas ipse possideat.
    - Prædicat sapientiam & potentiam Dei, quæ in mari relucet, & ad opus quinti diei pertinet. Vbi docet quantum sit mare, quid contineat, quid profit.
    - Prædicat prouidentiam Dei, quòd ille omnia condita pascat, ac negato necessario subsidio in suum quæque puluerem redigat, ac nihilominus interea misso Spiritu suo alia atque alia creat, & hoc pacto terræ faciem renouet.
- Conclusionem habet. Vbi
  - Precatur Deo sempiternam gloriam. Et opera eius talia esse prędicat, vt possit illis meritò delectari & gaudere.
  - Encomium diuinæ potentiæ precationi attexit, vbi de terræmotibus & iactu fulminū canit.
  - Subijcit votum doxologiæ, & huius rei rationem assignat.
  - Imprecatur peccatoribus extremum exitium.
  - Animam suam ad laudandum Dominum hortatur.

Dispositio Psalmi 79. qui iuxta seriem Psalmus est 105.

PARTES Psalmi 79.

- Habet adhortationem ad laudandum, inuocandum, quærendum & deprædicandum Deum, & quid canere debeant ostendit: videlicet studia & mirabilia eius.
- Compellat nominatim Israelitas & ad recordandũ fœderis Dei cum Abrahamo, Isac, Iacob initi, ac simul beneficiorũ, quibus illi peculiariter affecti sunt, admonentur, à versu 6. ad 16. Vbi ostendit
  - Qui potissimùm Deo canere debeant: illi videlicet, quos Deus vltronea beneuolentia in seruos & populum peculiarem elegit.
  - Cur illi Deo canere debeant: quia Deus illorum sit potissimùm, licèt vniuersam terram gubernet.
  - Quòd Deus cum Abrahamo, Isaco & Iacobo fœdus pepigerit: idq; in sempiternum.
  - Quòd ad fœdus illud promissio terræ Canaan pertineat.
  - Quòd huius fœderis sui Deus non obliuiscatur, sed recordetur.
  - Quantam sanctorum Patrum curam habuerit Deus, cùm pauci essent & aduenæ in terra.
- Exponit historiam Ioseph filij Iacob in Aegyptum diuenditi, à versu 16. ad 23. vt prouidentiam Dei & fœderis fidem erga Iacobum, & semen eius seruatam celebraret. Leguntur hæc Genesis 37. 38. 39. 40. 41. Vbi
  - Exprimit causam propter quam in Aegyptum missus sit Ioseph: videlicet vt famis tempore necessitati suorum consuleret.
  - Innuit quomodo Ioseph ad id, ad quod vocatus erat, peruenerit: videlicet per fratrum proditionem & venditionem, & grauissimam captiuitatem.
  - Ostendit quando & quomodo à carcere fuerit liberatus, & in quem honorem & excellentiam assumptus.
- De ingressu Iacob in Aegyptum canit, à vers 23. ad 37. & partim quæ filijs Israel ab Aegyptijs, partim Aegyptijs propter Israelem ex ira Dei acciderint, commemorat. Vbi
  - Commemorat, quæ Israeli per Regem Aegypti acciderunt.
  - Ostendit quos Deus ad liberandum Israelem miserit.
  - Canit de signis illis portentis & plagis, quibus Deus per Mosen & Aaronem Aegyptios verbo Dei rebelles punierit. de quibus lege in Exodo.
- Canit de exitu filiorum Israel ex Aegypto, & his quæ in deserto contigerunt, à versu 37. ad 44. Vbi commemorat
  - Quòd populum suum Deus argento & auro onustum ex Aegypto eduxerit.
  - Quòd in tribubus Israelis, quando Aegyptum egrederentur, nemo fuerit infirmus, ac languidus.
  - Quòd non solùm nemine prohibente, ac molestè ferente, sed etiam cunctis lætantibus, egressi sunt Aegyptum.
  - Quòd Deus populo suo præsens ac Dux itineris fuerit.
  - Quòd Deus eos mirabiliter sustentauerit, eò quod verax sit.
  - Quanto cum gaudio Deus Israelem ex Aegypto eduxerit.
- Canit de veritate fœderis, ac promissionis Dei. Vbi
  - Ostendit Deum promissionem illis seruasse, ac præstitisse.
  - Causam finalem assignat, ob quam populus in terram Canaan fuerit collocatus.

Dispositio Psalmi 80. qui iuxta seriem est 106.

Partes Psalmi 80.

- Hortatur omnes ad laudãdum Deũ, & iusticiæ studium. Vbi
  - Excitat populum, vt ex animo Deum suum celebret.
  - Reddit causas adhortationis,
    - Quia bonus est Deus.
    - Quod innumerabilia & inenarrabilia sint illius facinora, quibus potenti brachio populum suum asseruit.
  - Ex consideratione infinitæ bonitatis Dei eò rapitur, vt fœlices eos prædicet, qui studio & obseruantia Dei indesinenter, quod iustum & æquum facientes, in gratia & fauore Dei permanent.
  - Orat vt sui meminisse velit, secundũ eam beneuolentiam suam & salutem, qua populo suo succurrere consueuit.
- Edit confessionem paternorum delictorum. Vbi
  - Rebellionem eorum ponit, quam in Aegypto & ad mare rubrũ aduersus Deum ostẽderunt, à versu 6. ad 13. de hoc vide Exod. 5. & 14. Vbi
    - Exaggerat peccata populi Israelis, versu 6. & 7.
    - Clemẽtiã ac bonitatẽ dei prædicat, qua Israelem, quamuis incredulũ, è manibus hostium seruauerit. Vbi commemorat,
      - Quòd Deus rebelles Israelitas seruauerit.
      - Quare hoc fecerit: videlicet propter nomen suum.
      - Quomodo hoc fecerit: videlicet quod eos per mare rubrum traduxerit.
      - Vnde eos seruauerit: de manu videlicet odientis.
      - Quòd hostes eorum deleuerit.
      - Quid hanc liberationem subsecutum sit: videlicet fides & canticum, seu laus Israelitarum.
  - Recẽset ea peccata, quibus Israel irã Dei cõtra se murmurando prouocauit, & simul plagas insecutas adijcit, à versu. 13. ad 24. Recenset autem septem eorum historias.
    - Est versu 13. de murmuratione ad aquas amaras, de quo Exodi 15.
    - Est de murmuratione pro carnibus, versu 14. 15. cuius historia legitur Num. 11.
    - Est versu 16. 17. 18. de conspiratione Leuitarum Chore, Dathan, &c. de quo Num. 16. Vbi geminus istorum interitus ponitur, sicut & hoc loco. Vnus est cùm dicit, Aperta est terra: alter cùm dicit, Et exarsit ignis.
    - De vituli adoratione, à versu 19. ad 24. de quo vide Exodi 32.
    - De exploratoribus terræ Canaan, qui redeuntes populum ab ingressu terræ terruerunt, à versu 24. ad 27. de quo Num. 13.
    - A versu 28. ad 31. de pollutione Israelis, qua pollutus erat cultu Baal-Peor, & scortatione eum Moabiticis mulieribus, de quo Num. 25. vbi & factum Phineas commemoratur, quo plaga cessauit.
    - De murmuratione eorum ad aquas contradictionis, vers. 32. & 33. de quo Num. 20.
  - Commemorat quomodo Israelitæ in ipsa terra Canaan constituti, impiè aduersus Deum egerint, & propter hoc aliquoties in manus inimicorũ traditi, ne inde rursus diuina gratia liberati fuerint. Vbi tria canit:
    - Quomodo Israel in ipsa terra Canaan à Domino Deo suo ad idola gentium defecerit.
    - Quomodo Deus ob idololatriã eos in manus gentium, quorum vias sectabantur, dederit.
    - Quàm misericorditer ac sæpenumerò è manu inimicorum rursus eos liberauerit.
- Concludit Psalmum oratione & gratiarum actione. Vbi
  - Petit vt
    - Seruentur, & eripiantur.
    - Colligantur è medio gentium, & in terram suam restituantur.
  - Habet sacrificium laudis, ad quod laudandum adhortatur.

Dispositio Psalmi 81. qui iuxta seriem Psalmus est 107.

PARTES Psalmi 81.

- Habet admonitionem, vt hi, quos Dominus erroribus solitudinum liberauit, & ad mansiones hominum reduxit, illius bonitatem agnoscant, & mirabilia eius deprædicent. Vbi
  - In genere quosuis hortatur, vt Domino confiteantur, eò quòd bonus sit.
  - Admonet eos, quos bonitas Dei ex angustijs liberat, cum in solitudinibus victus quærendi causa oberrant, fameque & siti periclitantur, vt dicant: Confitemini Domino, quoniam bonus.
  - Innuit quid in solitudine oberrantes agere, & quomodo sese gerere debeant: nempe vt clament ad Dominum.
  - Significat Dominum clamantes ad se exaudire.
- Admonet eos, quos clementia Dei carceribus & vinculis eximit, vt bonitatem Dei celebrent, & filijs hominum manifestent. Vbi
  - Eos alloquitur & affatur, quos diuina gratia vinculis & carceribus detentos liberat.
  - Canit de causa, propter quam plerunq; in vincula conijciantur homines.
  - Significat quid ab illis, qui in vinculis sunt, requirat Deus: clamorem videlicet.
  - Ostendit Deum clamantes ad se exaudire.
- Admonet eos, qui diuino auxilio grauissimis morbis liberati, & sanitate restituti sunt, vt Deo sacrificium laudis offerant. Vbi
  - Canit de causa, propter quam in morbos conijciantur.
  - Grauitatē morborū exprimit, cùm dicit, ægrotos quemuis cibū fastidire.
  - Commemorat id, quod ex huiusmodi angustia nascitur: nempe clamor ad Deum.
  - Exprimit Dei beneficentiam erga ægrotos.
  - Innuit quid ægroti iam morbo liberati agere debeant: videlicet celebrare Dominum.
- Admonet à versu 23. vsque ad 33. eos qui periculis maris erepti sunt, vt bonitatem Dei agnoscant, & in Ecclesia populari deprædicent. Vbi
  - Eos inducit, quibus plurimus vsus est in mari, siue sint piscatores, siue negotiatores.
  - Periculum describit, in quod frequenter incidunt, qui in aquis validis continuè operantur. Vbi & hyperbole vtitur.
  - Subijcit quomodo huiusmodi discrimine correpti affecti sint, & quomodo se gerant: Clamant, inquit, ad Dominum.
  - Ostendit quomodo liberentur. Vbi duo dat Deo: Quòd
    - Nauigantes ad portum desideratum ducit.
    - Immissum maris turbinem sedet.
  - Requirit ab his laudem & confessionem Dei.
- Canit de eo, quod ratio victus & incolatus humani deinde & fastigia regnorum secundum consilium & prouidentiā Dei, magnis & stupendis mutationibus dispensentur, à ver. 33. ad finem. Vbi
  - Canit quòd propter mortalium malitiā flumina & fontes exsiccet Deus, sic vt terra irrigua perinde sterilis reddatur, ac si salsugine esset infecta, & omni virtute germinandi priuata.
  - Potentiam Dei celebrat, qua terram sterilem & aridam, quæ instar deserti est, irriguam reddat & frugiferam: sic vt habitetur, colatur, & vberes fructus adferat.
  - Significat homines prosperitate rerum insolentiores, calamitatibus, morbis, & tyrannide potentum humiliari.
  - Ostendit potentes etiam & omnia illorum in manu Dei esse, & eos elatos ac superbos reddere contemptos: egenos verò afflictionibus ereptos exaltare, ac familias eorum instar ouium multiplicare.
- Concludit Psalmum, vbi admonet eos, quibus aliquid pietatis est, vt ista, de quibus cecinit, obseruent, bonitatem Dei intelligant, & interim iniqui ora suā contrahant: id est, obstupescant, & taceant.

Dispositio Psalmi 82. qui iuxta seriem Psalmus est 108.

PARTES Psalmi 82.

- Offert animi sui alacritatem ad laudandũ deũ nõ ore tantum, sed & Musicis instrumẽtis: idq; in medio populorum. Id facit primis 4. versibus. Vbi
  - Deum laudaturus initio, cor adfert ad id instituti paratum.
  - Ostendit cor paratum otiosum esse non posse. Nam ex abundantia cordis os loquitur.
  - Rationem reddit, cur tantoperè ad laudandum Deum gestiat, & vnde ad hoc moueatur. Vbi significat se ad hoc moueri sensu bonitatis Dei.
- Votum suum erga Deum intertexit, quo optat, vt gloria illius exaltetur super vniuersam terrã ad hoc, vt eripiantur afflicti. Id facit 5. & 6. versu.
- De eo canit, quam fiduciam ex oraculo Dei de dilatatione regni Israelis conceperit, & quousque fines illius extendere velit. Vbi
  - Inducit certitudinem fiduciæ suæ, conceptam ex oraculo Dei: Deus, inquit, locutus est in sanctitate: id est, per sanctitatem suam confirmauit, traditurum se nobis terram hostium nostrorum.
  - Canit de eo, quòd etiam reliquæ tribus Israel post mortem Saulis potestati ipsius subiectæ fuerint.
  - De gentibus sibi subiectis canit.
  - Innuit quò vsque regni terminos extendere cupiat: videlicet ad Damascum vsque, quæ ciuitas regni Syriæ caput fuit. Hanc ciuitatem Munitam appellat, vel ciuitatem pro omnibus munitionibus gentium ciuitatibus accipit.
- Oratione Psalmum cõcludit. Vbi
  - Petit vt & in posterum populo suo succurrat Deus.
  - Addit rationem cur hoc à Deo petat.
  - Significat quàm velit se fortiter aduersus gentes gerere, quòd sciat Deum illos prorsus conculcaturum.

Dispositio Psalmi 83. qui iuxta seriem Psalmus est 109.

PARTES Psal. 83.

- Conqueritur de inimicorum suorum fraude & malitia. Vbi
  - Implorat opem Dei contra inimicos suos.
  - Queritur de virulentis illorum, ac subdolis linguis, quibus ipsi interitum machinabantur.
  - Queritur ista fieri contra se, non solùm immeritum, sed & benemeritum. Dicit enim se illos dilexisse, pro illis orasse: illos tamen odium & malefaciendi studium impendisse.
- Imprecatur illis diuinã vltionem singularem, & horrendam, ac simul ostendit à versu 6. ad 21. Vbi imprecatur mala
  - Aduersario suo Doeg. Vbi
    - Petit vt subijciat aduersarium suum homini impio, cuius libidini ac violentiæ per omnia sit obnoxius.
    - Imprecatur illi condemnationem impietatis, vt in iudicio impietatis conuictus condemnetur, ac pœnis impietatis subijciatur, nec vllam veniam impetret, quantumuis meritam vltionem deprecetur. Hoc enim est peccatum fieri deprecationem eius: id est, irritam fieri.
    - Petit vt aduersarius eo munere, quo tantoperè insolescebat, & quo ad opprimendum innoxium abutebatur, priuetur.
  - Liberis, vxori, & toti posteritati. Vbi
    - Liberis imprecatur vt orphani sint.
    - Vxori imprecatur vt vidua sit.
    - Imprecatur filijs extremam egestatem, vbi & modum aperit, quò ad summam egestatem adigi debeant, cùm antea fuerint opulenti: Fœneratoribus, inquit, obnoxiæ sint omnes illius facultates.
    - Orat ne quisquam orphanorum eius misereatur.
    - Orat vt posteritas eius breui excindatur.
    - Orat vt non solùm ipsius, sed & maiorum ipsius ac matris quoque peccata in ipso & posteris eius visitentur, & puniantur.
  - Rationem reddit, ob quam & ipsi aduersario Doeg & posteris eius tam grauem vltionem à Deo imprecetur.
- Auxilium Dei, & seq. Vide literam A.

A. Auxilium Dei implorat, & afflictionem suam gratiæ illius commendat. Vbi
- Orat vt Deus secum facere, & se eripere velit.
- Fidem suam inter orãdum erigit, quòd
  - Deum vocat Dominum suum.
  - Ad nomen Dei & bonitatem suam respiciat.
- Miseriam & calamitatem suã benignitati Dei proponit, vbi calamitatẽ suã recenset. Vbi
  - Orditur à corde, quod vulneratum: id est, acri dolore confectum esse queritur.
  - Transit ad externam corporis dispositionem misere affectã. Vbi queritur
    - Se abire: id est, euanescere & dilabi, perinde atque vmbra solet, cùm declinat. Intelligit de macilentia & inanitione virium corporis.
    - De eò, quòd nusquam consistere possit, sicut locusta.
  - Queritur de eo, quòd factus sit probrum inimicis suis.
- Redit ad precationem suam, & causam reddit: vt videlicet manifestum sit se defendi diuinitùs.
- Confidentiam cordis sui exprimit, qua maledictionem & insectationem inimicorum suorum contempturus sit, si gratiam & opem Domini Dei sui consecutus fuerit.
- Ignominiam & confusionem inimicis suis imprecatur externam & publicam, quam similitudine indumenti & pallij declarat.

Claudit Psalmum per votum diuinæ laudis, & gratiarum actionis. Vbi quid de Deo ad laudem nominis eius in medio multorum prædicare velit, ostendit.

Dispositio Psalmi 84. qui iuxta seriem est 110.

Partes Psal. 84. Vaticinatur de

- Gloria regni Christi, quam à Patre postquã à mortuis resurrexisset, in cœlestibus accepturus erat. Vbi
  - Canit Christum à morte crucis & resurrectione, non solùm tutum ac securum aduersus omnium inimicorum suorum insidias, sed & Dominum omnium in gloria Dei futurum esse. Id quod similitudine à cõsuetudine regnorum sumpta expressit, qua fit vt primogenitus Patri ad dexterã assideat, tanquam regni hæres. Loquitur autem hic more humano de rebus diuinis & spiritualibus: quare & verbum dixit, non de sermone oris, qualis noster est, sed de inscrutabili illius prouidentia & constitutione intelligendum est. Sedere verò Christi, hoc loco regnare est: dextera potentiæ est. Non enim Deus ita membris humanis & locorum discrimini subiectus est, vt læuam habeat & dexteram: sed per hanc regni similitudinem, cœlestis ac spiritualis regni gloriam Christo primogenito Dei ab æterno destinatam, intelligit.
  - Quid Deus filio suo de opprimendis hostibus suis promiserit, inducto Patris oraculo recenset: Donec, inquit, ponam inimicos tuos, &c. Quibus verbis Filio suo Pater summam regni prosperitatem promittit, quã inimici eius quantumuis potentes & multi vsque adeò impedire nequeant, vt tandem omni potentia & gloria exuti, pedibus ipsius subijciantur.
  - Amplificat oraculũ Dei, quod primo versu de Regno Christi præmissum est. Vbi
    - Innuit vbi initium regni Christi sit futurum: nempe in Sion. Hîc verò per sceptrum regni administrationem, seu verbum intelligit, signum vsurpans pro signato.
    - De potentia regni Christi vaticinatur, quam ex Sion progressuram dixit: Regnabis, inquit, in medio inimicorum tuorum.
    - Aperit qualis sit populus huius Regis, quia spontaneus, qui animo voluntario Regem suum veneratur, & colit.
    - Significat Christi filios, quos hîc vt Hebraica lectio habet, iuuentutem Christi nuncupat, ex illo perinde vberum & magna copia nasciturus, atque ex aurora ros matutinus prouenit. Et hæc iuuentus Christi in die virtutis & splendoris eius fœliciter nascebatur. Vbi tempus virtutis vocat, quando illam potissimum exeruit & declarauit. Splendores sanctitatis maiestatem illam & gloriam miraculorum intelligit, quibus cùm antè, tum post resurrectionem, regni sui splendorem ostendit.
    - Canit hunc Regem sic fore diuina virtute præditum, vt gentes sibi aduersas cũ omnibus illorũ capitibus ac Regibus sit pessundaturus: idq; iuxta Dei oraculũ mox initio Psalmi positũ.
    - Qua ratione hic Rex exaltandus fuerit, quia per calicis & torrentis potum: id est, communes & horribiles afflictiones.
- Sacerdotio Christi. Vbi tribuit
  - Christo Sacerdotium ab Aaronico diuersum: videlicet secundùm ordinem Melchisedech.
  - Illi quòd sit æternũ, & ad firmitatem Sacerdotij huius exprimendam, rursus diuinum oraculum inducit. de quo & Heb. 7. vbi iurare pro iureiurãdo confirmare ponitur.

Dispositio Psalmi 82. qui iuxta seriem Psalmus est 108.

PARTES Psalmi 82.

- Offert animi sui alacritatem ad laudandũ deũ nõ ore tantum, sed & Musicis instrumẽtis: idq; in medio populorum. Id facit primis 4. versibus. Vbi
  - Deum laudaturus initio, cor adfert ad id instituti paratum.
  - Ostendit cor paratum otiosum esse non posse. Nam ex abundantia cordis os loquitur.
  - Rationem reddit, cur tantoperè ad laudandum Deum gestiat, & vnde ad hoc moueatur. Vbi significat se ad hoc moueri sensu bonitatis Dei.
- Votum suum erga Deum intertexit, quo optat, vt gloria illius exaltetur super vniuersam terrã ad hoc, vt eripiantur afflicti. Id facit 5. & 6. versu.
- De eo canit, quam fiduciam ex oraculo Dei de dilatatione regni Israelis conceperit, & quousque fines illius extendere velit. Vbi
  - Inducit certitudinem fiduciæ suæ, conceptam ex oraculo Dei: Deus, inquit, locutus est in sanctitate: id est, per sanctitatem suam confirmauit, traditurum se nobis terram hostium nostrorum.
  - Canit de eo, quòd etiam reliquæ tribus Israel post mortem Saulis potestati ipsius subiectæ fuerint.
  - De gentibus sibi subiectis canit.
  - Innuit quò vsque regni terminos extendere cupiat: videlicet ad Damascum vsque, quæ ciuitas regni Syriæ caput fuit. Hanc ciuitatem Munitam appellat, vel ciuitatem pro omnibus munitionibus gentium ciuitatibus accipit.
- Oratione Psalmum cõcludit. Vbi
  - Petit vt & in posterum populo suo succurrat Deus.
  - Addit rationem cur hoc à Deo petat.
  - Significat quàm velit se fortiter aduersus gentes gerere, quòd sciat Deum illos prorsus conculcaturum.

Dispositio Psalmi 83. qui iuxta seriem Psalmus est 109.

PARTES Psal. 83.

- Conqueritur de inimicorum suorum fraude & malitia. Vbi
  - Implorat opem Dei contra inimicos suos.
  - Queritur de virulentis illorum, ac subdolis linguis, quibus ipsi interitum machinabantur.
  - Queritur ista fieri contra se, non solùm immeritum, sed & benemeritum. Dicit enim se illos dilexisse, pro illis orasse: illos tamen odium & malefacendi studium impendisse.
- Imprecatur illis diuinã vltionem singularem, & horrendam, ac simul ostendit à versu 6. ad 21. Vbi imprecatur mala
  - Aduersario suo Doeg. Vbi
    - Petit vt subijciat aduersarium suum homini impio, cuius libidini ac violentiæ per omnia fit obnoxius.
    - Imprecatur illi condemnationem impietatis, vt in iudicio impietatis conuictus condemnetur, ac pœnis impietatis subijciatur, nec vllam veniam impetret, quantumuis meritam vltionem deprecetur. Hoc enim est peccatum fieri deprecationem eius: id est, irritam fieri.
    - Petit vt aduersarius eo munere, quo tantoperè insolescebat, & quo ad opprimendum innoxium abutebatur, priuetur.
  - Liberis, vxori, & toti posteritati. Vbi
    - Liberis imprecatur vt orphani sint.
    - Vxori imprecatur vt vidua sit.
    - Imprecatur filijs extremam egestatem, vbi & modum aperit, quò ad summam egestatem adigi debeant, cùm antea fuerint opulenti: Fœneratoribus, inquit, obnoxiæ sint omnes illius facultates.
    - Orat ne quisquam orphanorum eius misereatur.
    - Orat vt posteritas eius breui excindatur.
    - Orat vt non solùm ipsius, sed & maiorum ipsius ac matris quoque peccata in ipso & posteris eius visitentur, & puniantur.
  - Rationem reddit, ob quam & ipsi aduersario Doeg & posteris eius tam grauem vltionem à Deo imprecetur.
- Auxilium Dei, & seq. Vide literam A.

A.
- Auxilium Dei implorat, & afflictionem suam gratiæ illius commendat. Vbi
  - Orat vt Deus secum facere, & se eripere velit.
  - Fidem suam inter orãdum erigit, quòd
    - Deum vocat Dominum suum.
    - Ad nomen Dei & bonitatem suam respiciat.
  - Miseriam & calamitatem suã benignitati Dei proponit, vbi calamitatẽ suã recenset. Vbi
    - Orditur à corde, quod vulneratum: id est, acri dolore confectum esse queritur.
    - Transit ad externam corporis dispositionem misere affectã. Vbi queritur
      - Se abire: id est, euanescere & dilabi, perinde atque vmbra solet cùm declinat.
      - Intelligit de macilentia & inanitione vitium corporis.
      - De eò, quòd nusquam consistere possit, sicut locusta.
    - Queritur de eo, quòd factus sit probrum inimicis suis.
  - Redit ad precationem suam, & causam reddit: vt videlicet manifestum sit se defendi diuinitùs.
  - Confidentiam cordis sui exprimit, qua maledictionem & insectationem inimicorum suorum contempturus sit, si gratiam & opem Domini Dei sui consecutus fuerit.
  - Ignominiam & confusionem inimicis suis imprecatur externam & publicam, quam similitudine indumenti & pallij declarat.
- Claudit Psalmum per votum diuinæ laudis, & gratiarum actionis. Vbi quid de Deo ad laudem nominis eius in medio multorum prædicare velit, ostendit.

Dispositio Psalmi 84. qui iuxta seriem est 110.

Partes Psal. 84. Vaticinatur de
- Gloria regni Christi, quam à Patre postquã à mortuis resurrexisset, in cœlestibus accepturus erat. Vbi
  - Canit Christum à morte crucis & resurrectione, non solùm tutum ac securum aduersus omnium inimicorum suorum insidias, sed & Dominum omnium in gloria Dei futurum esse. Id quod similitudine à cõsuetudine regnorum sumpta expressit, qua fit vt primogenitus Patri ad dexterã assideat, tanquam regni hæres. Loquitur autem hic more humano de rebus diuinis & spiritualibus: quare & verbum dixit, non de sermone oris, qualis noster est, sed de inscrutabili illius prouidentia & constitutione intelligendum est. Sedere verò Christi, hoc loco regnare est: dextera potentiæ est. Non enim Deus ita membris humanis & locorum discrimini subiectus est, vt læuam habeat & dexteram: sed per hanc regni similitudinem, cœlestis ac spiritualis regni gloriam Christo primogenito Dei ab æterno destinatam, intelligit.
  - Quid Deus filio suo de opprimendis hostibus suis promiserit, inducto Patris oraculo recenset: Donec, inquit, ponam inimicos tuos, &c. Quibus verbis Filio suo Pater summam regni prosperitatem promittit, quã inimici eius quantumuis potentes & multi vsque adeò impedire nequeant, vt tandem omni potentia & gloria exuti, pedibus ipsius subijciantur.
  - Amplificat oraculũ Dei, quod primo versũ de Regno Christi præmissum est. Vbi
    - Innuit vbi initium regni Christi sit futurum: nempe in Sion. Hîc verò per sceptrum regni administrationem, seu verbum intelligit, signum vsurpans pro signato.
    - De potentia regni Christi vaticinatur, quam ex Sion progressuram dixit: Regnabis, inquit, in medio inimicorum tuorum.
    - Aperit qualis sit populus huius Regis, quia spontaneus, qui animo voluntario Regem suum veneratur, & colit.
    - Significat Christi filios, quos hîc vt Hebraica lectio habet, iuuentutem Christi nuncupat, ex illo perinde vberum & magna copia nasci turos, atque ex aurora ros matutinus prouenit. Et hæc iuuentus Christi in die virtutis & splendoris eius fœliciter nascebatur. Vbi tempus virtutis vocat, quando illam potissimum exeruit & declarauit. Splendores sanctitatis maiestatem illam & gloriam miraculorum intelligit, quibus cùm antè, tum post resurrectionem, regni sui splendorem ostendit.
    - Canit hunc Regem sic fore diuina virtute præditum, vt gentes sibi aduersas cũ omnibus illorũ capitibus ac Regibus sit pessundaturus: idq; iuxta Dei oraculũ mox initio Psalmi positũ.
    - Qua ratione hic Rex exaltandus fuerit, quia per calicis & torrentis potum: id est, communes & horribiles afflictiones.
- Sacerdotio Christi. Vbi tribuit
  - Christo Sacerdotium ab Aaronico diuersum: videlicet secundùm ordinem Melchisedech.
  - Illi quòd sit æternũ, & ad firmitatem Sacerdotij huius exprimendam rursus diuinum oraculum inducit. de quo & Heb. 7. vbi iurare pro iureiurãdo confirmare ponitur.

Dispositio Psalmi 85. qui iuxta seriem Psalmus est 111.

PARTES Psalmi 85.

- Significat quid hoc Psalmo instituerit: quòd videlicet Dominum laudare velit.
- Celebrat & extollit illa dei opera, quibus fœderis sui memor, Israelem ex Aegypto magnificis portétis liberauit, & in terras gentiū hæreditario possidendas induxit. Vbi
  - Orditur in genere à laude operum Dei, quæ vocat magnifica, & illustria.
  - Iusticiam, id est, bonitatem Dei celebrat, & prædicat de ea, quòd duret in æternum.
  - De illis operibus canit speciaIiter, quæ erga Israelé declarauit Deus, quæ vocat mirabilia: vt quòd
    - Dederit illis victoriam: vel, vt alij codices habent, escam.
    - Potentiam operum suorum illis monstrauerit, dum populo suo terram gentium daret.
- Cóiungit commendationé operum, statutorum, fœderis, ac nominis Dei, quæ omnia in redemptione Israel concurrerunt. Vbi
  - De operibus & mandatis canit, quòd sint fidelia & æqua, versu 7.
  - Mandatis eius perpetuam veritatis soliditatem tribuit.
  - Fidem & æquitatem mandatis illius adscribit, perinde atq; operibus.
  - Prædicat de Deo, quòd populo suo redemptionem miserit, & fœdus suum cum illo in sempiternum propagârit.
  - Ex præcedentium consideratione prorumpit in exclamationem, dicens: Sanctum & terribile nomen eius. Vbi nomen pro memoria & recordatione Dei accipitur. Hanc dicit esse sanctam & terribilem.
  - Timorem Dei, id est, cultum & obseruantiam Dei celebrat, qua pij voluntati illius semper student.
  - Sapientiam, quæ ex timore est, exponit, cùm intellectum vtilem vocat, & æterna laude dignam pronunciat.

Dispositio Psalmi 86. qui iuxta seriem Psalmus est 112.

PARTES Psalmi 86.

- Ponit propositionem, quæ est, Beatum esse illum virum, qui timet Dominum.
- Extollit eos qui timent Dominum Vbi
  - Argumenta propositionis subijcit, & rationes cur timés Dei beatus sit. Quia
    - Semen illius potens sit & benedictum.
    - Timens Dei diues ac fœlix nonnunquam redditur, in hoc etiam seculo.
    - Studium iusticiæ & probitatis retinet.
    - Temporibus aduersis & tenebricosis, singulari quadam diuinæ consolationis gratiâ, quasi luce aliqua fruitur. Id quod benignitati Dei tribuit.
    - Misericors est, & mutuum dat
    - Res suas ritè, ac cum iudicio dispensat, vt det cui dandum sit, & reddat si quid debet.
    - Non mouebitur, id est, contra quosuis insultus diuina protectione defenditur.
    - Memoria illius coram Deo nunquam interire potest.
    - A rumore periculi haudquaquam formidabit.
    - Cor timentis Dei confirmatum & paratum est.
    - Vir timens Dei liberatus prorsus hostium suorum interitum & exitium magno cum gaudio videbit.
    - Liberalis est erga pauperes.
    - Gloriosus erit & potens.
- Infœlicitatem impiorum perstringit. Vbi
  - Significat impios turbari & tabescere, cùm piorum fœlicitatem vident.
  - Ratio redditur, ob quam ista perturbatio accidat impijs: videlicet quòd votis suis frustrari se sentiūt, imò ipsis oculis vident, dum cornua piorum exaltari cernunt. Hoc est quod dicit: desiderium impiorum peribit.

Dispositio Psalmi 87. qui iuxta seriem Psalmus est 113.

Habet paræ-nesim, qua serui Dei excitantur. Vbi

- Habet adhortationem ad laudem Dei.
- Formam seruis Dei præscribit, quomodo debeant nomen Dei laudare: Sit inquit, nomẽ Dei benedictũ.
- Rationem reddit quare optandum sit seruis Dei, vt nomen eius non in Iudæa tantùm, sed toto terrarum orbe inter cunctas Gentes laudetur. Atque hîc adducit quædam ad diuinam maiestatẽ & prouidentiã pertinentia, quæ sic de Deo prædicat, vt cunctis in vniuersum dijs & potentibus adimat. De prouidẽtia Dei canit, quòd egenorum, humilium & sterilium rationem habeat.

Dispositio Psalmi 88. qui iuxta seriem Psalmus est 114.

- Refricat egressionis ac seruitutis etiam Aegyptiacæ memoriam, cùm dicit: De populo barbaro, id est, duro, inhumano, ac crudeli.
- Ostendit hunc populum Israel fuisse Dei populum peculiarem & sanctum, nemini iam nisi ipsi subiectum & consecratum.
- Refricat memoriam quorundam singularium miraculorum Dei, quibus potentiam suã Deus declarauit cùm Israelẽ ex Aegypto liberasset, & eduxisset. Vbi
  - Commemorat tria insignia miracula: Primum, de diuiso mari rubro, cuius historia legitur Exod. 14. Secundum, de Iordanis transitu, de quo Iosue 3. Tertium, de commotione montis Sina, de qua Exod. 19. Vtitur autem hic prosopopeia: nam de mari, Iordane, & montibus, quasi de animalibus quibusdam sensu & ratione præditis canit.
  - Appellat res inanimes, ac interrogat quid acciderit ipsis quod ad transitum Israelis, naturæ suæ oblitæ, insuetis se modis gesserint, mare fugerit, Iordanis cesserit, montes subsiluerint: id verò facit, vt de potentia Dei Israelem admoneat.
  - Habet responsum ad interrogationem: quòd videlicet præsentia diuinæ maiestatis aderat, populum suum ad terram promissam ducentis. Vbi & miraculum illud Dei adducit, quo è durissima petra liquidissima fluenta, fontium instar, produxit.

Dispositio Psalmi 89. qui iuxta seriem Psalmus est 115.

PARTES Psalmi. 89

- Contendit pro gloria Dei Israelis aduersus deos & simulachra Gentium. Vbi
  - Exprimit animi sui affectum. Vrebat enim ipsum, quòd Israel populus Dei irridebatur à gentibus, hoc nomine, quòd Deum haberet, quem monstrare non posset. Quia igitur hac ratione Dei gloria probris Gentium periclitabatur, petit vt eam vindicet, & qualis qualis sit populus Israel, gloriam benignitatis suæ asserat.
  - Aperit quod genus probri nomini Dei illatum à Gentibus, repelli petat.
  - Occurrit insultationi Gentium, & gloriam diuinæ maiestatis tuetur, ea illi tribuens, quæ dijs Gentium tribui non poterunt.
  - Post assertã diuinæ maiestatis gloriam deos Gentium refutat & vanitatem eorum perstringit. Vbi
    - Arguit simulachra gentium deos non esse.
      - A materia: sunt enim vel ex auro, vel argento, vel lapide, &c.
      - Ab opificio, quòd non Dei, sed hominum opera sint.
      - A formæ inefficatia & vanitate. Habent enim membra, sed vsum membrorum non habent, quia vitam non habent.
    - Traducit omnes illorum cùm cultores tum factores.
- Hortatur populum vt spem suam in Deum collocet non in falsos deos. Id facit per apostrophen. Vbi appellat
  - In genere vniuersum Israelem.
  - Specialiter domum Aaronis: id est, Sacerdotes & Leuitas.
  - Timentes Dominum: id est, veros cultores Dei cuiuscunque conditionis sint.
- Pollicetur, Admonet, & seq. Vide literam A.

- A.
  - Pollicetur & ipsis & posteris eorum diuinę benedictionis gratiam. Vbi.
    - Eos repetit, quos antea ad sperandum in Domino adhortatus erat ne putent videlicet Deum populi sui oblitum esse, quòd illum libidini Gentium permisisset.
    - Canit de cœlo & terra, quòd sint in iure & potestate Dei tanquam opificis ipsorum, vt cœli & terra non sint deorum Gentilium, sed Domini. Quòd autem filij hominum terram incolunt: id est, ipsius beneficium, ita vt Gentes non habeant terram à dijs suis, sed à Deo vero, qui omnia condidit.
  - Admonet vt Dominum laudibus in sempiternum vsq; extollant, eò quòd id operis propriè non sit mortuorum sed viuentium.

Dispositio Psalmi 90. qui iuxta seriem Psalmus est 116.

- PARTES Psalmi. 90.
  - Animi sui affectum exprimit. Vbi
    - Explicat quo affectu dilectionis erga Deum fuerit.
    - Ostendit, vnde hunc animum conceperit: quòd videlicet in tribulatione exauditus sit.
    - Narrat periculum in quo constitutus ad Deum clamauerit & exauditus sit.
    - Explicat in summa quomodo Deum inuocauerit.
  - Prædicat Dei misericordiam in
    - Genere: & addit testimonium bonitatis Dei, quòd custodiat paruulos: id est, simplices & abiectos.
    - Specie: nam exempli vice de se subijcit, vbi & seipsum alloquitur pro gaudio ex eo concepto, quòd liberatus esset ope Domini, & regno restitutus. Requiem verò vel regni sedem vel pacem ac tranquillitatem regni, qua potitus erat, deuictis diuinitùs hostibus, intelligit. Policetur verò se coram arca Domini pro pietate ac religione sua versaturum, ac sacrificia laudis Domino oblaturum.
  - De Absalonis mendacio conqueritur, qui patri dixerat: Vadam & reddam vota mea quæ voui Domino, &c. Quòd falsò prætextu dixerat: Nam abibat ad moliendam rebellionem & occupationem regni, quod Dauid non intellexerat: postea verò reuera expertus est. De quo 2. Samuelis. 15 &c. Vbi
    - Quid locutus sit exprimit versu 11. Omnis, inquit, homo mendax: id est, nusquam fides, nusquam veritas ne in amicis, imò ne in filio quidem, nedum in populo.
    - Ostendit quando id locutus sit: In præcipitatione mea, inquit, & dum affligerer admodum.
    - Exprimit quare id locutus sit, cum dicit: Credidi propter quod locutus sum: id est, quoniam sic persuadebar in corde, ideò sic loquebar.
  - Exprimit animi sui gratitudinem pro beneficijs Dei. Vbi
    - Quid agere velit, ostendit.
    - Aperit quàm non deserat Deus suos, quos in gratiam suam accepit, & quàm chara sit illi vita illorum.
    - Dei beneficia in se collata recenset.
    - Repetit quod antea de sacrificio laudis dixit.
    - Innuit vbi Domino sacrificium laudis offerre cupiat.

Dispositio seu summa Psalmi 91. qui iuxta seriem Psalmus est 117.

Hortatur cunctas totius orbis nationes ad laudandum Deum: ac rationem reddit, quare omnes Gentes Dominum laudare debeant: videlicet propter benignitatis ac fidei eius confirmationem.

Dispositio Psalmi 92. qui iuxta seriem Psalmus est 118.

PARTES Psalmi 92.

- Hortatur populum Israelis, domum Aaron, & timétes Dei, ad laudandam Dei bonitaté & fidem. Vbi
  - Hortatur omnes ad laudandum Deum.
  - Nominatim Israelem appellat, & mox specialiter domum Aaronis: id est, Sacerdotes.
  - Appellat timentes Dei, exigens ab illis, vt succinant, ac dicant: Quoniam in seculum misericordia eius.
- Celebrat bonitaté Dei in illis quæ sibi contigerunt. Vbi
  - In genere dicit: Ex angustia inuocaui Dominum & respondit mihi: id est, fui in magnis periculis & tribulationibus, omnium mortalium auxilio destitutus, inuocaui Dominum: ille verò me non contempsit miserum & afflictum, sed inuocanti respondit, & opem tulit: idque effecit vt ex angustijs liberatus in latitudinem: id est, securitatem peruenirem.
  - Subijcit quam fiduciam ex eo conceperit erga Deum, quòd se ex angustia liberauit, videlicet quòd
    - Id sibi persuasit, esse Dominum pro se, tueri ac defendere causam suam.
    - Securus sit & tutus: Non timebo, inquit.
    - Confidat se hostium suorum interritum visurum potius, quàm vt aliquid contra se sint effecturi.
    - Certò expertus sit vanam esse salutem hominum, Dei verò salutem firmam ac certam esse.
  - De conatibus inimicorum suorum conqueritur, vt quòd breuiùs cœpit fusiùs exprimat: vbi fiduciam suam exprimit, & aduersarium suum alloquitur, qui indesinenter eum persequebatur vt caderet, sed Deum sibi præstò fuisse ostendit.
  - Significat pro salute à Domino accepta non sua tantùm labia ad cantandum aperiri, sed & aliorum bonorum virorum ora reserari. Vbi & cantantium verba exprimit: Dextera, inquit, Domini fecit virtutem: id est, non mihi, sed dexteræ Dei ascribunt omnia.
  - Extollit bonitatem Dei, quòd inuitis etiam inimicis viuat. Vbi ad quid viuat, & quod ex Dei consilio, non occidendi, sed castigandi proposito afflictus sit, ostendit.
- Alloquitur ordinem Sacerdotum. Vbi
  - Monet eos vt fores tabernaculi Dei aperiant, has portas iustitiæ appellat eò quòd iusti ingrediantur per eas. Vocat & portam Domini, quòd esset porta tabernaculi Domini.
  - Reddit rationem cur cupiat aperiri portas tabernaculi: videlicet vt celebret Dominum.
  - In tabernaculo Dei constitutus, Dominum ipsum alloquitur, dicens: Celebrabo te, inquit: & addit rationem cur celebret Dominum.
- Continet Sacerdotum & populi applausum quo regem exceperunt & cœlestem opé regno illius apprecati se. Vbi
  - Beneficium Dei celebrant, quòd hunc instar lapidis inutilis, à Saule & Satrapis illius velut inutilem & nulli rei accommodum, reiectum in Regem & caput regni vnxerit.
  - Opus hoc Deo adscribunt.
  - Cohortantur se mutuò vt hoc lætitiæ die exultent.
  - Petunt Regi suo diuinam gratiam à Domino.
  - Innuit quomodo exceperint Sacerdotes ipsum Regem, tabernaculum Dei ingressum. Vocant eum benedictum: id est, acceptum, fœlicem & gratiosum, qui à Domino Rex datus illis sit.
  - Prospera quæque apprecantur Ecclesiæ populi Dei: idque in Domini domo, vel ex domo Dei.
  - Ostendunt Deum declarasse sæpius, quàm sit fortis & potens, propter quod meritò celebrandus sit.
- Concludit Psalmum. Vbi
  - Confitetur fidem suam & animi sui gratitudinem erga Deum.
  - Rursum ad celebrandam bonitatem ac benignitatem Dei vltimo versu, sicut & primo, hortatur omnes.

Summaria dispositio Psalmi 93. qui iuxta seriem Psalmus est 119.

PARTES Psalmi 93.

- Studiosos Legis fœlices prædicat, ac Legem Dei alijs atque alijs nominibus ornat.
- Orat vt in Lege Dei intelligenda pariter & custodienda diuinitùs instruatur.
- Tradit doctrinam de veris cultibus, confessione, inuocatione, & cruce.
- Inseruntur precationes, quibus petit vt hæc ipsa, quæ præcepit de conseruatione verbi Dei, & veris cultibus præstare possimus: vt, Da mihi intellectum, vt discam mandata tua.
- Miscentur passim exempla, quæ sunt testimonia de efficacia verbi Dei: videlicet de terroribus & consolatione.

Dispositio Psalmi 94. qui iuxta seriem Psalmus est 120.

PARTES Psalmi 94

- Quid in afflictione egerit, ostendit. Vbi
  - Innuit quid à Domino obtinuerit.
  - Exprimit quomodo ad Deum orauerit, & quid potissimùm conquestus sit.
- Compellat delatores suos, licet absentes, quemadmodum illis contingere solet, qui corde mœsto de calamitatibus suis queruntur. Vbi
  - Interrogat delatores quid emolumenti adferat illis lingua dolosa, qua innocentem persequebantur.
  - Redit ad interrogationem, quàm ipse mouit: Sagittas, inquit, potentis acutas cum carbonibus iuniperorum coniunctas adferet tibi: id est, insignem vltionem à Deo irato lucrifaciet tibi dolosa lingua. Alludit autem ad fulmina, quæ cœlitùs vnà cum igne in homines insigniter malos deijci solent.
- Conqueritur de exilij sui incommoditate & molestia, quam ex commoratione barbarorum quorundam, & malitiosorum hominum quotidie experiebatur. Tabernacula, Cedar tentoria sunt Arabum, & eorum qui in locis illis desertis, Iudææ conterminis, morabantur.
- Queritur de tædio & molestia animæ suæ, quam inferebant illi homines inquieti & pacis osores. Et addit, se quidem studuisse paci, illos verò vsque adeò fuisse reprobos, vt amica etiam allocutione irritati sint ad iurgia & hostilia studia.

Dispositio Psalmi 95. qui iuxta seriem Psalmus est 121.

PARTES Psalmi 95.

- Innuit à solo Deo petendum esse auxilium, & ab illius prouidentia pendendum. Vbi dicit se cùm ad bellum egrederetur ad montes: id est, cœlos, oculos suos leuasse, & inde auxilium spectasse.
- Exponit vitam Sacerdotum & populi bene ominãtium Regi suo, & propositũ eius spe ac fiducia diuini auxilij corroborantiũ. Vbi
  - Confidenter dicunt, non permittere Deum, vt Rex eorum pijssimus subuertatur.
  - Addunt rationem, quia custodem habeat non dormitantem, sed vigilãtem
  - Concludunt Dominum custodire egressum & ingressum Regis,

Dispositio Psalmi 96. qui iuxta seriem Psalmus est 122.

PARTES Psalmi 96.

- Excitantur ascendentium in domum Domini animi, vt ascendant cum gaudio, & sic quisque dicat: Lætor cùm dicunt mihi, in domum Domini ibimus.
- Ponitur laus & commendatio ciuitatis Hierusalem. Vbi commendatur.
  - A fine ædificationis. Is autem erat illic vt fieret congregatio populi Dei.
  - Propter sedem iudiciariam & regiam domus Dauid.
- Hortantur se mutuò, vt Hierusalem ciuitati Dei bene precentur, vbi & formantur verba, quibus hoc faciant. Sed & illud innuunt, propter quos id faciant: videlicet propter fratres eiusdem fidei, ac religionis consortes. Imò verò propter domum Domini Dei, qui sedem sibi hic collocauit.

Dispositio Psalmi 97. qui iuxta seriem Psalmorum est 123.

- Habet inuocationem nominis Dei. Vbi
  - Modestiam, necessitatem & spem suam similitudine seruorum & ancillarum exprimit.
  - Dei misericordiam implorat.
  - Adijcit querelam de miseria sua, cuius respectu misericordiam Dei implorat.

Dispositio Psalmi 98. qui iuxta seriem Psalmus est 124.

PARTES Psalmi 68

- Prædicat populus Israel ope & auxilio Dei se esse liberatum à violentia hostiũ. Vbi
  - Hortatur populum Israelis, vt se concinendo consequantur, eò quòd quæ hìc canuntur ad ipsos pertineant.
  - Similitudinibus ferocis ac immēsæ alicuius bestiæ, quæ prædam captam viuam deglutiat, & aquarum, hostium ferociam ac vires exprimit, ac ex aduerso infirmitatem Israelis ad resistendum.
- Laudat populus Dominum, cuius beneficio ereptus erat: id facit tribus postremis versibus.

Dispositio Psalmi 99. qui iuxta seriem Psalmus est 125.

PARTES Psalmi 99.

- Canit de sempiterna protectione fidelis populi Dei, qui firma fiducia à Deo pendens firma & perpetua custodia Dei munitur. Vbi
  - Canit, non posse subuerti eos, qui spem in Dominum collocant, sed eos perpetuò persistere instar montis Sion.
  - Inducit situm ciuitatis Hierusalem, ad hoc vt custodiam Dei, qua populum suum vigilantissimè complectitur, considerandam proponat.
  - Ostendit regnum impiorum non præualere sorti iustorum.
- Apprecationem habet vt Deus populo suo benefaciat. Vbi & subdolos hypocritas perstringit: & addit quale sit illis iudicium à Domino expectandum: coniungit, inquit, eos cum operatoribus iniquitatis, quibus planè sunt similes.

Dispositio Psalmi 100. qui iuxta ordinem Psalmus est 126.

Vaticinatur fore, vt populus captiuitatis magna cum admiratione Gentium, liberatus à Domino, ingenti cum lætitia sit ad sua reuersurus. Vbi

- Canit quid euenturum sit populo Dei vbi se liberari viderit: Erimus, inquit, sicut somniantes: id est, tam eueniet ea conuersio nobis ex improuiso, vt simus illam initiò non veram, sed imaginariam, & velut in somno propositam, iudicaturi.
- Canit tum gauisuros captiuos & cantaturos Domino pro stupenda & admiranda liberatione.
- Precatur vt quod certa fide futurum credebat, Deus efficiat. Et addit simile, quo omnis generis prosperitas significatur.
- Discriminat inter tempus captiuitatis & tempus liberationis, futurum asserens vt ex illius miseria & calamitate, magnum sint emolumentum consecuturi. Vtitur autem similitudine sementis & messis omnium accommodatissima. Per sementem, quæ lachrymis: id est, labore & molestia fit, captiuitatem. Per messem verò, liberationem intelligens.

Dispositio Psalmi 101. qui iuxta seriem Psalmus est 127.

PARTES Psalm. 101

- Canit vanam esse omnem curam & conatum ædificandi, laborandi, custodiendi & vigilandi, nisi Dominus ipse ædificet, vigilet, &c. Vbi
  - Ostendit vanum esse laborem ædificandi, nisi Dominus ædificet, eò quòd omnia sunt in manu Dei.
  - Canit administrationem magistratus & potentiam non esse sufficientem ad protectionem & custodiam ciuitatis, nisi Dominus sit custos.
  - Alloquitur populum, qui neglecta diuinæ prouidentiæ fide, anxij sunt in acquirendo victu, quasi necessaria alimonia ab humana cura & solitudine pendeat: huius anxietatis vanitatem perstringit.
- Donum illud Dei prædicat, quòd viro bono dantur filij, fructus ventris, quos vocat hæreditatem & mercedem Domini, vt donum Dei exprimat. Et comparat eos sagittis, qui sunt in manu potentis, quibus ille terrori est inimicis. Hanc similitudinem clariùs explicat versu vltimo.

Dispositio Psalmi 102. qui iuxta seriem Psalmus est 128.

Commendat hic fœlicitatem eorum, qui Dominum timent, voluntati illius obtemperant, ac in timore Dei, ac veræ pietatis studio in ordine matrimonij viuunt. Vbi

- In genere eorum omnium fœlicitatem commendat, qui Dominum timent.
- Alloquitur sponsum ac pium maritum. Vbi
  - Confirmat hunc in eo vt non tam molestiam laborandi, quàm eius rei fœlicitatem consideret, quia non de alieno, sed de suo: idq; non malis artibus, sed iustis laboribus acquisito viuat, & familiam alat.
  - Mitigat eas molestias, quæ proueniunt ab vxore & liberis: admonet etiam illic tam esse præclara commoda timentibus Dei, vt fœlicitati ea res non infœlicitati sit tribuenda. Vtitur autem similitudine: primùm, vitis frugiferæ & domesticæ: deinde, plantarum oliuæ. In vtrisque magna est vtilitas, & iucundissima mentis oblectatio. Hic docet hæc non nisi ex benedictione Dei prouenire, cuius donum est & de proprio labore viuere, & domum habere honesta ac fœcunda vxore ornatam, & liberorum copia refertam.
- Precatur diuinā benedictionē pio marito: vt
  - Omnibus diebus suis videat commoda Hierusalem: per hæc intelligit bona pacis, fertilitatis, iudicij, iustitiæ & puræ religionis.
  - Longæua vita fruatur & prolis fertilitatem videat.

Dispositio Psalmi 103. qui iuxta seriem Psalmus est 129.

PARTES Psal. 103.
- Gloriatur populus Dei auxilio Dei factum esse, vt nihil contra conatus impiorum efficere potuerint. Vbi
  - Prædicat Dei benignitatem, quòd se sæpius afflictum conseruauerit.
  - Hortatur Israelem vt succinat, ac dicat: Sæpe afflixerunt me, sed non præualuerunt mihi.
  - Mentione dorsi onera seruitutis intelligit.
  - Canit de liberatione è seruitute, quam comparat amputationi funium, quibus iuga boum ligantur.
- Imprecatur hostibus vt
  - Confundantur ac retrocedant perinde ac hostes deuicti.
  - Arescant instar graminis tectorum.

Dispositio Psalmi 104. qui iuxta seriem Psalmus est 130.

PARTES Psal. 104.
- Clamat ad Dominum, & orat vt exaudiatur.
- Ambit remissionem peccatorum.
- Cōuertitur ad populum Dei. Vbi
  - De sua spe & expectatione mentionem facit.
  - Israelem ad hanc expectationem exemplo suo hortatur, & addit rationem fortissimam, à benignitate Dei & virtute redimendi sumptam.

Dispositio Psalmi 105. qui iuxta seriem Psalmus est 131.

PARTES Psal. 105.
- Inducit suo exemplo populum ad veræ ac syncera modestiæ studium. Vbi
  - Negat in conspectu Dei se ad regni fastigia aspirasse, vt à delatoribus Saulis accusabatur. Atq; ita negat vt nec in corde, nec in gestibus, nec in vitæ conuersatione tale quicquam vnquam apparuerit.
  - Innocentiam ac humilitatem aduersus iniquitatem calumniatorum declarat: idque similitudine pueri ablactati.
- Hortatur Israelem ad sperandum in Domino.

Dispositio Psalmi 106. qui iuxta seriem Psalmus est 132.

PARTES Psal. 106.
- Memoratur studiū Dauidis erga constituendū tabernaculum Domino, & quid ipse cùm Arcam Domini transferret, petierit. vbi
  - Petitioni præmittit Dauidis studium erga Deum, petitq; vt illius meminisse velit, & afflictionis, quam propter Deum toto vitæ suæ cursu sustinuit.
  - Commemorat Dauidis propositum cum iuramento expressum, de construendo Tabernaculo Dei: facit huius mentionem, vt quod infrà petiturus est, hac ratione commendabilius reddat. De hoc proposito vide 2. Samuelis 7.
  - Innuit audisse se ex ore senum, idque in ciuitate sua Bethlehem, reuelandū adhuc esse locum aliquem qui domui sanctuarij ad habitandum Domino eligatur, & se inuenisse eum in campis syluæ in area Arnan, quæ vocatur Sylua, eò quòd essent ibi ligna syluæ.
  - Exprimit translationem Arcæ Domini illū in locum, ac propterea populum hortatur, vt eant ad Tabernaculum Domini, ad transferendum videlicet inde Arcam Domini in Templum.
  - Exprimit votum quo in translatione Arcæ vti voluit, vel Solomon vsus est: Surge, inquit, Domine. De quo & Psal. 68. & 2. Paralip. 6.
  - Petit Sacerdotibus Domini in templo ministrantibus iustitiam: id est, bonitatem Dei, & omnibus à Domino sanctificatis lætitiam.
- De posteris, Commendationem, & seq. Vide literam A.

A. De posteris Dauidis canit, quibus erat regni promissa successio. Vbi
- Orat pro se & posterorum suorum successione. Hanc precationem vide 2. Paralip. 6.
- Subijcit promissionem Dei, Dauidi hac de re factam: de qua 2. Samuel. 7. &c.

Commendationem habet ciuitatis Hierusalem, & responsionem Dei ad petitionem. Vbi
- Canit hanc esse à Domino electam, vt illic sit ædes eius.
- Promittit Deus responso suo beneficentiæ suæ gratiam.
- Promittit Sacerdotibus iusticiam seu bonitatem Dei, vt rogabatur.
- Promittit Deus regnum Dauidis in Sion fore perpetuum. De lucerna vide 2. Paralip. 21.
- Pollicetur Dominus se hostes Israelis vindicaturum.

Dispositio Psalmi 107. qui iuxta seriem Psalmus est 133.

Habet encomium fraternæ concordiæ. Vbi
- Vtilitatem & iucunditatem fraternæ concordiæ ostendit.
- Duobus similibus illustrat quod dixit: Vnum sumptum ab oleo consecrationis, quo Aaron summus sacerdos consecrabatur. de quo Leuit. 8. Hoc erat vnquentum omnium fragrantissimum, ideoq; & iucundissimum. Hinc illustrat iucunditatem concordiæ fraternæ. Alterum sumitur à rore quo vtilitas concordiæ exprimitur.

Dispositio Psalmi 108. qui iuxta seriem Psalmus est 134.

PARTES Psalm. 108
- Hortatur Dauid Leuitas, qui noctu excubias agebant in domo Dei, ad laudandum Deum.
- Habet responsionem ad eum, qui ad laudandum Deum eos euocabat, qua bene illi precantur.

Dispositio Psalmi 109. qui iuxta seriem Psalmus est 135.

PARTES Psalm. 109
- Excitat seruos Dei ad laudandum Deum. Vbi
  - Reddit rationem, quare laudandus sit Dominus.
  - Diuinæ bonitatis exemplum subijcit, propter quam seruos Domini ad laudandum Dominum est exhortatus.
  - Addit rationem potentiæ ac maiestatis Dei.
- Canit de operibus diuinæ maiestatis, partim generalibus, partim specialibus, quibus Israelem ex Aegypto liberatum in terrâ promissam induxit. Vbi in
  - Genere de operibus Dei canit, & tribuit illi omnipotentiam & dominium, liberum in omnia, siue quæ in cœlo, siue quæ in terra sunt.
  - Specie ea opera celebrat, quæ Dominus pro sua bonitate ad liberandum Israelem, & in terram promissam introducendum cùm aduersus Aegyptios, tum aduersus Cananeos forti brachio peregit. Vbi ea
    - Commemorat quibus Aegyptios percussit.
    - Perstringit opera quæ terram Canaan concernunt. Atque hic nomen Domini propter percussos hostes magnificat.
- Simulachra Gentium vanitatis arguit, sicut & Psalmo 115.
- Populum & Sacerdotes ad laudandum Deum excitat, sicut & suprà Psalmo 115. fecit.

Dispositio Psalmi 110. *qui est Psalmus* 136.

PARTES Psal. 110.

- Hortatur ad laudandum Deũ, propter bonitatis illius beneficia tã generalia quàm specialiter Israeli præstita. Vbi
  - Excitat populum ad laudem Dei.
  - Causam reddit cur Deum laudare debeant.
  - Ornat diuinam maiestatem elogijs istis, quæ nemini, nisi soli Deo, competant.
- Celebrat excellentiam operum Dei in
  - Genere, quòd solus faciat mirabilia omnia.
  - Specie: nam mirabiliũ illius species recenset. Vbi
    - Creationis opera recenset, vt cœlos, terram, luminaria, &c. quanto videlicet cum artificio, quanquam mirabili ac stupenda structura hæc omnia fecerit.
    - Beneficia Dei Israeli præstita cõmemorat.
      - Percussa Aegypto Israelem de medio eius eduxit.
      - Diuiso mari rubro & populum suum traduxit, & in medijs illius fluctibus Pharaonem cum exercitu illius subuertit.
      - Populum suum ex Aegypto liberatum non recta via, sed per solitudines duxit, vbi quadraginta annorum ductum, gubernationem ac prouidentiam attingit.
      - Percussis hostibus terram eorum Israeli hæreditatis loco tribuit.
- Quid per commemorationem miraculorum Dei in animis piorum efficere velit Propheta, exprimit: videlicet vt
  - Admoneatur Israel, quàm non obliuiscatur suorum Deus, qui tribulationibus opprimuntur, sed eos è manu inimicorum suorum asserat.
  - Omnes admoneantur, de generali Dei prouidentia, dicit enim: qui das escam omni carni.
- Concludit Psalmum, vbi iterum ad laudandum Deum populum excitat, vt initio Psalmi.

Dispositio Psalmi 111. *qui iuxta seriem Psalmus est* 137.

PARTES Psal. 111.

- Habet planctum filiorũ Israel in Babylone constitutorum. Vbi
  - Canit, quòd desiderio & recordatione Sionis: id est, ciuitatis Dei ac patriæ terræ, vnde fuerunt abducti, moti fuerunt ad planctum & fletum.
  - Subiungit quid ex eo luctu sequebatur: Suspendimus, inquit, cytharas nostras ad salices, quæ sunt in medio eius ad fluuiorum littora. Quibus verbis significat, vsqueadeò luxisse Israelem in Babylone, vt præ mœstitia non lubuerit illi Musicis instrumentis vti, quæ ad id vsque temporis in vsu habuerat.
  - Exprimit, quàm vehemens fuerit ille luctus Israelis in Babylone, quo ab vsu musicorum instrumentorum cohibebantur. Nam ne Babylonijs quidem, sub quibus captiui tenebantur, cùm illi Cantica de Sion irridendo poscerent, sic obsequi voluerunt, vt illorum vel gratia, vel metu, ora & manus ad cantandum soluerent, imò responderint illis: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?
- Desiderium populi, quo erga Hierusalẽ affectus fuerat, iam liberatur, exprimit. Vbi seria deuotione vtuntur, si Hierusalem ciuitatis Dei obliti Babylonijs obsequendo, linguis canerent, & cytharas dextris pulsarent.
- Conuertitur ad hostes. Vbi
  - Imprecatur Idumeis diuinam vltionem, qui cùm vicini essent, & afflictis condolere deberent, maluerunt de illorum calamitate gaudere, acclamantes Babylonijs, Vastate eam, vastate.
  - Insultat impiæ ciuitati Babylon captæ iam, ac miserrimè vastatæ, & simul fœlicem prædicat eum, qui illam expugnauit, cepit, & vastauit.

Dispositio Psalmi 112. qui iuxta seriem Psalmus est 138.

PARTES Psalm 112

- Celebrat bonitatem Dei, qua fuerat ab illo in tribulationibus clementer exauditus, & è manu inimicorũ liberatus. Vbi gratitudinem animi sui ac laudem diuini nominis pollicetur.
- Canit versu 4.5.6. quid ex ea futurum sit apud posteros Reges, vbi illis eloquiorum Dei veritas innotuerit.
- De fiducia sua erga bonitatem Dei canit, & quid in posterum ab illo speret, duobus postremis versibus memorat.

Dispositio Psalmi 113. qui iuxta seriem Psalmus est 139.

PARTES Psalm. 113

- Canit nihil esse Deo incognitum omnium eorum quæ cogitet, vel dicat, vel agere instituat, nec fieri posse vt manum eius effugiat, quocunque tandem se recipiat. Vbi
  - In genere dicit: se licet ab inimicis accusatum, quòd Regi ac regno insidias struat, Deo planè esse notissimum.
  - Quod in genere dixit, in species suas digerit: videlicet quòd norit cessionem, stationem, cogitationem, semitam, accubitum, vias, sermonem, &c. Atq; adeò se totum quantus quantus sit. Id enim intelligit hac locutione, antè & retrò.
  - Innuit cogitationem Dei & scientiam sublimiorem & admirabiliorem esse, quàm vt eam capere queat.
  - Ostendit Deum vbiq; præsentem esse, & oculis eius patere omnia. Atque hic innuit nullum esse locũ, quem præsentia sua non impleat Dominus.
  - Docet nihil esse discriminis coram Deo, inter tenebras & lucem, vt stultissimum sit, si quis se tenebris à conspectu Dei abscondi posse putat.
  - Scientiam Dei pluribus celebrat, qua ille opus à se factum peritissimè cognoscit. Quia
    - Non solùm affectuum & consiliorum secreta, sed & renes affectuum sedem cognoscat. Vbi sapientiã Dei rerum omnium creatricem celebrat.
    - Et substantia eius qua in occulto: id est, abdito materni vteri veluti in abdito telluris gremio factus est, sit illi notissima.
    - Initio temporum & constitutionis seculi omnes in præscientia Dei præuisi, ac velut in libro quodam conscripti sumus. Atque hic sapientiæ illius consilia celebrat: primùm quòd sint præclara & preciosa: deinde, quòd sint innumerabilia.
  - Animi sui recreationem exprimit ex interna præmissorum consideratione notam.
- Queritur de impijs inimicis suis. Vbi
  - Contendit aduersus hostes suos coram Deo.
  - Accusat hostes suos rebellionis aduersus Deum.
  - Explicat quare illos odio habeat: videlicet quòd non tam sui quàm Dei essent inimici, ac Deum odio habeant.
- Inquisitioni diuinæ innocentiam suam examinandam sistit. Id facit duobus postremis versibus.

Dispositio Psalmi 114. qui iuxta seriem Psalmus est 140.

PARTES Psalm. 114
- Habet ardentem precationem ad Deum aduersus hostes suos, quorum lingua coram Saule deferebatur. Vbi
  - Summam precationis exprimit: videlicet vt conseruetur à Domino & eripiatur ab hostibus.
  - Innuit quódnam malitiæ genus aduersum se exerceant hostes. Vbi notat in illis malitiæ studium.
  - Repetit precationem. Vbi vtitur similibus laqueorum, retium, offendiculorum quibus venatores pedibus & vitæ ferarum insidias struunt.
  - Commemorat quomodo in discrimine constitutus ad Deum clamauerit.
- Imprecatur hostibus suis ac delatoribus Saulis. Vbi
  - Orat vt Saul ille caput inimicorum suorum inuoluat eos simul molestia labiorum ipsorum: id est, pœna talibus linguis condigna trahat eos secum in perditionem, quam vnà cum ipso merebantur.
  - Petit vt quod sibi parant, cadat in ipsorum capita: id vocat carbones, ignem, & foueam.
  - Colligit certum imminere delatoribus & iniquis hominibus exitium ex eò quòd non possit Dominus causam afflictorum & pauperum in sempiternum deserere.

Dispositio Psalmi 115. qui iuxta seriem Psalmus est 141.

Orat Dominum vt sibi inter impios constituto succurrat. Vbi
- Petit à Domino, vt vocem suam properè audire dignetur.
- Subiungit quid à Deo petat, videlicet: quæ ad
  - Sui custodiam & conseruationem faciunt, ne quid scilicet cum impijs committat, quod sit iniquum.
  - Vindictam de inimicis sumendã faciunt. Vbi
    - Imprecatur illis exitium.
    - Conqueritur de calamitate, quæ in populo Dei ex Iudicum iniquitate proueniebat. Eam miseriam similitudine telluris proscissæ declarat.
- Repetit vtramque orationis suæ partem, ac primùm pro conseruatione sui orat: deinde exitium imprecatur impijs.

Dispositio Psalmi 116. qui iuxta seriem Psalmus est 142.

PARTES Psal. 116.
- Commemorat quid in angustia constitutus fecerit.
- Ponit orationem quam ad Dominũ effundit. Vbi
  - Conqueritur in quo discrimine versabatur orando ad Dominum.
  - Rationem reddit quare ad Deum clamet: Quia, inquit, tu es spes mea.
  - Petit vt exaudiatur, & reddit causam: Quia, inquit, attenuatus sum.
  - Ostendit ad quid petat exaudiri: videlicet ad celebrandum nomen Domini: deinde, vt iustè gratulentur agnoscentes bonitatem Dei.

Dispositio Psalmi 117. qui iuxta seriem Psalmus est 143.

Partes Psalm 117

- Petit vt exaudiatur. Vbi
  - Iudicium Dei deprecatur, vt significet se non propriæ iustitiæ respectu hæc petere à Domino vt exaudiatur, sed magis ad bonitatem illius confugere, qua sibi, si quid vnquam deliquerit, clementer ignoscatur.
  - Aperit causam suam, propter quam ad Dominum confugiat, & in qua se audiri petat: videlicet quòd ab inimicis affligatur.
  - Subijcit de angustijs & molestijs, quas in causa sua patiebatur, & simul intermiscet quid à Domino speret ac petat. Vbi exponit quàm sit spiritu turbato.
  - Declarat quas cogitationes in animo suo afflicto voluerit. Cogitabat enim de beneficijs Dei patrib. exhibitis, vt horũ recordatione fiduciã suã confirmaret.
  - Sese Deo commendat.
  - Significat periculi magnitudinem, qua sit in extremum discrimen coniectus, sic vt festino opus habeat auxilio.
- Petit quædã à Domino: videlicet
  - Vt detur sibi audire benignitatem Dei, idque manè: id est, vt benignum ac placidum responsum primo quoque tempore recipiat.
  - Vt doceatur, qua via tutò possit inimicorum euadere insidias.
  - Vt liberetur ab inimicis, —
  - Vt doceatur de voluntate Dei,
  - Vt viuificetur: id est, recreetur,
  - Petit inimicis exitium, —
  - (these four:) & quælibet petitio suam habet rationem.

Dispositio Psalmi 118. qui iuxta seriem Psalmus est 144.

Partes Psalm. 118

- A laude Dei orditur. Vbi
  - Animi sui affectum & fidem erga Deum exprimit, dum illum rupem, benignitatem suam, munimentum, exaltationem, refugium, liberatorem & scutum suum vocat.
  - Duo de Deo prædicat, quòd
    - Manum suam ad prælium instruxerit, de quo & Psal. 18.
    - Subiecerit sibi populum. de quo & Psal. 18.
- Celebrat philanthropiam illã Dei quam erga se declarauit: id facit vers. 3. 4. Vbi
  - Admirationem in eo exprimit, quod per interrogationem loquitur, dicens: Quid est homo?
  - Causam adijcit admirationis à vilitate & vanitate hominis sumptam.
- Precatur versu 5. 6. 7. hostibus suis exitium, & eorum malitiam depingit.
- Pollicetur Domino sacrificium laudis.
- Repetit precationem pro liberatione sui.
- Orat pro communi Israelis fœlicitate. Vt
  - Semen Israelis sit benedictum, floreant filij perinde atque plantæ iam solidatæ & adultæ, filiæ ornatæ sint quasi anguli ornatu tapetico spectabiles, quales in regijs palatijs visuntur.
  - Domus ipsorum opulentia omnis generis bonorum redundent.
  - Greges ipsorum tam ouium quàm armentorum sint numerosi & pingues.
  - In vicis & ciuitatibus eorum, nulla sit rerum perturbatio, nulla calamitas, nulla in exilium abactio, vel sedium mutatio, vnde clamor & eiulatus fieri solet.
- Concludit per epiphonema, vbi qui hæc à benigno Dei consecuti sunt, fœlices prædicat.

Dispositio Psalmi 119. qui iuxta seriem Psalmus est 145.

Partes Psal. 119.

- Exprimit propositum suum, quò ad laudandum Dominum Deum propendebat, ac simul præmonet, quid hoc Psalmo sit facturus.
- Orditur laudem & exaltationē dei quā initio Psalmi proposuit.
  - Ab illius maiestate & gloria: Magnus, inquit, est Dominus.
  - Ab operibus illius, de quibus prædicat, quòd
    - Per omnes seculorum ætates perpetuam laudem mereantur.
    - Sint splendida, mirabilia, & terribilia.
    - Dei opera nihil aliud spirent, quā multæ bonitatis Dei memoriam.
    - Dominum laudent, opera illius ac Dei regnū extollant: gloriam videlicet, fortitudinem & perpetuitatem regni.
  - A fide & veritate verborum, & benignitate operū, vbi & benignitatis exempla subijcit: Alleuat, inquit, omnes qui corruunt, &c.
  - A prouidentia vniuersali, qua cunctis animalibus vitam subministrat.
  - A iusticia & bonitate erga timentes se.
- Claudit Psalmum, proposito laudandi Dominum, quod & initio Psalmi fecit.

Dispositio Psalmi 120. qui iuxta seriem est 146.

Partes Psal. 120.

- Animam suam ad laudandum Dominum prouocat.
- Auocat quosuis à fiducia eorum, qui principatum obtinent in mundo, & addit causas: Quia
  - In illis non est salus.
  - Ex terra sunt, & in terram reuertuntur.
  - In ipso die quo moriuntur, omnia illius consilia, studia & cogitata pereunt, & irrita redduntur.
- Ad spem in Deum collocandam adhortatur, fœlicem vocans eum, qui Dominum habet auxiliatorem, & subijcit causas: Quia
  - Deus omnipotens est, creator omnium, qui in omnibus adesse & subuenire potest.
  - Bonus est & iustus, qui velit etiam suos seruare.
- Concludit per epiphonema ad hoc positum, vt Israelem ad fiduciam in Dominum excitet.

Dispositio Psalmi 121. qui iuxta seriem est 147.

Partes Psal. 121.

- Prouocat populum ad laudandum Dominum, propter illius beneuolentiam erga ipsos declaratam.
- Laudandum esse Deum ab ipsius operibus arguit Ab operibus
  - Dei Israeli præstitis: vt quòd
    - Hierusalem ciuitatem suam Deus tueatur.
    - Exules & captiuos congreget.
    - Contritos illos deserere non potest. Vbi ostendit Deo non esse difficile tantam exulum multitudinem cognoscere & congregare, cùm stellarum etiam multitudinem cognoscat. Est enim intelligentiæ eius mensura infinita.
    - Quòd verbum suum illis patefecit, id ponit in fine Psalmi.
  - Quæ generalem Dei prouidentiam cōcernūt: vt quod dat
    - Pluuiam.
    - Pastum, iumentorum & pecorum. Atque hic occupationi etiam respondet, docens salutem, sustentationem, & defensionē nostram, non in labore, equestribus ac pedestribus copijs, sed in eo sitam esse, vt oculis maiestatis eius placeamus.
- Hierusalem ac Sion nominatim appellat, & ad laudem Dei excitat.
- Reddit causam adhortationis: quia
  - Ciuitatem tuam communit, ne incursionibus hostium pateat.
  - Dat pacem, & rerum abundantiam.
- Prædicat verbi Dei virtutem, ne quis de liberatione desperet. Potest enim omnia verbi sui virtute præstare, cuius potentiam quotidie declarat. Per hanc dat terris niues sicut lanam, pruinam sicut cinerem, per hanc glaciem velut buccellas congelat, per hanc tantum frigoris immittit, vt latu sit difficillimum. Rursus vbi videtur misso verbo suo, omnia illa, quæ frigore congelata erant, liquefacit.

Dispositio Psalm 122. qui iuxta seriem Psalmus est 148.

Prouocat ad laudem Dei generaliter omnes creaturarum ordines, Angelos, Solem, Lunam, stellas, &c. Vbi

- Ea, quæ in cœlis sunt, ad laudem Dei excitat, vt Angelos, Solem, Lunam, &c. vbi & rationem reddit, quare hæc cœlestia iubeat laudare Dominum: Quia videlicet sint Dei creaturæ: deinde, quia quod adhuc præstant, ex illo habent.
- Ea, quæ infra cœlos, in aere, in aquis, & supra terrā existunt, ad laudem Dei vocat. Nā hæc omnia vocat de terra, respectu eorū, quæ initio Psalmi de cœlis, id est, cœlestia vocauit.
- Homines ad laudem Dei vocat: ac primùm Reges, ac principes: deinde in genere omnes homines, cuiuscunque tandem sint status & conditionis. Ponit autē duas rationes, quare Deum laudare debeant omnes. Vnam in genere de gloria illa diuinæ maiestatis, quæ ex operibus creationis in cœlo & terra passim relucet. Alteram be beneficijs illis specialiter sumptam, quæ populo suo impendit: quòd videlicet populum suum magnifica ac sublimi potentia seruauit, propter quod Deum laudare debeant.

Dispositio Psalmi 123. qui iuxta seriem Psalmus est 149.

PARTES Psal. 123.

- Excitat populum Israel ad laudandum Dominum, & lætādum in creatore suo. Vbi
  - Corda, ora & manus ad singulare quoddam gaudium declarandum prouocat.
  - Addit, cui canere, quem laudare, & in quo lætari debeant: videlicet in Deo.
  - Exprimit, vbi ista facere debeant: In Ecclesia, inquit, piorum sit laus eius.
- Rationem reddit, cur populum Israel ad publica gaudia excitet, atque vt id faciat, exponit ea, quæ colligenda, & tanquam certò futura speranda sint, ex præcedentibus & acceptis iam beneficijs: videlicet quia.
  - Placeat Domino populus eius: id est, faueat Deus populo suo.
  - Ornabit mansuetos salute.
  - Exultabunt pij in gloria: idq; Dei beneficio.
  - Deus dabit populo suo prosperum successum, ac dexteritatem manuum ad sumendam de hostibus suis vindictam.
  - Gloria, quam Deus populo suo dabit, communis erit omni Israel, & planè publica toti populo, sicut & afflictio communis fuit omnibus. Conuenit igitur, vt pro publico beneficio omnes etiam Deū laudēt.

Dispositio Psalmi 124. qui iuxta seriem Psalmus est 150.

Habet generalem adhortationem ad laudandum Dominum, ad omnia viuentia pertinentem. Vbi

- Ostendit quibus respectibus Dominū laudare debeant: videlicet propter.
  - Cœlestem gloriæ Dei regiam, vt illius consideratione in laudem Dei prorumpant.
  - Expansum illud quod cœlum vocamus, in quo sunt Sol, Luna, stellæ, &c.
  - Virtutes, id est, fortia & illustria facta illius, quæ ad magnitudinis eius amplitudinem illustrandam faciunt.
- Ostendit quomodo, id est, quo ardore, quo studio, & qua cordis exuberantia Dominū laudare debeant. Meminit autē instrumentorum Musicorum, quorum vsus erat Sacerdotibus ac Leuitis in veteri Testamento ad laudem Dei institutus. Ac plura instrumentorum Musicorum genera recenset: non quòd illorum varietate Deus more humano delectetur: sed vt significet, qnanto studio Dominum laudare debeant.
- Significat qui Deum laudare debeant: Omnis, inquit, spiritus, &c. id est, quicquid viuit laudet Dominum suo quodam modo. Omnia enim à Deo, quòd sunt, & viuunt, acceperunt.

PSALMORVM DAVIDIS FINIS.

LIBER SECVNDVS PSALMORVM qui filijs Corah adſcribuntur.

Diſpoſitio Pſalmi 1. qui iuxta ſeriem Pſalmorum eſt 42.

Mœsticiam animi ſui, gemitus & ſuſpiria, quibus in exilio laborauerit, & quid ludibrij ab impijs paſſus ſit, exprimit. Vbi

- Explicat quàm feruenti deſiderio fuerit in exilio conſtitutus erga eum locum, in quo conueniebat populus Dei coram Deo, ad laudandum, orandum, ſacrificandum: idque ſimilitudine ceruæ, vel ex canum inſectatione, vel propter deuoratum ſerpentem exæſtuantis, & ad profluentem vndam anhelantis.
- Innuit ſe ea eſſe fiducia, vt ſperet ſe aliquando copiam habiturum viſendi Deum, vt vt tamen viderentur omnia eſſe deplorata, dum dicit: Quando veniam? non dicit, Nunquam veniam.
- Queritur de eo, quem dolorem ſuſtinuerit in exilio, cùm illi obijceretur: Vbi eſt Deus tuus? Deinde de eo conqueritur quòd videlicet animo recordatus fuerit illius lætitiæ, quam habuerat in deducenda Arca, cum vniuerſo Iſrael in ciuitatem ſuam. Et iſtam recordationem ſibi amaras lachrymas excuſiſſe commemorat, cum dicit: Effundebam in meipſo animam meam.
- Per apoſtrophen ad ſe conuerſus, quaſi expoſtulat cum anima ſua quid neceſſe ſit ad eum modum anxium eſſe, quaſi nullus ſit amplius rerum meliorum locus: iubetque illam bona ſpe eſſe erga Deum, ac futurum vt aliquando illi pro reſtitutione gratias agat.
- Animi ſui affectus erga Deum extollit, & animæ ſuæ mœrorem illi conqueritur, ſimulque mœroris cauſam reddit.
- De multitudine, ac irremiſſa tribulationum viciſſitudine conqueritur, quas cataractis, abyſſis & vndarum fluctibus comparat.
- Commemorat quomodo, cùm in pace eſſet, benignitatem Dei in populo illius & Eccleſia expertus ſit, ita vt & nocte in laude & precatione illius perdurârit.
- Conqueritur, & quaſi cum Deo ipſo expoſtulat.
- Conqueritur de animi ſui dolore, quem ex impiorum ſermonibus conceperat, vt & ſuprà.
- Iterum per apoſtrophen cum anima ſua expoſtulat, vt & ſuprà fecit.

Diſpoſitio Pſalmi 2. qui iuxta ſeriem Pſalmus eſt 43.

Partes Pſalm. 2.

- Habet precationem ad Deum. Vbi
  - Transfert cauſam ſuam, quam habebat cum inimicis, ad iuſtum Iudicem Deum.
  - Reddit rationem ſententiæ præcedentis, vbi cum ipſo Deo quaſi expoſtulat.
  - Exprimit quid petat: nempe reſtitutionem in regnum, ad montem Domini, & templum eius.
  - Declarat cur tantoperè reſtitui petat: Vt ingrediar, inquit, ad Altare, Dei, &c.
- Per apoſtrophen ad ſeipſum conuerſus, quaſi expoſtulat cum anima ſua: iubetq; illam bona ſpe eſſe erga Deum, vt Pſalmo præcedenti fecit.

Diſpoſitio Pſalmi 3. qui iuxta ſeriem Pſalmus eſt 43.

Partes Pſalmi 3.

- Recenſet Dei beneficia, Patribus ex Aegypto eductis, & poſtea quoque exhibita, quibus declaratum eſt, quo affectu ſit erga populum ſuum Deus.
- Conqueritur de calamitate quam patiebatur populus Dei, quòd
  - Auxilio ſuo deſtitutos Deus dederit, & vendiderit in manus gentium proterendos.
  - Facti ſint opprobrium, non ſolùm remotioribus, ſed & vicinis, verſu 13 14. 15. 16.
  - Gentes, quæ illos oppreſſerant, crudeles ſint vt dracones.
- Habet orationem, qua Deum ad auxiliandum excitat, & additur ratio.

Dispositio Psalmi 4. qui iuxta seriem Psalmus est 45.

PARTES Psalmi 4.

- Declarat Psaltes
  - De quo instituerit canere, quia de Rege Solomone.
  - Quo affectu: videlicet cordis, id est, ex corde & animi sententia, non tantùm lingua.
  - Quid velit de Rege canere: videlicet verbum bonum, id est, laudem Regis, regni, ac Reginæ eius.
- Orditur præconium Regis, & cõmendat eum
  - Ab eleganti forma, qua reliquos mortales antecellat. Hæc in Christo est puritas à peccatis.
  - A sapientia & gratia sermonis.
  - A benedictione Dei perpetua.
  - A virtute, armatura, & gloria bellica Hæc armatura in Christo est verbum omnipotens, quo omnia perficit, quod nullus potentatus, nec corporalis, nec spiritualis effugere potest.
  - A prosperitate & successu regni. Hic in Christo victoria est, qua infernum, & Principem mundi, peccatum & mortem strauit, ac omnibus viribus priuauit, & magno triumpho conspicuus ad cœlos remigrauit, & regnum suum vsque ad terminos terræ, inuitis impijs, dilatauit.
  - Ab executione iusticiæ & æquitatis, & repressione impietatis.
  - Ab vnctione, quæ symbolum habet animi per gratiam Dei, alacris, mitis, clementis, ac diuini fauoris, in quo vno exultet, & fiducialiter agat Rex. vide Lucæ 4.
  - A fragrantia vestimentorum. Hæc in Christo boni nominis fragrantia suauissima est, quæ ex prædicatione Euangelij quosuis credentes aspirat.
  - A splendore ædificiorum regalium, vel sedis eburniæ, de qua 1. Reg. 10. Hæc in Christo cœlum est, vnde & egressus, & quò regressus est.
  - A precioso ornatu & nobilitate Reginæ & concubinarum. Hic ornatus & nobilitas Reginæ, iusticia, & dona sunt Ecclesiæ.
- Facit apostrophẽ ad Reginã quæ Ecclesiam significat, eamq; hortatur ad obediẽtiã Regi suo præstandam. Vbi
  - Hortatur, vt
    - Audiat Regem suum.
    - Videat gloriam, decorem & pulchritudinem Regis sui, non alienorum. Ista est fidei visio, si ecclesiam consideres, & pertinet ad omnes Christianos, vt fide ac dilectione à Christo pendeant, in vno sese oblectent.
    - Se spõso subijciat: id significat cùm dicit, Inclina aurẽ tuã, &c.
    - Patrem, matrem, liberos, amicos, fratres, &c. relinquat, sed suo tantùm Regi per omnia obediat. Vide. Matth. 10.
    - Adoret Regem suum, & veneretur.
  - Ostendit sic placere Reginam Regi, si sit obediens & subdita. Pulchritudo Ecclesiæ non est externo in auro, argento, sed in mente credentium. Neque habet agnatam pulchritudinem, sed à Rege acceptam.
  - Addit rationem à iure coniugij sumptam: Quia ita ordinatum est diuinitùs, vt vir sit caput mulieris.
  - Promittit Reginæ ac ecclesiæ Christi, quòd sit muneribus Regum ac potentium cohonestanda. Quæ gloria illi Deo contigit, quod Christi est.
- Celebrat Reginã à tribus.
  - Quòd sit intima Regi: id est, contoralis, liberum habens ad Regem suum accessum, quòd sit illi summoperè dilecta.
  - Ab ornatu & pretio indumentorum.
  - A comitatu pedissequarum, in quibus quoque regia magnificentia declaratur. Pedissequæ membra sunt Ecclesiæ. Hæc in Palatium Regis ducuntur cum lætitia & summo gaudio.
- Concludit Psalmũ per apostrophen ad Regem ipsum. Vbi
  - Beneprecatur Regis liberis, vt
    - Filij sint loco patrum Regis: id est, precatur Regi fœcunditatem prolis ex Regina ipsius.
    - Ea sit regni amplitudo, ea filiorum prosperitas, ea vitæ Regis diuturnitas, vt ipso viuo liceat filios constituere Principes in vniuerso regno.
  - Animi officiosi gratitudinem & beneuolentiam exhibet, in eò q & se pariter nomen Regis celebraturũ perpetuò & populos idem quoque facturos pollicetur.

Dispositio Psalmi 5. qui iuxta seriem Psalmus est 46.

PARTES Psalmi. 5.

- Prædicant summa cum gratitudine
  - Se magnis malis adobrutos esse.
  - Exillis se ereptos ope diuina. Vnde Deum vocant refugium, robur, fortitudinem, &c.
- Conceptam fiduciam ac securitatem in posterum contra omnis generis tribulationes exprimunt.
- Colligunt ex præterito & accepto iam diuinitùs, tam insigni contra hostes potentissimos auxilio, Deum habere rationem populi sui, & ciuitatis suæ Hierusalem: esse illum in medio eius Tabernaculum sacrosanctum, quod collocauerant in eam ciuitatem, esse instar iucundissimi fluminis, cuius riuuli exhilarant ciuitatem vniuersam: id est, præsens gratia Dei lætificat omnes eius vrbis incolas.
- Quæ fuerint illæ tribulationes, quarum ante meminit, & quo subsidio freti perstiterint, indicat.
- Alloquuntur per apostrophen, & aduocant quosuis ad considerandam potentiam Dei, in præclaro illius facinore, quo populum suum ex tam ingenti periculo liberauit.
- Producunt Deum hostes alloquentem, ac dicentem: Cessate, & agnoscite me Deum esse, &c.
- Repetunt cum magna gratulatione versum 7. nec sine causa: nam in eo sita est omnis gaudij, securitatis & fiduciæ fons, contra quosuis insultus, quòd Deus virtutum cum suis est.

Dispositio Psalmi 6. qui iuxta seriem Psalmus est 47.

PARTES Psalmi 6.

- Omnes populos ad laudem Dei decantãdam inuitat. Vbi
  - Ad exuberantissimam exultationem populos omnes excitant, & prouocant.
  - Rationem subiungunt, quare omnes populos admoneant vt plaudant Deo manibus, & voce iubilent.
- Vaticinantur fore, vt omnes gentes subdantur Israeli, id quod in regno Christi factum est. Nam hæc de veris Israelitis, id est, Christianis, intelligenda sunt.
- Prædicant diuinam ac liberam Dei electionem, qua factum est, vt hic populus esset hæreditas Domini, & eam adscribunt quoque dilectioni Dei, qua Iacob dilexit. Malach. 1.
- Vaticinantur de augmento gloriæ Dei, exaltatione & glorificatione nominis Dei, quæ facta est per Christum à Patre clarificatum. Quæ nominis & gloriæ Dei exaltatio per Euangelij prædicationem in toto orbe obtinuit.
- Hortatur ad canendum & psallendum Domino, & addit causam.
- Inculcant regnum Dei occupasse totum orbem, ac Principes ac magnates agniturum Christum.

Dispositio Psalmi 7. qui iuxta seriem Psalmus est 48.

PARTES Psalmi 7. Celebratur

- Et extollitur Deus, versu 1.8.9.10.11. Vbi
  - Magnificentiam Dei commendat, versu 1.
  - Commendat veritatem, iustitiam, ac bonitatem Dei, versu 8.9.10.11.
- Ciuitas Dei Hierusalem, in typo, in veritate cœlestis illa Hierusalem, versu 2.3 4.5.6.7 12.13.14.
  - A pulchritudine, quã ex diuina dignatione & beneficẽtia accepit: videlicet quòd
    - Ciuitas sit Regis magni.
    - Totam terram exhilaret: nam hîc erat cultus & habitatio Dei.
    - In illa sit notitia Dei.
    - Deum protectorem habeat contra omnes hostes, versu 4. &c.
  - Ab amplitudine: Circumdate, inquit, Sion.
  - A munitionibus murorum, turrium, quas habet multas & sublimes.

Dispositio Psalmi 8. qui iuxta seriem Psalmus est 49.

PARTES Psal. 8.

- Habet exordium. Vbi
  - Excitat omnium mortalium animos, & ad audiendum inuitat, innuens rem esse, de qua dicturus est, ad omnes pertinentem.
  - Subijcit se non de rebus leuiculis ac vanis, sed de rebus grauibus & necessarijs, & cum intelligentia dicturum.
  - Innuit ita his rebus temporalibus innitendum esse, ne quid propter hæc acquirenda committamus, quod Dei iudicio obnoxium sit.
- Traducit stultitiam eorum qui spem collocãt in opulentiã suam, vanitatemque diuitiarũ perstringit. Vbi
  - Innuit se eos maximè traducere, qui in diuitijs suis confidunt & superbiunt.
  - Stultitiam fiduciæ huius declarat:
    - Quia diuitiæ vitam hominis redimere nequeunt, cùm omnibus, sine vllo personarum discrimine, moriendum sit, vt est versu 10.
    - Quòd preciosior sit animæ redemptio, & seculi perpetui, vitæq; sempiternæ, & effugij sepulturæ: id est, mortis, quàm quæ diuitijs possit acquiri.
    - Quia nesciunt diuites, ad quos opes ipsorum deueniunt.
    - Quia cogitant de æternitate familiæ, ædium, & nominis post mortem, cùm homo innumeris mutationibus obnoxius in splendore & precio non diu perduret, maximè post mortem, si non sit intelligens.
    - Quia & hoc incommodi habent, quòd posteros suos perdunt, quòd eos in hac vita ita instituunt, vt post mortem ipsorum eandem viam, quam ipsi sunt ingressi, ducentem ad inferos, currant.
- Aperit quid diuitibus apud inferos expectandum sit: post mortem enim miserrimè cruciabuntur apud inferos: pij verò in hac vita miseri perpetuò, in cœlis exultabunt.
- Admonet non esse metuendos diuites & potentes in hoc seculo, & additur ratio, cur diuites non sint metuendi.
- Repetit quod versu 12. dixerat, Hominem in splendore non duraturum, sed similem esse iumentis post mortem, si not sit intelligens.

Dispositio Psalmi 9. qui iuxta seriem Psalmus est 84.

PARTES Psalmi 9.

- Aperit desiderium cordis, quo erga Tabernacula Dei absens flagrabat Ea vocat amabilia. Vbi & infœlicitatem suam deplorat, quòd interea dum ipse desiderio Tabernaculi Dei absens tabescit, passeribus & hirundinibus tanta erat illius copia, vt non solùm liberè circa illud volitarent, sed & sub illis nidificarent, ac pullos suos reponerent.
- Fœlices prædicat eos, quibus dabatur coram Domino in Tabernaculo eius comparere, quod sibi tũ negabatur. Vbi populo ad Tabernaculum ascendenti dat, quòd
  - Fortitudine Dei sola nitatur.
  - Ex animo vias Hierosolymam ducentes amplexetur.
  - Nullam sitis molestiam in itinere sentiat, eò quòd transeuntium sedulitate, valles fontibus repleantur, effossis: & cisternæ, quæ in illis sunt, cœlitùs Dei beneficio demissis pluuijs, operiantur.
  - Non defatigetur, sed alacrior reddatur: Eant, inquit, de fortitudine in fortitudinem.
  - Voti compos Deum deorum videndo, euadat.
- Gratiam & misericordiam Dei implorat. Vbi
  - Deum orat vt exaudiatur.
  - Rationem subiungit precationis, & simul animi sui desiderium erga domum Dei, per collationem domus Dei, & locorum profanorum refricat.
  - Collationis huius rationem addit: Quia solus verus Deus est, omnes suorum tenebras Solis instar discutiẽs, corda exhilarans, contra quosuis insultus, velut clypeus protegens, &c.

Dispositio Psalmi 10. *qui iuxta seriem Psalmus est* 85.

PARTES Psalmi 10.

- Habet orationem ad Deum pro reconciliatione ac salute populi impetranda. Vbi
  - Beneuolentiam, beneficentiam, & gratiam Dei commemorat, quā ille in populum priscis temporibus declarauerat. Et quòd
    - Illum ex captiuitate AEgyptiaca eduxit in terram Canaan.
    - Toties in deserto peccantibus ac rebellantibus pepercerit.
  - Orat pro conuersione & populi & Dei: nam inter se vterque erat auersus.
- Vaticinatur Propheta de futura illa conuersione Dei, quam in praecedentibus orauit. Vbi
  - Admonet, quae de futura populi Dei foelicitate, salute & gloria praedicturus est, habere se ex oraculo Dei.
  - Canit ad quos oraculum hoc Dei pertineat: nempe ad populum Dei & Sanctos.
  - Futuram in populo Dei bonitatis, fidei, iustitiae, & pacis abundantiā, quibusdam similitudinibus depraedicat. Ac primùm similitudine eorum, qui pro more regionis suae occursu & osculo sese mutuò complectuntur, atque ita amicitiam suam testantur: virtutum harum cognationem & coniunctionem ob oculos ponit. Deinde similitudine terrae bonae, quae accepta coelitùs pluuia, fructus suos passim, & vbertim progerminat, futuram fidei & iustitiae copiam & largitatem depingit. Atque haec omnia Deo adscribit: Deus, inquit, nos visitabit, vt in terra nostra passim obtineat fides & iustitia. Et hoc est quod dicit: Fides è terra progerminabit, & iustitia de coelo prospexit: nempe vt pluuia super terram.

Dispositio Psalmi 11. *qui iuxta seriem Psalmus est* 87.

PARTES Psalmi 11.

- Commendat ciuitatem Sion à loci sanctitate & situ, versu 1.
- Celebrat eam à singulari dilectione Dei, versu 2.
- Laudat eam à gloria gestorum, quae in ea praedicabantur, extollitq; eā super omnia regna terrae per colationem, qua illam externarum 'enm gentiū regnis: finitimis videlicet, & Israeli cognitis confert, versu 3.4.5.6.7. Vbi
  - Per apostrophen ciuitatem Dei alloquitur.
  - Celebrat eam à singulari Dei beneficio, quo multis praeclaris erat viris & gestis plus quàm reliquarum gentium regna decoranda: quasi dicat, Quis quaeso praeclarus & eximius ex alijs regnis prodijt? Vnus forsan ex omnibus dari poterit. At de Sion longè potiora dicuntur: de hac olim dicetur, quòd ille & ille vir notus est in ea: id est, numerabuntur olim nominatim plerique insignes viri, qui ex ea prodeunt. Inde quòd colligetur, quòd fundauerit eam altissimus. Atque hic ostendit, ne Deum quidem inuenire in alijs regnis aliquem eximiū virum, nisi vnum fortassis, in Sion verò plures eximios inuenire.

Dispositio Psalmi 12. *qui iuxta seriem Psalmus est* 88.

PARTES Psalmi 12.

- Orationem habet, qua Propheta exaudiri se petit, versu 1.2.
- Habet quaerimoniam de
  - Malis extrinsecus illatis, vbi se imbecillis, mortuis interfectis, captiuis, miserrimis, ac naufragium patientibus comparat.
  - Animi sui perturbatione & terroribus, vbi & mortis horrorem opprimit, versu 10. 11. 12. Loquitur autem hic Propheta de his mirabilibus, quae & viuentibus in hac vita impenduntur, & oculis mortalium exponuntur, & a viuentibus praedicari possunt.
- Redit ad commendationem orationis suae, cui dat primum clamorem: deinde assiduitatem, cùm dicit: Manè oratio praeueniet te. Vbi & querimonias repetit.

Dispositio Psalmi Ethan Ezraitæ, qui est Psalmus 89.

PARTES Psalmi 89.

- Propositionem habet: quid videlicet hoc Psalmo celebrãdum sibi in Deo desumpserit. Vbi
  - Ostendit se bonitatem ac fidem Domini perpetuò celebraturũ, alijsque declaraturum.
  - Rationem reddit, qui de bonitate ac fide Domini decantare, & posteris notum facere cupiat, versu 2.
- Oraculum Dei de fœdere cum Dauide inito citat, versu 3.4. ac præcedentibus de bonitate ac fide Dei annectit, vbi & promissionem fœderi annexam subiungit.
- Insigni quadam doxologia, fidẽ, bonitatem, potentiam, & iusticiam Dei celebrat, à versu 5. ad 19. Vbi
  - Ostendit mirabilia, & fidem Dei cùm à beatis Spiritibus in cœlis, tum à Sanctis in Ecclesia celebrari.
  - Reddit rationem præcedentium, quia nec in cœlis quisquam, nec in terris sit, qui Domino possit adæquari, & quia terribilis est. Per nubes verò cœlos intelligit.
  - Potentiam simul ac fidem Dei exemplis aliquot considerandam proponit, vt de dissecto mari rubro & plagis Aegypti.
  - Maiestatem Dei celebrat, quòd illius sint omnia.
  - Iterum laudat Deum ab ipsius potentia, quam magnificè ac multis modis declarauit, & perpetuò declarat.
  - A gubernatione rerum omnium & prouidentia Deum extollit: quòd videlicet pro sua iusticia, æquitate, bonitate, ac fide moderetur omnia, versu 14.
- Celebrat fœlicitatem populi Dei ad hoc, vt laudem Dei, quam instituit, excellentiorem reddat. Huic Dei populo tribuit scientiam laudis Dei, gratiam Dei, gaudium plenum, exuberans & perenne: deinde robur fortitudinem & protectionem Dei.
- Redit ad oraculum Dauidi factum, ac illud copiosiùs exponit, à versu 19. ad 38. Vbi
  - Per apostrophen ad Deum ipsum loquitur, ac temporis articulos notat, quibus Dauid diuino est oraculo, cùm in Regem per Samuelem electus, tum in regno per Nathan confirmatus. Per Sanctos intelligit Prophetas, Samuelem & Nathan.
  - Commemorat pactum, seu promissionẽ Dauidi factam. Vbi
    - Ostendit, quòd eum elegerit, ac electum exaltauerit, ad hoc, vt populo esset adiutorium.
    - Recenset, quàm multis illũ beneficijs prosecutus sit. Vbi pollicetur illi
      - Defensionem & protectionem.
      - Contritionẽ & percussionem inimicorum suorũ.
      - Beneficentiæ fontem: fidem scilicet, ac bonitatem suam.
      - Regni eius firmitatem, sublimitatem, amplitudinem, dignitatem & excellentiam: eò quòd Rex pius sit, & in Deum speret.
      - Perpetuitatem eorum, quæ fœderis gratiam Dauidi promisit. Et si enim posteros Dauidis Domino rebellantes puniat, bonitatem tamen & fidem suam auferre ab eo nolit, nec pactum suum prosanare, nec infringere iuramentum suum, quo semini eius regni perpetuitatem est pollicitus.
- Querimoniam habet de profanatione & vastatione regni & populi Dauidis, cum petitione ad Deum, vt fœderis cum Dauide initi meminerit, à versu 38. ad finem. Vbi
  - Deplorat regni Dauidici dissipationem & proculcationem, & queritur longè diuersa accidere Dauidis regno, quàm habeant promissa Dei, quæ hactenus satis prolixè recensuit. Eò quòd ex tam misera regni illius vastatione appareat, Deum aduersus vnctum suum ira esse commotum, illumq; deserere & abominari. Deinde pactum suum irritasse, & profanasse, regni robur abstulisse, gẽtibus fauere, &c. Non est autem alienum à viris Dei, tẽtationum sensu adobrutis, vt ea fieri à Deo querantur, quæ reuera non fiunt, quantumuis ipsis fieri videantur. Vt, cùm Dauid queritur, Proiectus sum à facie tua, &c. Huiusmodi querelæ non ex impietate, sed cœlestis dispensationis ignorantia, & ex sensu ac magnitudine periculorum: cum pietate tamen coniuncta proficisci solent.
  - Habet petitionem ad Deũ. Vbi
    - Iram Dei deprecatur.
    - Humanæ conditionis Deum admonet: videlicet quàm misera & breuis sit vita hominis, & morti obnoxia. Faciunt hæc ad mouendam commiserationem.
    - Priorum temporum fœlicitatem recogitat, quibus Deus populo suo summa beneuolentia aspirauerat.
    - Mentionẽ facit iuramẽti ac pacti cũ Dauide initi, ꝙ speret veritatẽ Dei euanescere nõ posse tã perspicuo iuramẽto firmatã.
    - Petit, vt non patiatur Deus seruos suos probris affici à gentibus.
    - Concludit per doxologiam, qua quicquid est calamitatis, de qua conquestus est, nõ solùm diuinæ voluntati cõmẽdat, sed & ad laudem Dei cessurũ sentit. Quod se ex animo optare & certò aliquãdo futurũ credere, gẽmatione vocis Amen significat.

LIBER TERTIVS PSALMOrum, qui Asaph adscribuntur.

Dispositio Psalmi 1. qui iuxta seriem est 50.

PARTES Psalmi 1.

- Authoritatem Dei ad commendationem officij sui inducit, dicens, se habere mandatum Dei, ne quis personam suam contemnat.
- Ostendit Deum ad hoc iudicium suum arbitrorum ac testium loco aduocare cœlum & terram: id est, tam aperto iudicio acturum Deum cum populo suo, vt etiam si homines non sint agnituri, ac fassuri, testes tamē habiturus sit cœlum & terram. Sic Moses Deut. 4. 30. 32. Esa. 1.
- Cōtinet quasi vocem præconis, conuocantis ad Iudicium Dei cum populo suo de causa cultus, cœlum & terrā vniuersam, ab ortu Solis ad occasum vsq;. Vbi
  - Describit aduētū Dei ad Iudicium: vt
    - Vnde sit proditurus: Quia ex Sion. Loquitur enim ad formam mundani Regis, qui profecturus ad disceptandum cum populo suo, ex vrbe regia progreditur.
    - Qualis sit progressurus: videlicet perfecto decore ornatus, vt solent Reges, regiam maiestatem ostentantes.
    - Quomodo veniat: iratus scilicet, plenus spiritu vindictæ, cum magno terrore. Hoc est quod dicit: Ignis vorans ante faciem eius, &c.
    - Ad quid è Sion progrediatur: nempe ad iudicium ineundum cum populo suo.
  - Inducit Deum mandantem, ac dicentem: Congregate mihi Sanctos meos, &c. & exprimentem etiam causam, de qua sit cum illis disceptaturus: nempe propter sacrificium, id est, cultum Dei: vel quòd propter sacrificia sua volunt Deum sibi quasi fœdere quodam deuinctum.
- Habet expostulationem Iudicis bimembrē: qua
  - De ratione cultus agitur in genere, cum vniuerso populo, qui per errorem in causa cultus delinquebat. Vbi
    - Ponit authoritatem Dei, quam habet in populum suum: Audite, inquit, popule meus, &c.
    - Complectitur expostulationem duobus. Primùm, eò quòd cōmunis est: videlicet quòd Deus sit. Deinde, quòd singularis est: Deus tuus, inquit, &c.
    - Docet cultum Dei non esse in sacrificijs, sed in inuocatione nominis Dei, obedientia, gratiarum actione, &c.
  - Corripiuntur improbi, qui prorsus alieni erant à fœdere Dei, & per hypocrisin nomen pietatis quærebant, & ea facinora, quæ designabant, fuco externæ ac simulatæ pietatis obtegebant, vt erant Sacerdotes impij.
- Habet admonitionem ad omnes, quæ est bimembris. Pertinet ad
  - Impios, quos acrius corripuerat, quibus hic dat obliuionem Dei.
  - Populum, cum quibus primùm expostulabat, qui non ex obliuione Dei, aut impietate, sed ex errore delinquebat.

Dispositio Psalm 2. qui iuxta seriem est 73.

PARTES Psalmi 2.

- Præmittit diuinæ bonitatis asseuerationem erga pios, versu 1.
- Cōmemorat quid sibi acciderit, impiorum pace videnti. Vbi
  - Dicit se à fide, qua initio Psalmi dixit, Quòd bonus sit Deus, per tentationem ab impiorum pace illatam, penè lapsum fuisse. Simile quid habes & Ieremiæ 12. & Iob. 21.
  - Subiungit quomodo & vnde impulsus penè lapsus sit. Vbi prosperitatem impiorum sibi materiam tentationis præbuisse docet.
  - Pacem impiorum describit, quòd grauamina populi non subeunt, & potentiam diuitiarum habent. Id enim per pingue robur intelligit.
- Ponit prosperitatem, superbiā, fastum, & iniquitatem impiorum. Vbi
  - Prosperitatis impiorum fructus indicat: vt sunt
    - Superbia, cuius duas species ponit: Qua
      - Impij insolescunt incessu, vestitu, & reliquo corporis gestu.
      - Lingua tumēt, de omnibus contemptim loquuntur, qua sese prædicant, grandia minantur,
    - Violentia, qua pauperes iniquè & temerè opprimuntur,
  - Ostendit quomodo pacis & prosperitatis gratia à plebe suspiciantur, & colantur.
- Exponit cogitationes suas, quas in hac tentatione habuit versu 13. 14.
- Ad se redit, & considerato impiorum fine, causam hanc penitùs expendit, versu 15. ad 20. vbi & quæ impiorum sors sit, exponit.
- Prouidentiam, & seq. Vide literam A.

A. Prouidentiam Dei recolit delaratam erga se,& rursus fidem suam ac spem erga Deum firmat,à versu 21. ad finē. Vbi

- Incusat cordis sui amaritudinem, quæ nihil est aliud, quàm acerbus quidam & præposterus zelus.
- Adijcit causam huius: stultitiam videlicet & ignorantiam iudiciorum Dei. Sibi igitur culpam, non Deo adscribit,quòd in tentatione tam stolidè de Deo senserit.
- Prædicat bonitatem & prouidentiam Dei erga se, eamque constantem & perpetuam, versu 23.24.
- Declarat animum suum vni ac soli Deo addictum, ab vno & solo Deo quicquid accidat, etiam si caro & cor deficiant, velut à firmissima rupe pendentem.

Concludit, vbi quid impijs & quid rectis corde expectandum sit, complectitur.

Dispositio Psalmi 3. qui iuxta seriem Psalmus est 74.

PARTES Psalmi 3.

- Queritur afflicti desertos se esse à Deo, vastari Templum, cultum, & blasphemari nomen Dei ab impijs. Vbi
  - Vastationem non malitiæ gentium, sed Dei indignationi tribuit.
  - Petunt remissionem furoris diuini, & rationes innuunt.
  - Opem Dei efflagitant.
  - Querimoniam intermiscent de improbitate hostium, omnia vastantium: vbi ea potissimùm commemorat, quæ maximè animos eorum vrebant: nempe Templi ac Synagogarum vastationem, & prophanationem: item blasphemiam nominis Dei.
  - Virtutem ac potentiam Dei celebrat. Atque huius rei exempla ac indicia quædam adducunt, vt potentiæ ac prouidentiæ Dei consideratione sese in afflictionibus confirment.
- Orant pro terminanda hac vastatione, vltione inimicorum & defensione sui. Vbi rationis loco
  - Memorant ea, quæ cumprimis Deum ipsum concernebant, quibus non tam ipsi,quàm Deus ipse ab hostibus lædebatur, vt sunt, probrum nominis Dei, pactum Dei, cœtus Dei: item insultationes, minæ, gloriæ, furor impiorum, quo contra Deum infremebant.
  - Ea memorant, quæ populum Dei concernunt, vt quòd sint pauperes & afflicti, qui nomen eius laudant: id est, benè de eo sperando, gratiam illius deprædicant. Quòd sit illis ignominiæ futurum, si deserantur.

Dispositio Psalmi 4. qui iuxta seriem Psalmus est 75.

PARTES Psalmi 4.

- Habet doxologiam Dei, versu 1.& 9.
- Complectitur pij Regis propositum. Videbat sub Saule omnia esse corrupta, propter deprauationem iudicij & administrationis regiæ. Pollicetur itaque,quòd accepta oportunitate,quam hic vocat tempus destinatum, ex æquo iudicare, & terram cum habitatoribus suis corruptam, iusti iudicij firmitudine restituere, cornu impiorum confringere, ac iustorum exaltare velit, versu 2.3.4.5.& 10.
- Rationem adiungit à iustitia & potentia Dei, impiorum vltrice sumptam, vbi ostendit Deum solum esse iudicem, qui superbos humiliet, & humiles extollat. In huius manu esse calicem plenum vino iræ & furoris illius, hunc miscere, & ita epotandum propinare impijs, vt etiam feces eius bibituri sint.
- Concludit, vbi præcipuas Psalmi partes de doxologia & proposito suo recenset.

Dispositio Psalmi 5. qui iuxta seriem Psalmus est 76.

PARTES Psalmi 5.

- Terram Iudæ & Israelis quibusdam de causis celebrat, versu 1. & 2. Quòd
  - In illa notus sit Deus.
  - Magnum sit nomen eius, præsertim in Salem: id est, Hierusalem & Sion, vbi Tabernaculum sibi Deus & habitationem elegerat.
- Virtututem tremendi iudicij Dei cótra hostes impios deprædicat, á versu 3. ad 10. Huius partis duo sunt membra: Qua
  - Virtute Deus hostibus vires & exercitus confregerit, versu 3. 5. 6.
  - Ille, potétiæ contrá hostes declaratæ gratiá, celebratur, & extollitur, versu 4. 7. 8. 9. 10. Dat autem illi duo elogia ex præclaris factis desumpta: primùm, vocat eum illustrem & præclarum, versu 4. deinde versu 7. ita terribilem, vt nemo eius iram ferre possit.
- Hortatur omnes Israelitas ad veri Dei cultum, versu 11. 12. Per vota enim intelligit inuocationem cum animi grati promissione.

Dispositio Psalmi 6. qui iuxta seriem Psalmus est 77.

PARTES Psalmi 6.

- Cogitationes habet, quæ anxietatem cordis afflicti, desperationisq; tentationem complectuntur à 1. vers. ad 9. Vbi
  - Dicit certò se ad Deum clamasse, & exauditum esse.
  - Ostendit qua id factum sit animi angustia.
  - Docet quantus fuerit angustiati cordis æstus, versu 2. ad 5 vsque.
  - Innuit quò angustiatus confugerit: Dominum, inquam, quærebam.
  - Quæ fuerint illius cogitationes, malú non releuátes, sed potiùs aggrauátes exprimit. Cogitabat enim de
    - Priorum temporum posteritate, quibus Dei bonitate dabantur Israeli pij Iudices.
    - Psalmis & canticis, quomodo in rebus prosperis fidem aluerit, Deoque laudes cecinerit.
    - Temporis sui miseria & malitia. Vbi tentabatur etiam perpetuæ iræ Dei sensu.
- Exprimit cogitationes, quibus diuinæ bonitatis & potentiæ, miraculis consideratis, animæ anxietatem dispellere, & robur fidei recipere cœpit. Vbi
  - Cogitationes illas priores fidei suæ imbecillitati tribuit.
  - Ostendit se postea cogitasse de potentia dexteræ Dei, quæ, res etiam desperatissimas mutare queat in res fœlicissimas, & noctis tenebras vertere in iucundissimum Solis splendorem.
  - Ad id, quod dixit, mutationem esse dexteræ excelsi, producit argumenta ex ipsis operibus Dei sumpta, quibus tribuit quòd sint
    - Mirabilia, quæ rationis humanæ captum & intellectum excedant.
    - Inde ab initio patrata & prisca.
    - Multa & innumerabilia.
    - Studiosa.
    - Sancta, versu 13.
  - Nonnulla ex operibus Dei nominatim recenset: vbi liberationis Israeliticæ ex Aegypto opus & modum commemorat, & de hostium interitu, & de populi Israel in terram promissam deductione breuibus disserit.

Dispositio Psalmi 7. qui iuxta seriem Psalmus est 78.

PARTES Psal. 7.

- Animos populi excitat ad auscultandum, & quæ memoraturus est diligenter percipiendum, Vbi
  - Exigit attentam & diligentem auscultationem.
  - Ostendit quid dicturus sit, parabolas videlicet & ænigmata, eaq; non recentia, sed antiqua: id est, graues sententias collationibus refertas, vt sunt historiæ, ex quarum collatione admonetur populus, quid & sibi de Deo sit expectandum, siue illi bona fide adhæreat, siue perfidè reluctetur.
  - Magis aperit quas dicturus sit antiquas parabolas: nempe non tales, quarum isti populo nulla sit cognitio, sed planè auditas & cognitas, vt sunt quæ virtutem ac mirabilia Dei, seu laudes eius concernunt, quarum cognitio & ad maiores Israelis peruenit, & ab illis posteris est tradita. Commendat itaque hic doctrinā huius carminis. Primùm, quòd non sit inaudita. Deinde, quòd nō sit peregrina, & ab exteris illata, sed ab ipsis Israelis maioribus posteritati tradita. Tertiò, quòd habeat prædicationem & celebrationem diuinæ laudis, potentiæ scilicet & mirabilium eius. Quartò quòd non quæuis illius mirabilia, quæ toto orbe quotidie patrat, sed specialiter ea celebret, quibus iam olim potentiam ac bonitatem suam ostendit: propterea dicit, Quæ fecit, non, quæ facit.
- Perstringit beneficia, quæ Deus Israelitis ab Aegyptiaca libertate ad Dauidis vsq; tēpora impēdit: videlicet quòd
  - Dederit illis Legem. Vbi
    - Cur dederit illis Legem explicat: videlicet vt posteritas in cognitione Dei instituta, spem ponat in Deum, beneficiorum eius memoriam grata retineat, & mandata eius custodiat, ne si ista negligat, similis peruersæ Patrum generationi euadat.
    - Innuit quàm fuerint Israelitæ improbi, ac Legi Dei rebelles, & quæ sors fuerit generationis rebellis, versu 9. 10 11. vt videlicet alieno exemplo admoneat eos, ne cogantur proprio experiri, quod iam experti fuerant maiores increduli & rebelles.
  - Mirabilia opera illis ostenderit: ꝙ
    - Eos ex Aegypto mirabiliter eduxerit, editis signis in Aegypto.
    - Mare diuiserit, vt sicco pede transirent Israelitæ, Exodi 14.
    - Contra noctis tenebras, & diurni Solis æstum paratum illis & constans dederit solatium, Exodi 13.
    - E duro saxo virga percusso vndam dederit illis. Exodi 17. Numer. 20.
- Accusat eos ꝙ miracula illa stupenda, quibus diuina cū potentia tū prouidētia declarata fuerat, ita frustra viderint, vt ne sic quidem ad credendum Deo induci potuerint, sed & postea corde peruerso fuerint. Vbi
  - Populi peccatum amplificat.
  - Describit peccatum populi: Et tentauerunt, inquit, Dominum in cordibus suis.
  - Quomodo Deum tentauerint, explicat: Et locuti sunt, inquit, aduersus Deum: videlicet quòd posset quidem, nollet tamen eorum habere curam.
  - Iram & plagam Dei populo incredulo illatam, & causam iræ & plagæ Dei commemorat, versu 23. &c.
- Docet ꝙ Israelitas nō statim abiecerit, vt vt enormiter præuaricatos & castigatos etiam, sed eorum curā habuerit, & eos aluerit. Vbi
  - Miraculosam illā panis alimoniā, quam Dominus illis in deserto dedit commendat.
    - Ab insolentia loci, vnde mittebatur. Non enim erat ex terræ fructibus, sed è nubibus, & ipsius cœli penetralibus: idque virtute verbi Dei.
    - Ab administrationis facilitate. Dabatur enim sine vllo humano labore. Hoc est quod dicit: Mandauit nubibus desuper, &c.
    - A copia & abundantia, quòd tantæ multitudini pascendæ abundè suffecerit.
    - A præstantia alimoniæ, cùm dicit: Panem heroum manducauit homo: id est, cœlestem cibum homo terrenus edit.
  - Modū diuinæ pōtētiæ in miraculo coturnicū declaratę describit: videlicet quod
    - Per ministerium venti Aphrici abreptas coturnices populo suo dederit.
    - Eas instar pluuiæ, vel pulueris, vel arenæ, quæ in littore maris copiosissima est, tanta largitate dedit, vt tantæ multitudini abundè sufficeret.
    - Non sparsim in quamuis regionem ventilatas dedit, sed in medium & circuitum castrorum eorum, vt captu essent facillimæ demisit.
- Commemorat, Commendat, & seq. Vide literam A.

A.
- Commemorat iterum peccatum Israelitarum, & eorum plagas, versu 30.31.32.33.
- Declarat quomodo in plagis à Deo illatis sese gesserint. Vbi describit coactam illorum pœnitentiam, & simulatam ad Deum cõuersionem.
- Commendat moderationem illam iræ Dei, qua factum est, vt impius ille populus, non sit prorsus, vt meritus erat, deletus. Vbi docet
  - Deum propitiatum esse iniquitati eorum.
  - Quomodo propitiatus sit: videlicet vt non disperdiderit eos, sed iram suam cohibuerit.
  - Quod id ob eam causam fecerit, quod recordatus sit eos esse carnem & spiritum vadentem & non redeuntem: id est, quòd recordatus sit quanta sit hominis fragilitas & vanitas. Nam per carnem creaturam fragilem ac miseram: per spiritum, id est, ventum vadentem & non redeuntem, vitæ humanæ inanitatem, instabilitatem, & transitus velocitatem intelligit, vide Psal. 102. Primam autem horum omnium causam hanc assignat, quòd Deus misericors sit.
- Notat iterum prauæ generationis malitiam, quod non semel ac iterũ ad ingenium suum redierint, sed sæpenumerò, ita vt nec plagis vllis, nec clementia Dei ad ponẽdam incredulitatis malitiam permoueri potuerint. Vbi
  - Plagas recenset quibus Dominus terram Aegypti percussit, vt declaret quæ fuerint illa miracula & prodigia, quæ prauam istam generationem oblitam esse dixit. Recenset autem nec omnes nec ordine, quo diuinitùs sunt immissæ, sed potiores, vt plagam primam, quartam, secundam, septimam, decimam.
  - Beneficium liberationis ex Aegypto cuius quoq; beneficij erant obliti, subijcit. Vbi
    - Ostendit quomodo Israelem iam liberatum Deus è manu tyranni eduxerit.
    - Innuit per quam viam deduxerit, quia per viam deserti.
    - Quò deduxerit exprimit: videlicet in terram Canaan.
    - Quomodo illis terram hanc dederit: videlicet vt hæreditatem, eiectis hinc Gentibus.
  - Malitiam Israelitarum describit, qua contra Deum in ipsa terra, quàm illis in hæreditatem dederat, peccauerunt.
  - Iram Dei & sumptas de reprobis pœnas recenset. Vbi Arcam Testamenti vocat virtutem & decorem Dei, quòd præsentia sua, cuius symbolum erat Arca, virtutem & potentiam suam Israeli declarauit.
- Summatim perstringit quomodo hostes suos Philisteos propter Arcam, quam obstulerant, percusserit, & nominis sui gloriam ab ignominia vindicauerit.
- Commemorat quòd non Silo tantùm, sed & vniuersam Tribum Ephraim, in qua fuerat & Tabernaculum & principatus, hactenus reiecerit, & vtroque illam honore priuauerit, ad Iudam translato & Tabernaculo & regno. Vbi per Ephraim & Ioseph eandem Tribum intelligit: fuit enim Ephraim filius Ioseph minor. De translatione Tabernaculi meminit, versu 67.68 69 De translatione principatus, tribus posterioribus versibus. Vbi & familiam exprimit, cui traditum sit regnum, imò & ipsam personam ad regnum diuinitùs electam: Elegit, inquit, Dauid seruum suum, &c.

Dispositio Psalmi 8. qui iuxta seriem Psalmus est 79.

Partes Psalm. 8.
- Conqueruntur Israelitæ afflicti de
  - Gentium aduentu in hæreditatem Dei.
  - Templi prophanatione.
  - Hierusalem succensa & euersa.
  - Ignominia quæ recidebat in nomen Dei.
- Cõuertuntur ad precandũ cùm pro hostiũ vltione tũ pro sui liberatione, intermixtis querimonijs. Vbi
  - Deprecantur iram Dei.
  - Auersionem iræ Dei & translationem eiusdem in gentes hostiles precantur.
  - Assignant causam vltionis, vbi hostes notant impietatis, crudelitatis & sæuitiæ erga populum Dei.
  - Meritam vltionem deprecantur.
  - Auxilij & liberationis petitionem subiungunt, & ad quid Deus hoc facere debeat subijciunt.
  - Affectum gloriæ Dei vindicandæ exprimunt: Cur dicent, inquit, Gentes, Vbi est Deus eorum? Significantes his verbis quomodo gentes nomen Dei blasphemauerint.
  - Repetunt precationem pro liberatione sui & vltione hostium.
- Doxologiam Deo pollicentur perpetuam.

Dispositio Psalmi 9. qui iuxta seriem Psalmus est 80.

PARTES Psalm. 9.

- Orat pro restitutione populi Dei ab impijs hostibus miserè pressi & vastati. Vbi orat vt
  - Auscultet, id est, placatis auribus precationem afflictorum benignus admittat.
  - Appareat, id est, sese populo suo præsentem esse declaret. Nam sedem propitiatorij ac præsentiam suam deseruisse videbatur. vide Exod 25.
  - Potentiam suam excitet, id est, præsentem se exhibeat ad saluandos afflictos.
  - Conuertat Deus populum suum, id est, animos auersorum immutet. Hoc ter repetit.
  - Faciem suam illustret.
- Habet querimoniam
  - Quòd preces afflicti populi sui noluerit audire.
  - De miserabili & lachrymoso luctu populi.
  - De dominatione & conuitijs hostium.
- Beneficia Dei Israeli præstita recenset. Vbi
  - Potentiæ ac beneuolentiæ beneficia refricat, quibus Israelem ex Aegypto liberauit, & in terram Canaan transtulit, ibiq; vehementer ampliauit & corroborauit. Vbi vtitur similitudine vineæ admodum apposita, per quam ob oculos exponit, quæ bona Israeli diuinitùs, & quæ ab hostibus ex iudicio Dei mala contigerunt. Vsi sunt hac & Esaias 35. & Ierem. 2. & Christus Matth. 21.
  - Notat diligentiam illam Dei singularem, qua, antequam Israelem in terram hanc introduceret, omnia illa reiecit ante faciem eius, quæ commodam eius inhabitationem impedire poterant.
  - Prædicat benedictionem multiplicatæ in immensum Gentis, quam pollicitus fuerat Deus Abrahæ.
  - Celebrat potentiam, amplitudinem & latitudinem regni Israelitici.
- Vastationem Israelis deplorat: vbi significat Propheta similitudine vineæ desertę, populum suum diuina custodia destitutum, quorumuis libidini ita fuisse expositum, vt nihil expectandū fuerit aliud, quàm omnimodum exitium, omnia vastantibus hostibus impijs.
- Repetit & absoluit orationem pro restitutione Israelis: Orat autem vt
  - Reuertatur.
  - De cœlo despiciat, & videat & visitet vineam istam desertam.
  - Manu sua populum suum tueatur.
- Constantem fidem & inuocationem pro Dei beneficio pollicetur.

Dispositio Psalmi 10. qui iuxta seriem Psalmus est 81.

PARTES Psal. 10.

- Hortatur populum Israel vt cum exultatione Deo, fortitudini ipsorum, tubis, tympano, Psalterio & cythara insonent. Vbi
  - Hortatur populum ad gaudendum & exultandum.
  - Ostendit cui sit iubilandum, quia Deo.
  - Rationem assignat quare exultandum sit Israeli in Deo suo: videlicet quòd sit Deus Iacob, patrum ipsorum: deinde, quia sit ipsorum fortitudo.
  - Gaudij huius significationem exprimit, cùm dicit: Sumite Psalmum.
  - Adiungit quando præcipuè declaranda fuerit ista cordis exultatio: In neomenia, inquit.
  - Adhortationis huius rationem reddit: Primùm, quia ita diuinitùs statutum fuit Israeli: deinde, quia ritus hic sit à Deo legitimus: vbi & tempus statuti & testimonij huius, imò & gaudij huius causam exprimit: animi videlicet gratitudinem propter liberationem & egressionem è seruitute Aegypti. Egressis enim ex Aegypto præcepta sunt hæc dierum festorum gaudia, vt liberati iam in debita animi gratitudine exercerentur. Linguam incognitam intelligit linguam Dei, quam in monte Sinai ex Aegypto educti, antea incognitam audierunt.
- Inducit Deum populum, & seq. Vide literam A.

Inducit

A. Inducit Deum populum suum alloquentem, & velut paterno alloquio conuenientem, deque beneficijs suis & propensa in ipsos beneuolentia: deinde & populi pertinacia, incredulitate & merita perditione contestantem. Vbi

- Inducit Deum tacitum secum loqui, ac beneficia sua breuibus memorantem.
- Per apostrophen Deus populũ suum alloquitur. Vbi
  - Tribulationis, afflictionis, clamoris, liberationis, penuriæ aquarum, quam probationem vocat, admonet.
  - Exigit à populo vt se audiat.
  - Præcipit vt se tantùm adoret, reiectis dijs alienis.
  - Rationem huius assignat: quia Deus sit, & Deus Israelis. Id quod mirando facto, nempe liberatione ex Aegypto, ostenderit.
  - Promittit maximum emolumentum, si fides integra Deo seruetur: laudem videlicet beneficiorum & prosperitatem.
  - Queritur de populi sui inobedientia & obstinatione.
  - Ostendit desertionem & pœnam populi, eò quòd Dominum non audiuerit.
  - Concludit orationem, vbi omnia bona pollicetur Israeli, si se audiat, nec dijs alienis adhæreat.

Dispositio Psami 11. qui iuxta seriem Psalmus est 82.

PARTES Psalm. 11.

- Admonet Propheta Deum esse in Senatu potentũm, inque medio Deorum iudicare.
- Deum inducit, iniquos Iudices & Magistratus reprehendentem, & ad hoc vt iustè iudicent adhortantem. Vbi
  - Orditur satis seuerter, acriter increpans Iudices & Magistratus iniquè agentes & personas respicientes.
  - Hortatur vt iustè sine personarum respectu iudicent, ac innocentes aduersus diuitum ac impiorum calumnias defendant.
  - Inserit deploratam impiorum Magistratuum iniquitatem, ac rerum omnium perturbationem, ex negligentia, inscitia, & iniquitate Magistratuum, natam. Mutat autem personam, vt animi turbati affectum exprimat.
  - Redit ad absoluendam impiorum Magistratuũ reprehensionem. Vbi
    - Incogitantiæ ac ingratitudinis vitium illis opprobrat: quòd cùm sint homines nihilo alijs mortalibus potiores, non agnoscant in quam dignitatem à Deo sint euecti, & in quem finem.
    - Comminando prædicit in quem sint desituri finem. Morituri enim sunt sicut alij, sicut Principes qui Deum non nouerunt, & tyrannidem in populum exercent.
- Deum excitat vt ipse iterum iudicet, & rationem huius rei assignat.

Dispositio Psalmi 12. qui iuxta seriem Psalmus est 83.

PARTES Psalmi 12.

- Implorat Deum ne hostium improbitatem diutius ferat.
- Queritur de conatibus hostiũ, idq; per ethiologiam, versu 2.3.4. Queritur autem quòd
  - Tumultuentur hostes, quà voce fremitum ac impetum hostium exprimit.
  - Capita extollant, id est, superbiant.
  - Contra populum Dei conspirârint.
  - Conatus illorum sit, extirpare populum Dei, & delere funditùs.
- Catalogum habet earũ Gentiũ quæ circaquaque aduersus Israelem conspirârunt, versu 5.6.7.8. Vt sunt
  - Idumæi, posteri Esau.
  - Ismaelitæ, posteri Ismaelis.
  - Moabitæ & Ammonitæ, posteri filiorum Loth, Ammon & Moab.
  - Agareni, ex Agar.
  - Gebalitæ, ex posteris Esau.
  - Amalechitæ.
  - Philistini.
  - Tyrij.
  - Assyrij.
- Meritam vltionem, & seq. Vide literam A.

A. Meritam vltioné hostibus imprecatur. Vbi
- Vindictam imprecatur hostibus. Vbi complectitur
  - Casum & ruinam hostium. Casum & vindictam hostium petit, versu 10.11. inductis duabus historijs ex libro Iudicum desumptis, quibus insignis vindicta de impijs quondam diuinitùs sumpta describitur.
  - Persecutionem.
  - Terrorem.
  - Ignominiam.
- Cur id faciat & quid spectet hac vltionis precatione significat. Nempe vt ignominia affecti hostes, confusi, pudefacti, consternati & perditi, nomen Dei quærant, & cognoscant quòd ipse sit Dominus, & solus excelsus super omnem terram.

Dispositio orationis Mosis viri Dei, qui iuxta Psalmorum seriem est 90.

PARTES Psalmi 90.
- Prouidentiã Dei erga populũ suũ ac diuinitatis illius sempiternitatem celebrat. Vbi
  - Beneuolentiam Dei, qua populum Israelis, præteritis generationibus, varijs beneficijs affecit, extollit.
  - Prædicat diuinitatis in Deo sempiternitatem.
- Humanæ vitæ miseriam ac breuitatem deplorat, versu 3.4.5.6. Vbi
  - Notat ineluctabile illud decretum, quo Adæ post transgressionem dixit Dominus: In sudore vultus tui, id est, in calamitate & miseria, vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, &c.
  - Declarat quàm sit vita nostra breuis, labilis, vana & miseria: idque similitudinibus aptissimis de die hesterno, vigilia nocturna, quæ trium horarum spatio terminatur, de aqua defluente, somnio & herba confestim arescente. Talis certè est in conspectu Dei vita nostra, quãuis multorum annorum spatio extensa, apud quem etiam mille anni, ne vnius quidem diei spatium adæquare poterunt.
- Eorũ quæ de vanitate & breuitate ac miseria vitæ nostræ præmisit, velut rationẽ subiungit, ad quam ea referre videamus. Vbi
  - Eorum rationem assignat, iram Dei iustam propter peccata nostra.
  - Intermiscet quædam, vitæ nostræ breuitatem, ac miseriam concernentia.
  - Exclamationem ponit, qua satis declarat quid hoc loco considerandum nobis proponat: nempe quàm immensa & incomprehensibilis sit iræ Dei vis & potentia.
- Psalmũ imploratione misericordiæ Dei cõcludit, à versu 12. ad finem vsque. Vbi
  - Orat vt consideratio hæc breuis vitæ nostræ ad instructionem nobis per gratiam Dei cedat, quo sapientes reddamur corde.
  - Iram Dei deprecatur, cui supra omnem vitæ nostræ calamitatem, vanitatem ac breuitatem adscripsit.
  - Orat vt sublatis quotidianis calamitatibus facientur iam bonitate Dei.
  - Orat vt populum consoletur & lætificet.
  - Petit vt declaret se esse Deum, & protectorem seruorum suorum. Id quod ad gloriam illius cedit.
  - Petit regi opera populi à Deo. Nihil enim est opus manuum nostrarum nisi diuinitùs dirigatur.

Finis Psalmorum omnium.

Dispositio

DISPOSITIO VATICINIORVM, ſeu Sermonum Eſaiæ Prophetæ.

Tabula de Eſaia Propheta.

Loci quatuor.

Qua ratione Vaticinia Eſaiæ priorem locum inter ſcripta Prophetarū ſortita ſint. Non ideò quòd tempore & ordine prophetandi præceſſerit: nam ante ipſum & cum ipſo plurimi ſunt vaticinati. Contemporanei illius fuerunt Hoſeas, Amos & Zacharias: prior, non qui inter duodecim Prophetas numeratur, ſed propterea priorem locum ſcripta illius obtinent, quòd dignitate & excellentia vaticiniorum tanti eſt habitus, vt meritò cæteris viſus ſit eſſe præponendus. Et noui Teſtamenti ſcripturæ ſatis arguunt, quanti fuerint illius vaticinia in oculis Chriſti & Euangeliſtarum. Non enim eſt aliquis veteris Teſtamenti liber, dempto Pſalterio Dauidis, vnde plura teſtimonia in noui Teſtamenti ſcripturis adducta legamus. Si numeres, depræhendes palam 60. locos ex hoc libro Vatis citatos: ex Pſalmis vero 64. Sed & apud ethnicos vnius Dei cultores, Propheta hic ſingulariter habitus eſt in precio, ſicut patet in hiſtoria Eunuchi, Actorum 8.

De dictionis Eſaiæ elegantia. Hieronymus enim tribuit illi ſermonem diſertum, vrbana elegantia venuſtum, in quo nihil ſit ruſticitatis admixtum.

De libri Eſaiæ diuiſione. Poterit enim in tres præcipuas partes diuidi.

- Duodecim primis capitibus mixtim agit de regno Chriſti, & de temporum illorum cauſis, quibus Propheta vixit.
- A 13. vſq; ad 49. variæ ſunt prophetiæ cōgeſtæ, in quibus vltionem Dei vicinis Iudæorum populis cōminatur, vt
  1. 13. 14. contra Babel.
  2. 15. 16. contra Moab.
  3. 17. contra Damaſcum.
  4. 18. 19. 20. contra Aegyptum.
  5. 21. Rurſus contra Babel.
  6. 22. contra Hieruſalem.
  7. 23. contra Tyrum.
  8. 24. generaliter de vaſtatione terræ.
  9. 25. & 26. immiſcet hymnos ad Deum.
  10. 28. contra Ephraim.
  11. 29. contra Hieruſalem.
  12. 30. 31. aduerſus eos qui in Aegyptum deſcenderunt.
  13. 32. 33. contra Sennacherib.
  14. 35. 13. 36. 37. 38. 39. ponit hiſtoriam vaſtationis Iudææ, cladis Aſſyriacæ, & eorum quæ poſt illam Ezechiæ contigerunt.
  15. 40. de ſubuerſione Babel, & liberatione Iudæorum per Cyrum.
  16. 41 contra gentes Idolatras.
  17. 42. de regno Chriſti.
  18. 43. 44. rurſus contra idolatriam Gentium.
  19. 45 de Cyro.
  20. 46. adhuc contra Gentes idolatras.
  21. 47. contra Babel.
  22. 48. aduerſus duriciam Iudæorum vaticinatur.
- A capite 49. ad finem vſque de regno Chriſti ſatis luculenter diſſerit.

De titulo ac argumento libri Eſaiæ, qui ſtatim initio libri ponitur, cuius quatuor ſunt partes.

- Exprimit materiam eorum quæ memorabuntur, dum docet eſſe viſiones.
- Significat cuiuſnam viſiones hoc libro contineantur, quia Eſaiæ.
- Aperit quos hæ viſiones concernant, Quam vidit, inquit, ſuper Iuda & Hieruſalem. Etſi enim alios etiam concernant libri huius viſionis, vt Babel, Damaſcum, Tyrum, Aegyptum, &c. Propheta tamen hic miſſus eſt à Domino principaliter propter Iudam, & Hieruſalem, quo nomine Tribum Beniamin intelligit, nō propter Babylonios, Aegyptios, Syros, Tyrios, &c.
- Exprimit tempus viſionum iſtarum: In diebus, inquit, Vſiæ Iothan, &c.

Dispositio Capitis primi Esaiæ.

PARTES Cap. I.

- Exordium habet patheticum, & grauissimam indignationem continet. Vbi
  - Exclamationem habet Propheta, non ad homines, sed ad cœlos supernè, & terram infernè factam. Aduocat vniuersam hanc cœli & terræ machinam, quæ per cœlum & terram comprehendit. Quod facit per prosopopeiam propter stupendam & enormem iniquitatem populi Iudaici exprimẽdam. Causam hanc & iustissimas querelas Dei, elementis surdis & inanimatis expositurus. Hæc acclamatio locum habet, quando iniquitas aduersus Deum vsqueadeò facta est enormis, vt non sensatis modò, sed & insensatis creaturis stuporem incutere possit.
  - Causam ponit exclamationis: Quia, inquit, Dominus loquitur. Vbi grauissimam diuinæ maiestatis indignationem exprimit, vt durissima populi obstinati pectora compungeret. Ac simul innuit quem audire debeant.
- Indicit Deum loquentẽ, & causam quam habebat aduersus populũ suum proponẽtem. Profert autem grauissimam querimoniam, quæ bimembris est.
  - Exprobrat populo suo quæ contulerat in illum beneficia: vt
    - Adoptionem: Filios, inquit, educaui.
    - Educationem, qua voce curam, diligentiam, defensionem & custodiam intelligit.
    - Exaltationem, quæ comprehendit legem cultus, sacerdotium & regnum.
  - Accusat populum ingratitudinis extremæ, rebellionis & crassissimæ stupiditatis: idque per collationem, qua significat populum Israel stupidiorem esse bobus & asinis in suo genere.
- Querimoniam Dei, graui cũ dolore & vehementi exclamatione excipit. Vbi
  - Catholicam habet totius gentis Iudaicæ increpationem, ac illam suis nominibus, velut coloribus quibusdam, depingit.
  - Reddit rationem cur populum Dei tam grauiter increpet: Quia, inquit, dereliquerunt Dominum, &c.
  - Facit apostrophen ad ipsum Israelem, significans tam peruersum esse populum, vt nec beneficijs, de quibus suprà, nec virga castigationis, quãtumuis acri, ad resipiscendum permoueri potuerint. Vbi
    - Vtitur simili hominis deplorati mali, & propter malitiam propè ad mortem vsque frustra percussi. Tali homini comparat populum Israelis grauiter à Deo, sed frustra castigatum.
    - Quid sub inuolucro similitudinis voluerit: disertis verbis palam exprimit, cùm dicit, De vastatione terræ & cæde, seu internecione inhabitatorũ. Vbi filiam Sion Hierusalem intelligit. Vt verò grauitatem mali exprimat, confert excidium populi excidio Sodomæ, vt significet absumptos fuisse omnes, sicut Sodomitas, nisi Dominus reliquias illis relinquere voluisset.
- Concionem habet ad omnes, populum & Principes. Vbi
  - Excitat animos illorum vt audiant verbum Domini, & probrosa appellatione eos conuenit.
  - Subijcit verbum illud Domini & legem quam audire debeant: Quò mihi, inquit, multitudo victimarum, &c. Vbi reijcit vniuersos illorum cultus, sacrificia, ferias, preces, ieiunia, quibus se Deo suo abundè seruire & gratificari putabant.
  - Hortatur ad resipiscentiam, & bonæ suæ causæ fiduciam exprimit, cùm dicit: Venite quæso & disceptemus, &c.
  - Promittit remissionem peccatorum & prosperitatem, si resipiscant. Vtitur autem similitudine purpuræ rubræ & vermiculi, qui est color Carmasim vel Scarlath, vt significet se loqui de crudelitate cruenta, quæ innocentes opprimebant, quasi dicat: Etiam si fuerint peccata vestra, quorum plena sunt manus vestræ, vsqueadeò cruenta, vt sanguinis quoque ruborem superent, velut nix tamen alba erunt.
  - Subijcit minas vltionis si resipiscere nolint.
- Nouam quandam, & seq. Vide literam A.

A. Nouã quandam concionẽ incipit, in qua de corruptione Israelis cõqueritur. Vbi

- Admiratur quomodo fieri potuerit vt Hierusalem tam insigni corruptione deprauaretur, & à pristina puritate degeneraret. Vbi vtitur similitudine mulieris, quæ cum aliquando fuerit castitatis nomine conspicua, postea omnis pudoris oblita, mutata sit in scortum insigne.
- Per apostrophen ad Hierusalem conuersus, exprobrat ei corruptionem religionis & iusticiæ inter Principes potissimùm: idque metaphora scoriæ.
- Inducit Deum cum indignatione, minantẽ extirpaturum se reprobos, & ciuitatẽ hanc ad pristinam iusticiæ & iudicij synceritatem reducturum. Vbi
  - Præmittit exordium patheticum, in quo significat sumpturum se pœnas de hostibus suis.
  - Vertit sermonem ad ciuitatem Hierusalem, declaratq; quomodo & ad quem finem vindictam sit de inimicis sumpturus, ne hanc vnà cum reprobis, perditurus putetur. Vtitur autem similitudine fabri Argentarij qui argentum impurum igni liberat à scoria ac reliqua sorde.
- Exponit ac fusiùs explicat quæ Deus breuibus de excoctione scoriæ dixerat: declarans quæ futura sit illa excoctio scoriæ, iudicium scilicet & iusticia Dei, per quam erat Deus pœnas sumpturus de reprobis, populumq́ue suum de captiuitate redempturus.
- Ostendit quid ex concoctione scoriæ sequatur: videlicet confusio sacrificiorum. Per arbores enim intelligit lucos, in quibus Altaria erexerant, quod faciebant etiam in montibus, collibus & hortis. His illi plurimùm tribuebant, & de illis sibi omnia prospera pollicebantur.
- Duobus similibus depingit, qualis sit futura illorum confusio. Vtitur autem similibus arboris & horti, quibus illi delectabantur, & sub illis sacrificando diuinam maiestatem irritabant.
- Subijcit qualia sint futura simulachra illa, quæ colebant, & de quibus sibi omnia salua & firma promittebant, quæ hîc fortitudinem vel thesaurum vocat. Hæc enim vnà cum factoribus suis igni inextinguibili tradentur.

Dispositio Capitis 2.

PARTES Psalmi 2.

- Vaticinatur de regno Messiæ. Vbi
  - Vaticinatur de
    - Stabilitate montis Sion, id est, Ecclesiæ sub aduentum Christi.
    - Eminentia, celebritate, ac gloria montis Sion.
    - Vocatione Gentium.
    - Pace Ecclesiæ.
  - Reddit rationem vnde futurum sit vt populi ex Gentibus mutuò se adhortentur ad ascendendum ad montem Domini; id est, Ecclesiam Christi; ex eò scilicet quòd è Sion egressura sit Lex: id est, doctrina Euangelij quæ sit in doctrinam viarum Dei, & in iudicium & redargutionem omnium errorum, superstitionum, & impietatum. Hoc est quod dicit: Et iudicabit inter Gentes, &c.
  - Exhortatur populum suum ad studium veritatis diuinæ & pietatis.
- Concionatur de impietate & exterminio reproborum. Vbi
  - Causas recenset, cur Deus populum suum dereliquerit. Vbi
    - Ethnicismum & quòd pueris alienis: id est, ex alienigenum vxoribus susceptis applaudant, illis improperat.
    - Obijcit illis studium seculi, ethnicum magis quàm Israeliticum: videlicet quòd splendore auri & argenti impensiùs delectabantur, quòd opibus coaceruandis toti incumbebant, quòd robur militare, equos scilicet & currus parabant, vt aduersum hostes sese tuerentur, Domino etiam quantumuis irato.
    - Idolatriam deorum accusat.
  - Orat Deum ne hoc illis remittat, quòd spiritu prophetico facit.
  - Vaticinatur de, & seq. Vide literam A.

A. Vaticinatur de reproborum interitu. Vbi

- Per apostrophen hortatur Iudaeos, vt sese abdant in cauernis petrarum, vt significet iram Dei esse prae foribus, eamque imminere vsque adeò grauem, vt correptura sit quicquid vspiam extet.
- Vaticinatur de his quae Dominus erat in die illa facturus: videlicet quòd omnia excelsa humiliet, & idola confringat.
- Praedicat quid ipsi Iudaei tum facturi sint: conantur enim sese à facie Domini abscondere, & fugere à conspectu Dei: Proijcient idola aurea, &c.
- Per apostrophen alloquitur eos, ac monet vt abstineant ab homine, cuius flatus est in naribus ipsius, id est, desinant spem ponere in homines, quorum flatus, vnde viuunt, per nares ingreditur & egreditur, atque ita facillimo momento expirant, & additur ratio: Et enim in quo reputandus est, quasi dicat, Quid est in quo possint vos ac res vestras conseruare, cùm seipsos in vita conseruare ac res suas immotas retinere nequeant? Quid igitur est quòd tantùm illis tributis?

Dispositio Capitis 3.

PARTES Capitis 3.

- Vaticinatur de imminenti confusione & ruina ciuitatis Hierusalem & terrae Iuda. Vbi
  - Minatur reprobis fore vt omni fulcimento, omni subsidio ac robore prorsus priuentur.
  - Minatur ablationem praecipuorum virorum, quos habebant, quasi regni ac status publici fulcra quaedam.
  - Inducit Deum loquentem, significans iusto Dei iudicio fieri, vt populus haberet sensu & iudicio rerum pueros.
  - Addit de cõfusione & perturbatione populi ex defectu regiminis secutura. Vbi
    - Significat summam omnium ordinum & morum dissipationem & peruersionem, ac queritur inferiora fieri superiora, & econtrà.
    - Innuit vnde haec confusio futura sit: videlicet quòd destituantur ordinario & legitimo Magistratu, scindantur in studia, quibus quisque principatum suae conetur asserere familiae. Propterea dicit: Apprehendit quisque fratrem suum è domo patris sui: vbi vestem intelligit & vestimentum, quo Princeps à subditis discerni possit, & alias res preciosas.
    - Significat neminem etiam maximè ad principatum gerendum sollicitatum, tantùm sibi vel sapientiae vel potentiae ascribere, vt malo populi huius mederi posse putet. Propterea dicit: Non sum ligator, id est, Chirurgus, qui vulnera huic mederi queam. Non est domi panis: id est, non sum tam instructus facultatibus ad hanc prouinciam necessarijs, quàm putatis.
    - Subijcit causam cur nemo cordatus in terra Iuda Princeps esse velit, Quia corruet Hierusalem: & ruinae causam statim annectit, Eò quòd verbo, opere, & vultu etiam impietatem praeferant.
  - Habet comminationem diuinae vltionis, eamque non leuem, sed extremam: & addit rationem comminationis.
  - Promittit per antithesim iusto, bonum.
  - Perstringit Principes & Pseudoprophetas. Principes vocat exactores, molles & dominatores: Pseudoprophetas, seductores, deprauatores iusticiae & pietatis.
- Minatur primoribus populi, mulieribus delicatis & vitiis indiciũ Domini. Vbi
  - Inducit Dominum paratum ad disceptandum & iudicandum.
  - Addit contra quos veniat Dominus in iudicium: videlicet cum principibus.
  - Subijcit accusationem qua ab illo sint in iudicio accusandi.
  - Mulierũ Hierosolymitanarũ superbiam, luxum, molliciem & lasciuiam redarguit. Vbi
    - Causas vltionis diuinae ponit.
    - Vltionem Domini subijcit. Vbi minatur illis
      - Caluiciem, id est, naturalis ornamenti priuationem.
      - Nuditatem pudedorum, eò quòd hostes omnes vestes deripiant.
      - Ablationem omnium ornamentorum & venustatis.
  - Virorum fortium & bellicosorum subijcit iudicium.
  - Minatur destructionem ac desolationem ciuitatis.

Dispositio

Dispositio Capitis 4.

PARTES Capitis 4.

- Cladem supradictam virorum amplificat, significans quàm exiguus superstes sit illorum numerus, vt vix septem mulieribus vnus contingre poterit, etiamsi iniquis illum conditionibus ambiant. Hoc ad finem præcedentis capitis referendum est, vbi de ingenti virorum clade dixit.
- Vaticinatur de reliquijs ex Babylone reuersuris, quàm sint futuræ sanctæ, & illustres, & quàm singulari protectione Dei in omnibus securæ. Vbi
  - Promittit populo tempore illo restitutionis pulchritudinem, gloriam, magnificentiam, & sanctitatem. His tamen qui post expurgationem sordium & scoriæ superstites futuri essent in Hierusalem, & in librum vitæ conscripti.
  - Exprimit quo tempore futurum sit quod vaticinatur: Vbi abluerit, inquit, Dominator sordes.
  - Prmittit reliquijs populi Dei ad Sion reuersis diuinam protectionem in omnibus. Vocat autem protectionem illam nubem & ignem per metaphoram. Alludens ad historiam quæ sub Mose præcesserat, de qua Exodi 13. Hanc & Tabernaculum appellat, quo pastores vtuntur, vt contra æstum Solis per diem contra turbines ventorum & pluuias, vmbram & refugium habeant.

Dispositio capitis 5.

PARTES Capitis 5.

- Habet Canticum parabolicum de vinea Domini studiosissimè plantata & culta, & tamen sterili: ideoque ab illo deserta, & tandem hostili incursu vastata. Vbi
  - Inducit exemplum vineæ patrui sui, quem quidam Regem Amasiam intelligunt, qui quidem vineam suam singulari studio & optimo loco, deque electo germine sumptam plantauerat, & tamen nihil inde præter labruscas tulerat. Vt hac imagine vates adumbraret qualis esset populi Iudaici status peruersitas, & ingratitudo, & quid illi esset expectandum. Huiusmodi exempla solent futuras calamitates præmonendi gratia præcedere. Sicut & Christus ficui sterili maledixit, maledicendoq; visibilem ariditatẽ induxit, vt præsentem populi Iudaici sterilitatem & futuram ariditatem hac imagine Discipulis quasi spectandum proponeret. Vbi cornu significat collicolum in modum cornu incuruum ac Soli expositũ.
  - Causam suam Dominus dijudicandã proponit communi omnium iudicio.
  - Habet accusationem de qua sit iudicandum, cum dicit: Quid vltra faciendum erat, &c.
  - Subijcit qualénam iudicium competat vineæ reprobæ. Vbi
    - Minatur se ablaturum septa vineæ, quibus circumdata erat, ac cultum illius negaturum.
    - Significat qualis futura sit postquam illi gratiã custodiæ & cultus suæ ademerit.
  - Exponit breuiter mentem huius cãtici: quid
    - Sit intelligendum per vineam.
    - Per vuas intelligat: videlicet iudicium, & iustitiam Iudicum.
    - Per labruscas intelligat: videlicet conspirationem & clamorem. Conspirationem vocat, quòd Principes iudicia peruertebant, muneribus inhiabant, pupillis ac viduis non iudicabant. Clamorem vocat, quo pauperes orphani, viduæ, & alij innocentes, vel deserti vel oppressi clamabant ad Deum.
- Ponit peccatorum, & sequentia. Vide literam A.

A.

Ponit peccatorum quorũdam catalogum, vnà cum adiectis meritæ vltionis minis. Ac sic quod figuratè cecinerat de labruscis, neglectu, ac desolatione vineæ, latius explicat. Vbi

- Redargutionẽ habet. Vbi
  - Redarguit insatiabilem illam ambitionem & auaritiam diuitum, qui nullis ædibus, nullisq; agris, quã tumuis amplis, contenti erant. Vbi
    - Exponit ambitionis huius & auaritiæ studium, cùm dicit: Væ, qui coniungitis domum, &c.
    - Notat insatiabilem ambitionis cupiditatẽ, qua nullum statuebant ambitioni suæ modum & finem, cùm dicit: Donec desinat esse locus.
    - Reprehendit ambitionis iniquitatem, cùm dicitur: Vt collocemini vos soli in medio terræ.
    - Ostendit iniquum hoc studium deferri ad aures Domini.
    - Subijcit sumpturum Deum pœnas de auaris Principibus & ambitiosis: vbi minatur sterilitatem vinearum & agrorum.
  - Reprehendit studium ebrietatis & luxum conuiuiorum. Vbi
    - Exaggerat ebrietatem ab immodico studio, & damnis quæ ex ea nascebãtur, quòd videlicet inutiles reddebãtur operi Domini
    - Subijcit de cladibus, quæ populo erant euẽturæ, vt sunt captiuitas, fames, sitis, mors, humiliatio, desolatio: idq; propter ebrietatem.
  - Perstringit impios deplorato peccandi studio preditos, & vsqueadeò diuinis oraculis non credentes, vt non dubitarent prouocare etiam diuinam vltionem. Vbi
    - Reprehendit eos, quibus tantum est peccandi studium, vt ipsa natura corrupta repugnante, & præsentibus rebus obsistentibus, nullaque occasione prouocante, velut funibus ipsi peccatum ad se trahãt, & quodammodo, velut inuitum & repugnans, cogant.
    - Impietatem eorum qui vaticinia Prophetarum ridebant, ipsorum verbis exprimit.
  - Reprehendit Pseudoprophetas & Iudices, qui religionem & iudicia corrumpebant, dicentes, Malum bonum.
  - Perstringit supercilium vanæ sapientiæ omnium eorum, qui non poterant se ad obedientiam verbi Dei demittere.
  - Reprehendit viros belli, qui robore suo non ad vtilitatem populi, sed ad potandum & propinandum alijs vinum vt ad ebrietatem vsque ebibant, vtebantur.
  - Reprehendit Iudices, qui propter munera iudicia corrumpebant.
- Minatur extremum exitium reprobis: idque per similitudinem. Vbi
  - Causam excidij commemorat.
  - Minas futuræ vltionis ex præteritis plagis confirmat.
  - Admonet non cedere Deum pertinaciæ impiorum, sed vt malitiam illorum, ita iram Dei pertinacem esse. In his, inquit, omnibus non est auersa ira eius, &c.
  - Subijcit quomodo excidium populi sit futurum: videlicet
    - Euocatione gentis hostilis.
    - Expeditione illius.
    - Armatura.
    - Feritate.
    - Horrenda rerum facie.

Dispositio

Dispositio Capitis 6.

PARTES Cap. 6.

- Exponit singularem visionem Dei. Vbi
  - Explicat
    - Quid viderit: nempe Dominum, id est, Christum.
    - Quando viderit: Anno videlicet mortis Vsiæ.
    - Quali forma viderit: Vidit enim sedêtem in solio excelso, quare repræsentatur diuinæ maiestatis amplitudo, qua cunctos huius mundi Reges excellit.
  - Subijcit de Angelis ad nutum illius astantibus & paratis. Vbi
    - Quam formam viderit in Seraphin, Angelicis scilicet spiritibus, paucis exprimit.
    - Doxologiam Angelicam ponit, cuius duo sunt membra:
      - Ineffabilem Dei sanctitatem prædicant, quo perfidos reprehendant, qui deserto Domino, dijs falsis adhærebant.
      - Celebrant gloriâ illius in omnem terram effusam.
    - Duo post canticum Angelorum euenisse dicit: vnum, mota esse superluminaria cardinum, quod destructionem Templi significabat: alterum, Templum factum esse plenum fumo: quod Templi exustionem minabatur.
- Explicat quomodo fuerit hac visione Domini, Angelorum clamore, superliminarium motione, & fumo Templi affectus, impuritatem suam confessus, & ab illa repurgatus. Vbi
  - Causas timoris ponit. Nam triplici respectu exitium metuebat, suiipsius, populi, & præsentis visionis.
  - Commemorat quid factum sit, Propheta postquam suam confessus est immundiciem. Volauit enim ad eum Angelus, & expiauit illius impuritatem. Vbi generaliter Angelus, ministrum: carbo ignitus, donum Spiritus sancti: oratio Angeli, verbum reconciliationis signo additum significat.
- Commemorat quomodo missus sit à Domino ad populũ rebellem, & quid mandati ab illo acceperit: Sũt autem hic
  - Electio Prophetæ ad populum rebellem: Quam mittam, inquit?
  - Missio prophetica & mandatum adiectum Prophetæ obeundum. Vbi significat Dominus, quàm nihil Propheta apud obstinatos efficiat aliud, quàm vt corda eorum incrasset, aures aggrauet, oculos oblinet. Atque hic pulchrè exprimitur ordo obtinendæ salutis. Requiritur enim primùm vt habeamus aures ad audiendum, oculos ad videndum: secundò, vt audita & visa corde intilligantur, intellectus verò cordis fides est: tertiò, requiritur conuersio ad Dominum, quam sequitur curatio, quæ fit per remissionem peccatorum & liberationem è seruitute peccati.
  - Mandati declaratio. Vbi
    - Contristatus Propheta, quòd intelligeret se nihil effecturum aliud, quàm vt populum hunc magis adhuc induraret, quem alioqui plus satis obstinatum esse videat, non sine dolore percontatur, quousque duratura sit hæc populi rebellis obstinatio.
    - Inducitur Dominus ad quæstionem respondens, obstinationem hanc & excæcationem populi rebellis, tamdiu durare, donec sublatis reprobis & terra vastata, qui reliqui erunt resipiscant & conuertantur. Hic erat respectus electorum, quorum salutem spectabat Dominus. Reproborum verò terminus erat exitium, quando pœnitere nesciebant.

Dispositio Capitis 7.

PARTES Capitis 7.

- Describit bellum & conatũ Regũ Syriæ & Israelis cõtra Achaz Regẽ Iuda & Hierusalem, quam tum expugnare nequierint. Vbi describitur
  - Expeditio & conatus Regum duorum.
  - Nuncium expeditionis ad Achaz & domum Dauidis.
  - Metus Regis Achaz & populi.
  - Per quem steterit quominus duo isti Reges Hierusalem expugnare potuerint. Vbi exponit
    - Quem nuncium Dominus ad Regem perterrefactum miserit vt consolationem acciperet: nempe Esaiam cum filio. Vxorem ergo habuit Propheta.
    - Locum quousq; Regi occurrere debeat.
    - Mandatum Dei ad Esaiã, quod Regi Achaz dicere debeat. Vbi
      - Consolatio Regis ponitur.
      - Rationes exponit, quibus doceat haud esse futurum quod Rex timebat, & quare nõ sit futurum: videlicet quòd non ita sit à Domino constitutum, vt caput Hierusalẽ sit Rezin vel Peka. Nam Syriæ metropolin constituit Damascum, & Damasci caput Rezin. Ita & caput Ephraim constituit Samariam, & Samariæ caput filium Romeliæ.
      - Vaticinatur de futura decem Tribuum captiuitate, qua sic abducendæ erant in Assyriam, vt in posterũ nullum essent habituræ liberi populi statum.
      - Prædicit incredulitatem eorum causam esse desolationis futuram.
      - Iubet Regem petere signum, siue ex his quæ infrà sunt apud nos, siue ex his quæ suprà sunt in cœlis, vt eo signo cõfirmatus credat quod à Domino illi nunciatur.
      - Subijcit incredulitatem, inobedientiamq; Regis, cum adiecta causa.
- Conuertitur Propheta à Rege incredulo ad ipsam Dauid domum. Vbi
  - Exprobrat illis insignem hanc contumeliam, qua Deum, spiritui ipsius resistendo, afficiebant.
  - Exponit illis signum, quod vltrò à Domino etiam non petitum, ad cõsolationem piorum erat destinatum: quo conspicuum sit Dominum non deserere populum suum. Vbi
    - Exponitur in typo filij Regis vel Prophetæ seruatoris nostri
      - Conceptio.
      - Natiuitas.
      - Cibus & educatio.
      - Nomen.
      - Pueritia.
      - Incrementa corporis & intelligentiæ.
    - Vaticinatur terrã illã, Syriæ scilicet & Ephraim, quam Achaz detestabatur, deserendã esse à duobus istis Regibus per hostes suos sublatis, ac simul innuit, quãdo deserenda sit terra illa à Regibus: videlicet cùm adhuc puer ille cibo puerili vescatur, ac sensu puerili vtatur.
- Expeditionẽ Assyriorũ cõtra regnum Iuda describit, ne sublatis istis duobus Regibus securitatẽ sibi polliceãtur, si non resipiscãt. Vbi
  - Exaggerat calamitatem futuram.
  - Vaticinatur de multitudine hostium qui terram Iuda occupaturi erant, vbi per muscam conglobatam hostium multitudinem, quæ erat de confinibus Aegpti, Per apes Assyrios intelligit.
  - Vaticinatur de obedientia hostium, quòd videlicet sibilanti sibi Domino obediant & occupent omnia, non modo celebriora & habitata loca, sed & dserta ac latebras, ne quod maneat latibulum, quo miseri confugiant.
  - Subijcit opus ipsum quod per hostes hos erat facturus Dominus, videlicet omnimodum omnium ordinum & fortunarum expoliationem. Id enim per rasuram intelligit: per nouaculam verò Regem Assyrium. Exponit autem qui rasurus sit Dominus per hostes: videlicet crines capitis & pedum: id est, præcipuorum ordinum homines, Principes, Iudices & robustos, velut sustentacula populi: deinde barbam: id est, sapientes, consiliarios, ac seniores.
  - Vaticinatur de desolatione terræ, quam illa esset faciem habitura post acceptam cladem, & vnde victuri essent, qui futuri erant in illa reliqui.

Dispositio Capitis 8.

PARTES Cap.8.

- Prædicit, seu repetit subuersionem duorum regnorũ Syriæ & Samariæ. Vbi
  - Inducit Deum noua visione sese alloquentem. Vbi exponitur
    - Mandatum quo explicatur
      - Quid scribere debeat: videlicet, Accelera ad spoliandum,&c.quibus verbis Regem Assyrium è sedibus suis euocabit.
      - Quomodo scribat: Id explicat, cùm dicit, Stylo hominis, stylo vulgari & consueto, & literis vsitatis, quæ legi possent ab omnibus.
      - In quo scribat: videlicet in tabula grandi.
    - Quos testes sibi Propheta adhibuerit, quibus visionem Dei exponeret, vt fidem oraculi confirmaret in futurum.
  - Subijcit eiusdem argumenti oraculum, vbi exponit accessum suum ad vxorem, quam hîc Prophetissam vocat, propter partum, prophetiæ nomine, insignem & singularem. Exponit item conceptum, partum, & nomen filij, quod futuram calamitatem Syriæ & Samariæ portendat, sicut & Dominus exponit.
- Vaticinatur de vastatione Israelis & Iuda. Vbi
  - Exprimitur peccatum, quo patientiam Dei populus Dei aduersum se irritabat. Erant alienorum deorum cultores, veri Dei desertores, iudicij & iustitiæ contemptores,&c. Peccatum hoc partim parabolica, partim propria locutione exprimit. Per aquas Siloah cum silentio fluentes, humilem & obscurum statum regni Sionis intelligit, respectu scilicet regnorum Syriæ & Samariæ.
  - Vltionem subijcit, præmisso peccato, ac quod parabolicè primùm dicit, statim exponit clariùs.
  - Innuit Regem Assyrium non solùm Israelis terram occupaturum, sed & in Iudam copias suas adducturum.
  - Indicat quousque peruentura sit in Iudam ista Assyriaci fluminis inundatio. Vbi populum Iuda comparat homini, quem aquæ ad collum vsque occupent.
  - Multitudinem copiarum & amplitudinem potentiæ Regis Assyrij per metaphoram maximè volucris exprimit, quæ tam sit vasto corpore, & alis amplis & latis vt quamuis prædam extensione alarum corripiat & occupet. Immanuel filiũ Achaz intelligunt multi quem hîc alloquitur.
- Subijcit consolationem piorum, ac docet non successura per omnia ex voto consilia hostium: propterea quòd sit adhuc cum populo suo Deus. Hîc verò per irrisoriam apostrophen insultat hostibus populi Iuda, qui toti in hoc erant, vt populum Iuda prorsus contererent. Adijcitur & ethiologia irrisionis, quia scilicet nobiscum est Deus.
- Subiungitur admonitio de spe & fiducia in Dominũ collocanda, & de vitandis Hariolis ac Magis, Domino verò solo quærendo. Vbi
  - Declarat vnde eam sumpserit fiduciam, quòd conatus hostium irriserit, irritósque futuros magna securitate prædixit, quia ex verbo Dei.
  - Adducit Propheta institutionem Dei: videlicet ne iret in viam populi rebellis, id est, ne communicaret cum populi huius impietate, néue quæreret auxilium à brachio carnis, sed à protectione cœlesti, ac Dominum una cum Discipulis suis sanctificaret.
  - Exponit quid pijs & impijs euenturum sit, quamque sint perinde diuersa sorte vsuri, atque diuersimodè in causa religionis gerant. Vbi metaphorica oratione significat Dominum pijs sanctuarium esse in quo seruentur, & lapidem in quo firmiter stent pij: impij verò impingant, ruant,& conterantur: suopte videlicet vitio, peruertentes sibijpsi gratiam diuinæ præsentiæ & protectionis in perditionem & exitium, dum illam perfidia sua contemnunt, irritant, & exacerbant.
  - Speciale mandatum Dei ad Prophetam factum exponitur, quo iubetur Propheta doctrinam hanc & institutionem præmissam diligenter custodire, ad quam ipse & populus fidelis respicere debeat,& ad cuius normam fidem & obseruantiam Deo præstet.
  - Redit ad seipsum, ac animi ac puerorum suorum fiduciam exprimit, qua credebat Deum opem ferre suis fidelibus.
  - Facit apostrophen ad pios. Instruit autem eos quomodo respondeant impio populo, qui consilium in rebus aduersis quærebat à Pythonicis & diuinatoribus, & quouis ad id impietatis adducebant. Vbi docet ad Deum in omnibus aduersis confugiendum esse, & ad verbum eius,& refutat stultitiam impij populi, qui consilium non á Deo, sed à Pythonicis quærebat.
  - Exponit quid futurum illis sit, qui non ad Deum, sed Pythonicos in aduersis confugiunt: videlicet induratio, fames, ira & exacerbatio, qua maledicũt Regi ac dijs alienis, quos in gratiam Regis sui coluerãt. Item consternatio, anxietas,&c.

Dispositio Capitis 9.

PARTES Cap. 9.

- Docet ex preteritis malis futura cauere, & adducit exemplum duarũ Tribuum cum dimidia Manasse.
- Inserit consolationem piorũ de futuro auxilio Dei. Vbi
  - Ostendit Deum non deserere populũ suum, sed in tenebris versantem luce sua visitaturum. Vbi per tenebras & vmbram mortis obsidionem significat ciuitatis Hierusalem, quæ futura erat per Sennacherib Regem Assyrium. Per lucem verò, illustrissimam eam liberationem, qua Hierusalem, Angelo cœlitùs misso, de manu erat obsidentium se, liberanda. Vide 2. Reg. 19.
  - Pollicetur tale gaudium, cui simile non præcesserit ab eo tempore, quo populus ille cœpit à Domino multiplicari. Multiplicauit quidem Dominus populum suum, secundùm quod Abrahæ promiserat. Verùm nec ea illum multiplicatio, nec cuiusuis generis beneficentia tanto gaudio affecit, quanto erat liberatio per Angelum affectura. Hic verò per apostrophen sermonem conuertit ad Dominum: facit enim hoc ad lætitiæ huius amplificationem.
  - Magnitudinem gaudij exprimit duobus similibus: primum est de gaudio metentium: alterum de lætitia victorum.
  - Declarat vnde futura sit populo huic tam insignis victoria: Ex eo enim, quòd Dominus iugum oneris confringat. Metaphora iugi, oneris & virgæ exactricis notat tyrannidem Assyriorum, quo populum Domini suo nitebantur subijcere imperio.
  - Addit qualis futura sit clades hostium, qui Hierosolymam expugnare conabantur.
  - Subijcit rationem eorum quę dixit, eãque talem, quę & singularis erat, & iam ex diuinis promissis nõ ignota fidelibus. Vbi
    - Ostendit liberaturũ Dominum ciuitatem Hierusalem, quod sit memor iuramenti sui, quo iurauit Dauid seruo suo, fore vt semen ipsius regnet in domo Iacob in æternum. Semen hoc suo tempore dandum erat, cuius respectu noluit Dominus vt regnum Dauidis tolleretur è medio. Hic verò humanitatis simul & diuinitatis Christi mysterium ponitur.
    - Exponit cur datus sit nobis Christus: idque ad consolationem fidelium. Datus enim est vt sit Princeps ac Dominus noster.
    - Subijcit qualis sit Princeps: idque ex nominibus eius, non ex officio & placito impositis, sed quibus dona Dei singulariter concessa & euidenter declarata exprimuntur.
    - Tribuit principatui Christi multiplicationem, pacem perpetuam, & indesinentem perpetuitatem,
    - Exprimit vnde sit nasciturus, & vbi, quomodo, & quãdiu regnaturus.
    - Vt vaticinio suo fidẽ conciliet, subijcit, De zelo Domini. Zelo enim ad vindicandum populum suum ardens, certò facturus erat quod hic à Vate prædicitur.
- Vaticinatur de vltione diuina, qua decẽ Tribus Israelis iterum atque iterum erant, propter impœnitentiã suam, puniendæ. Vbi
  - Significat Dominum misisse verbum ad Israelem per Prophetas suos, quo sententiam iudicij, seu interitus illius denunciabat, nisi resipiscerent. Et hoc verbum palam esse in Israele promulgatum, vt sit in illo instar seminis in terram iacti, ac suo tempore in lucem prodituri maturitatemque suam consecuturi.
  - Causam exprimit, quare populus ille verbũ Domini ad se missum recipere noluerit, & vnde potissimũ irã Dei cõtra se prouocauerit, vbi & superbas illorũ voces exprimit.
  - Significat inanem prorsus esse illorum fiduciam, qua à Rege Syriæ pendebant, quod breui futurum sit, vt ille à potentiori victus occumbat: ideoque seipsum seruare nequeat, nedum alios, imò & Syros post Rezin interfectum & Philistin, qui Israeli cõfœderati erant, vnà cum Assyrijs, Israelem oppressuros esse significat.
  - Subijcit potentiam, multitudinem & immanitatem hostium, & cladem maximam Israelis, cùm dicit: Et deuorabunt eum, &c.
  - Significat usq; adeò læsam & irritatam esse patientiam Domini, vt manum vltricem aduersus Israelem extentam non sit reuocaturus, donec illum prorsus exterminet.
  - Exprimit obstinationem Israelitarum, quæ omnino certum erat illis allatura exitium.
  - Minatur Propheta exterminationẽ Senum, Pseudoprophetarum & Iuuentutis electæ de medio Israelis, imò tantam iræ Dei vehementiam, vt nec pupillorum sit, nec viduarum misertturus. Vbi comparat Israelem, non sine morsu, bestiæ caudatæ propter morum illius peruersitatem. Quid verò per caput & caudam intelligat, sequẽti versu aperit.
  - Exaggerat per ethiologiam impietatem populi, quatenus illa inualuerit, & creuerit in immensum: idque similitudine ignis exprimit. Vbi
    - Perstringit tyrannidem Principum & potentum, qua populus premebatur, & facultates eius quasi quibusdam flammis absumebantur.
    - Perstringit populi feritatem, rapacitatem, auaritiam inexplebilem.
    - Proponit exemplum de Tribu Manasse & Ephraim, quæ etsi cognatæ fuerint Tribus, tamen se propter regiam dignitatem vorabant.

Dispositio

Dispositio Capitis 10.

PARTES Cap 10.

- Minatur Propheta diuinā vltionem iniquis Iudicibus & Principibus, id quod ad calcem præcedentis Capitis referri potest. Vbi
  - Tribuit legibus illorum iniquitatem & molestiam, quod sequenti versu exponit.
  - Facit apostrophen ad ipsos Iudices iniquos, qua non simpliciter de futuro illorum interitu vaticinatur, sed & cum admiratione percōtatur quidnam facturi sint, vbi tempus illius aduenerit. Vbi sortem illorum exprimit.
  - Significat ne sic quidem fore finem malorum, etiam si alij occisi, alij in captiuitatem adducti fuerint.
- Inducit Deum ipsum loquentem ad Assyrium Regem, & euocantem, vt populum suum Israelem exercitibus suis vastandum, spoliandum, ac proculcandum daret. Vbi per metaphoram virgæ & baculi organum vltionis ac iudicij sui intelligit: nempe Regem Assyrium.
- Inuehitur in susuperbiam Regis Assyriorum. Vbi
  - Significat Regem Assur nec intellectu, nec affectu sese ad propositū Dei confirmasse, sed longe aliud spectasse: quia non ad castigandum populum Israelis, sed ad extirpandum animatus erat: & non Israelem modò, sed & reliquas gentes excindere cogitabat.
  - Reprehendit per ethiologiā superbiā cordis illius. Vbi inducit illū suas glorias suis ipsius verbis iactanter spirantem, quibus
    - Iactat potentiam suam, quòd Principes habeat potentes potentia & gloria similes Regibus, & ꝙ inde à sede sua Hierusalem vsque omnia intermedia regna absque negotio cœperit. Vbi ex ordine sex ciuitates regias recenset à se & maioribus suis deuictas.
    - Minatur ex præcedentibus victoriarum successibus superbi cordis sui præsumptionem aduersus ciuitatem Hierusalem. Vtitur autem collatione regnorum quæ cœperat, ad fortunas regni Iudaici, vires illorum supra huius imbecillitatem extollens.
  - Minatur futuram vltionem impio Regi Assur.
  - Exprimit quando, & super qua re sit vindictam de illo sumpturus Dominus. Vbi fructum superbiæ Regis vocat blasphemum contemptum Dei, & iactantiam arrogantem, qua sibi, non Domino, adscribebat omnia. Id quod sequenti versu explicat: idq; Regis ipsius impij verbis.
  - Subiungit quàm sit Regis arrogantia absurda, ac diuina vltione punienda. Absurditatem perstringit verbis figuratis, ac talibus, quæ reddant illam omnibus conspicuam. Vbi opponit inter se operantem visibilem, de cuius facultate & sapientia constat, & organum, nullo præditum sensu, nedum sapientiꝫ & potentiæ facultate. Hoc pulchrè ad Deum, opus eius & Regem adaptari poterit. Hic Dominū Deum vocat Lucem & Sanctum Israelis. Per spinas verò & vepres, Præsides in exercitu Assyriaco, qui populos affligebant. Per arbores verò eos intelligit, qui de exercitu Assyriorum post plagam illius superstites remanserant.
  - Quales futuri essent, qui post cæsum & profligatum Assyrium in Israele superstites erant remansuri, exprimit: videlicet quòd reuersuri essent ex animo ad Dominum. Vbi non semel inculcat reuersionem reliquiarum, quia ea res magni erat momēti. & tum videbatur incredibilis. Conuertit autē hic sermonem ad populum Israelis. Consummationem concisam vocat eos, qui ex multitudine Israelis, postea in paucas reliquias redacti superstites fuerunt.
  - Consolatur habitatores Sionis, & præmonet ne sibi timeant à conatibus Assyriorum. Vbi & causas præmonitionis recenset. Quia
    - Deus non occidet prorsus Iudam, etiamsi virgā suā & baculo percutiat, sicut solent pueri castigari virgis.
    - In proximo sit malorum finis.
    - Deus perdet hostes Sionis. vbi & qualitatem vltionis exprimit mentione Midianitarum & Petræ Oreb. de quo Iudic. 7.
    - Liberabuntur reliquiæ montis Sion.
  - Recenset iter Assyrij, quo magna cum festinatione Hierosolymam versus, cùm ex AEgypto confusus reuerteretur, contendit, & memorat quatuordecim ex ordine ciuitates, quas Rex impius oppugnârat.
  - Minatur Regi Assyrio diuinam vltionem. Vbi per ramos primores, exercitus. Per cōdensa syluæ, vel vepreta, tyrannos intelligit.

Dispositio Capitis 11.

PARTES Cap. 11.

- Celebrat gloriam Christi ad cōsolationē fideliũ, ne illi de promisso Messia ex semine Dauid nasciturо dubitarent, ac populum Dei prorsus extingui putarent. Vbi vaticinatur de
  - Exortu illius, secundùm carnem. Vbi
    - Per metaphoram arboris truncatæ, id est, non folijs tantùm, sed & ramis priuatæ, de cuius reparatione nulla sit ampliùs spes, præmonet qualis sit futurus status regni & populi Dauidici, quo tèmpore nasciturus erat Christus.
    - Christum velut surculum ex caudice egressurum prædicat, per quem regni huius gloria multò reddatur amplior, quàm fuit antea vnquam.
  - Dotibus illius regno spirituali conuenientibus: vt sunt sapientia, intelligentia, consilium, fortitudo, scientia, timor Domini.
  - Regni Christi administratione, quam verbis indicandi & arguēdi complectitur. Vbi
    - Discernit iudicium Christi à iudicio Mundi. Mundus iudicat ex aliorum relatu, causæ cognitionem non habēs aliam, quàm ex visis & auditis aliorum, qualitercunque acquisitam. Hic noster Rex Christus aliter iudicabit: quia sagax erit, & intelligens omnium ex Spiritu Domini. Hic verò virgam oris, & spiritum labiorum eius, vocat Euangelium & verbum regni Christi.
    - Vaticinatur de Christi solertia, in obeundis regni Dei negotijs, ac tribuit illi cincturam, seu industriam spiritualem, pro qualitate obeundæ dispensationis. Vbi iusticia accipitur pro gratia iustificante, qua veluti cinctus est ad iustificandum in se credentes. Fides verò est, qua fidelis est, & Rex, & Pontifex, salutem in se credentium fideliter procurans.
  - Futura in regno Christi summa animorum antea inter se dissidentissimorum concordia & pace, ex spiritu regiminis Christi nata. Hanc per allegoriam diuersissimarum bestiarum considerandam proponit, vt concordia planè admirabilis videatur. Per bestias, feroces homines impios, maliciosos & truculentos intelligit, sicut postea exponit Vates.
  - Vocatione & accessione gentium ad Christum. Vbi Christum in signum vniuersale, seu castrēse ponendum esse prædicit, ad quod omnes electi confluant, vt insint bello, quod nostri gratiā aduersus peccatum, mortem, & portas inferorum suscepit. Per gloriam verò intelligit hic victoriam gloriosam, ex morte & resurrectione Christi profectam.
- De reliquijs Israelis vndiquaq; ad Christum recolligendis vaticinatur. Vbi
  - De collectione Israelis disserit.
  - Futurum prædicit tempore Christi, vt dissidium illud, quod zelum vocat, per spiritum concordiæ auferatur.
  - Prædicit Iudam & Ephraim spiritu concordiæ coniunctos, superiores futuros hostibus exteris, à quibus iam vndique diuexantur, & premuntur.
  - Adducit exemplum diuisi & exsiccati maris rubri, per quod Dominus populum suum ex Aegypto per Mosen liberatum traduxit, vt exemplo hoc pristino & notissimo fidem faciat isti vaticinio.

Dispositio Capitis 12.

PARTES Cap. 12.

- Præscribit canticum reliquijs electionis ex Israele, quo tēpore restitutionis suæ Dominum Deum suum ex animo laudent, & deprædicent. Vbi
  - Voto laudis subiungitur deprecatio accepti beneficij. Hoc enim est laudare Deum, acceptum ab illo prædicare beneficium.
  - Subijcitur fiducia populi.
  - Conceptæ fiduciæ ratio subiungitur.
- Vaticinatur de abundanti gratiarum ac consolationum copia, quæ est fidelibus omnibus in Christo Seruatore per omnem hanc viam parata. Atq; hic Ecclesiam fidelium ex Israele tempore Christi futurā alloquitur, & illam nō solùm redemptionis, sed hoc quoq; nomine fœlicē iudicat, φ salutis & consolationē in Christo, paratos esset habitura fōtes, quos in Lege Mosis & cultibus illius reperire nequibat.
- Vaticinatur de zelo fidelium, ac feruenti studio ad celebrandā propagandamq; nominis ac regni Christi gloriam.
- Iterum reliquias Israelis ad Dominum cōuersas alloquitur: præcipuè eas, quæ in Sion, inter ipsa primordia regni Christi erant futuræ, ac eas ad iubilandum & cantandum Domino adhortatur.

Dispositio

Dispositio Capitis 13.

De excidio & interitu Babylonis. Vbi

- Titulum præmittit, quo calamitatem futuram Babyloniorum designat, & eam vocat onus.
- Inducit Deum loquentem, & mandantem vt hostes Babylonios signum contra eum leuent, & vt Duces exercituum voces suas ad expugnandam eam ad milites extollant, & quosuis inclamando vrgeant. Vbi Montem eleuatum vocat Babyloniorum ciuitatem, potentia & gloria seculi eleuatam & superbam.
- Significat Deum præcepisse sanctificatis suis: id est, Medis & Persis, vt opus Domini perficiant contra Babylonios.
- Innuit eos, quos Dominus ad exeutionem iræ & magnificentiæ suæ excitauit, iam esse in procinctu. Et vt hoc non leuiter, sed emphaticè pro suo more ad rei certitudinem exprimat, vtitur hypotyposi, qua sonitus, fremitus, strepitus ac multitudinis, dispositionisque exercitus & aduentus, velut imaginem quandam visendam proponit.
- Apostrophen facit ad Babylonios, & quid illis faciendum sit, admonet: Tristandum enim & vlulandum esset, atque huius rei rationem assignat.
- Prædicit fore, vt prorsus reddantur imbelles aduersum hostes, amissa & manuum dexteritate & cordium fortitudine, audacia & cohortatione mutua ad resistendum hosti.
- Vltionis grauitatem exprimit, vbi Deo sæuitiam, indignationem, & æstum iræ tribuit.
- Deum ipsum loquentem, & ea quæ præmissa sunt declarantem & confirmantem, introducit. Vbi grauitatem vltionis repetit, & stragem incolarum Babylonis. Ac significat neminem futurum esse, qui vitam suam pretio quolibet magno redimere possit.
- Hyperbolica locutione de commotione cœli & terræ, & similitudine capræ & ouis, significat omnium maximam calamitatem. Id quod perspicuis etiam verbis declarat.
- Aperit Dominus per quos sit tam grauem vltionem de Babylonijs sumpturus. Vbi innuit quàm sint futuri crudeles hostes Babylonis.
- Vaticinatur de vrbis Babyloniorum vastatione & desolatione irreparabili.

Dispositio Capitis 14.

PARTES Capit. 14.

- Canit de restitutione Israelis: vbi & de gentium vocatione & populi Israelis gloria vaticinatur.
- Præscribit canticum liberatis ex Israele aduersus Regem Babel cantandum. Vbi
  - Exprobrat extincto Tyranno exactionis iniquitatem ac simulat se mirari, quomodo tam potens ac formidabilis Rex exactor esse desierit.
  - Significat hanc tyrannidem Regis, non nisi manu Dei repressam esse.
  - Viuorum ac mortuorum statum inducit, & quomodo superi & inferi ad excidium illius afficiendi sint, prædicit. Superi enim eo extincto lætantur: non homines tantùm, sed & arbores. Quod quidem ad exuberantiam gaudij facit, quòd sensum illius tribuit, non modò animatis, sed inanimatis. Inferi verò turbabantur. Erat enim Tyrannus hic terror superorum, pariter & inferorum. Hac illusione tyrannidem Regis exprimit, cum inferis etiam, nedum superis illum formidabilem fingit.
  - Exprobrat Babylonio immodicam superbiam, magnificentiam, delitias etiam ac luxum, quæ tandem omnia veluti pondere suo prolapsa, quò sublimiora fuerunt, hoc altiùs ad ipsos, videlicet inferos vsque, corruerunt.
  - Significat sepulturam Regis Babel longè & ad stuporem vsque fore inferiorem & abiectiorem, quam quæ nimiæ eius potentiæ, gloriæ & arrogantiæ sit responsura. Nam videntes sepulturam eius, mortuo exprobrant immanem tyrannidem, vim iniustam & crudelem violentiam. Ac hic vtuntur collatione: Alij Reges domi sepulti iacent cum gloria, tu omnium infimus, non modò non domi tuæ & sine gloria, sed ne sepultus quidem es. Id verò similitudinibus quibusdam declarat.
  - Prædicit Propheta fore, vt Rex iste haudquaquam cum alijs sepeliatur: & addit rationem.
  - Minatur omnimodam Regi, non honoris tantum, sed & seminis exterminationem. Vbi inducit Dominum mandantem ministris suis, Medis & Persis, vt impij Regis posteritatem delerent: & addit rationem.
  - Vaticinatur de vrbis Babel vastatione.
- Vaticinatur contra, & seq. Vide literam A.

A

- Vaticinatur contra Assur: ac certitudinem vaticinij super Assur iuramento Dei constare significat, vt innuat illud firmum & indissolubile futurum.
- Vaticinatur cōtra Philistæos, quibus vltionē Domini minatur. Vbi
  - Alloquitur vniuersam Philistæam, ac illi lætitiam prohibet, eò quòd breui diuina vltio consequatur. Vbi per percutientem & serpentem, Vsiam intelligit. Per virgam confractā, Achaz. Per Regulum, Basiliscum & Presterem volantem, Ezechiam.
  - Exponit quibus futurus sit Ezechias Basiliscus: non suis scilicet, quorum pastor erit & protector: sed hostibus, quibus mors, & velut pestis erit.
  - Vocat eos ad eiulatum & clamorem, quasi in propinquo sit ipsorum perditio. Portam vocat primores, qui in portis iudicia exercere solebant. Ciuitatem, reliquos incolas.
  - Rationem reddit, cur eiulare debeant: Quia veniet, inquit, fumus. Fumum vocat exercitum Regis Ezechiæ, ab aquilone venientem.
  - Subiectione vtitur, qua significat quemlibet nuncium à bello Philistinorum reuersum, si a suis interrogetur, respondere, Quòd Dominus fundauerit Sionem: id est, Deum esse cum Iraelitis.

Dispositio Capitis 15.

Prophetat de vastatione terræ Moab. Vbi

- Perstringit superbiam illam Moab, qua populum Domini, ac Dominum indesinenter blasphemabat, irridebat, ac subsannabat: ac futurum prædicit, vt hæc insolentia illius compescatur, ac tum maximè, cùm ciuitates illius, in quibus confidit Ar & Kir in manus hostium, idq; nocte intempesta, tradentur.
- Vaticinatur de fletu & eiulatu Moab propter vastatas ciuitates. Vbi non solùm plebios, sed & armatos, & viros belli vociferaturos, ac ploraturos esse significat. Deinde & gestum vehementer lugentium exprimit, cùm dicit: in cunctis illius capitibus caluitium.
- Vaticinatur de maxima strage & vastatione Moabitarum, quam pluribus amplificat.

Dispositio Capitis 16.

PARTES Cap. 16.

- Conatur Moabitas ad sanā mentem fideli adhortatione inducere. Vbi
  - Hortatur eos, vt Deum verum agnoscant, illiq; sacrificia procurent. Vbi Petram deserti vocat regionem, in qua potissimùm pecora Moabitarum alebantur.
  - Subijcit periculum, quod præcauere debebat Moab. Nisi enim Deo se subijciat, filiæ Moab profugæ, ac sedibus pulsæ, similes erunt auiculis nido suo eiectis. Arnon autem fluuius est, qui regionem Moab terminat.
  - Hortatur vt subsidium ferat profugis è populo Dei. Per consilium autem & iudicium intelligit subsidium & protectionem afflictorum. Vbi comparat irruptionem Assyriaci exercitus ardori meridionali: subsidium verò, vmbræ.
  - Subijcit adhortationi rationem, quòd hæc calamitas populi Dei non sit perpetua, & firmetur solium regni Dauidici.
- Continuat præcedentis capitis vaticinium contra Moab. Vbi
  - Causam futuræ vastationis exprimit, & hanc reijcit in superbiam insignem, iactatricem pariter, & minacem.
  - Prædicit calamitatem vniuersalem Moabitarum.
  - Prædicit fore, vt vulnerati, claudi & capti meditentur: id est, voce non clara mussitantes & ingemiscentes defleant Kirhereseth fundamenta ab hostibus diruta.
  - Vaticinatur de vastatione agrorum, vitium, arborum, &c. propter quod cesset gaudium populi.
  - Significat tantam fore calamitatem Moabitarum, vt sit illis ex intimis suis sensibus compassurus, quod & præcedenti capite fecit, cùm dixit: Cor meum ad Moab. &c.
  - Ostendit tempore calamitatis manifestum fieri, frustra coluisse Moab Deum suum Chamos, frustra fuisse operoso illius cultu fatigatum, frustra excelsa illius frequentasse.
  - Vaticinatur Propheta de calamitate Moabitarum, non ea quæ futura erat per Babylonios, de qua hactenus vaticinatus est, sed quæ futura esset per Assyrios.

Dispositio Capitis 17.

PARTES Capit. 17. Vaticinatur.

- Contra Damascum. Vbi Damasco ac toti regioni Syriæ desertionem tantam minatur, vt ciuitates illius futuræ fuerint in pascua & stabula gregum. de hoc vide 2.Reg.16. Hic autem Israelitas etiam inuoluit, quatenus vastatio Damasci in malum erat illis erat cessura.
- Aduersus decem Tribus Israel. Vbi
  - Vaticinatur de illorum attenuatione & diminutione, quam hic clariùs duobus similibus explicat.
  - Prædicit futurum, vt tandem spretis lucis, aris & simulachris, respiciant Israelitæ ad factorem suum.
  - Minatur ciuitatum desolationem, quod similitudinibus explicat.
  - Addit rationem desolationis.
  - Significat pro ratione seminationis messem futuram: Et quia seminauit impietatem copiosè & diligenter, copiosè metet calamitatem.
- Contra exercitũ Assyriorum. Vbi
  - Propheta quasi stupet ad immensam hostium multitudinem, & horribilem strepitum: ideoque exclamatione vtitur.
  - Vaticinatur de vltione diuina super Assyrios.
  - Exprimit subitam & improuisam cladem Assyriorum. de qua 2.Reg.19.

Dispositio Capitis 18.

PARTES Capit. 18.

- Habet minas aduersus gentẽ vltra flumina Aethiopiæ sitam, ad sinum Arabicum habitantem. Vbi
  - Minatur terræ, seu genti huic exitium. Vocat enim Aethiopium terram vmbratilium alarum, propter multitudinem nauigiorum, quæ ad illam negociationis gratiã veniebant. Per alas enim vmbratiles, intelligit vela nauium, quæ id sunt nauibus, quod alæ volucribus. Per flumen, Nilum quidam intelligunt.
  - Exponit quid gens hæc tempore calamitatis faciat: quod scilicet mittat legatos suos ad populum confractum, & conculcandum magis: quem populum Israelis intelligunt multi, qui reuera tum fuerit gens distracta miserabiliter, & expilata, & horribilis, propter singularem vastitatem, & iram Dei, qua subinde puniebatur. Flumina autem, irruptiones hostium, quibus terra hæc Israel subinde diripiebatur, intelligit.
  - Per apostrophen alloquitur Aethiopas, significans eos nihil huius credere & expectare, quod ad ipsos vaticinatur, donec re ipsa viderint signa hostium in montibus erecta, & clangorem tubarum audiant.
  - Vaticinio suo oraculum ad se factum immiscet, quo fidem illi faciat apud pios, pollicetur autem hic monti Sion Dominus, quem hic habitaculum Dei vocat, protectionem contra pluuiam, & ardorem hostilium incursionum.
  - Minatur conculcationem & vastationem Aethiopiæ, & vtitur metaphora, qua Aethiopiam vineæ vuas acerbas proferenti, Deum verò vinitori, non modò acerbas vuas, sed & palmites & propagines abscindenti, comparat.
  - Significat tantam fore occisorum multitudinem, vt omnibus eius terræ volucribus & bestijs toto anno sufficiant ad cibum.
- Vaticinatur de donis ex ea gẽte ad montem Sion mittendis. Vbi
  - Prædicit Vates futurum, vt munus adferatur Domino Deo exercituum.
  - Addit de tempore, quo munus adferetur: videlicet post impletionem eorum, quæ hactenus prædixit.
  - Significat vnde munus Domino adferatur: à populo scilicet distracto: id est, de populo Aethiopum, multis cladibus affecto.
  - Indicat quò sit munus ex Aethiopia Domino exercituum offerendum: ad locum, inquit, nominis Domini exercituum.

Dispositio Capitis 19.

PARTES Capit. 19.
- Minatur Aegyptijs grauem calamitatem per vltionem diuinam. Vbi
  - Significat imminere Aegypto visitationem irati Dei, quam prohibere nequeant. Loquitur autem de Deo more bellico, quasi de rege potenti, qui celeri equitatu vehatur in terram hostium. Attribuit illi equos cœlestes, eosque velocissimos: nubes videlicet leues, id est, celeres, tanquam cœlesti Regi conuenientes.
  - Subijcit quid ad illius aduentum sit futurum in Agypto.
    - Idola confringentur.
    - Erunt bella intestina.
    - Consilium sapientum destruetur. Id quod & postea repetit.
    - Ad Magos & idola confugietur, sed frustrà.
    - Dura seruitus imminebit.
    - Erit siccitas in tota Aegypto. Vbi recenset quædam incommoda ex imminenti Aegyptijs ariditate prouentura, quæ ad hoc subijcit, vt grauitatem futuræ calamitatis exprimat.
    - Erit muliebris animorum deiectio.
- Prædicit futurum, vt Aegyptus & Assyria Dominum agnoscat, & colant. Vbi
  - Significat Aegyptios operam daturos addiscendæ linguæ sanctæ, cùm propter Legem Domini, tum propter commercium cū Israelis Ecclesia, religionis gratiâ initum. Vbi linguam Canaan, linguam Israelis, terram Canaan habitantis intelligit. Et ciuitatem Solis Heliopolin vocat, ciuitatem celebrem Aegypti.
  - Exponit cur Deus Aegyptios percutiat: videlicet vt conuertantur, & clament ad Dominum.
  - Vaticinatur de futura societate Aegyptiorum & Assyriorum.
  - Prædicit de Israelis prærogatiua, quam triplam benedictionem vocat, adiunctis Aegyptijs & Assyrijs.

Dispositio Capitis 20.

VATICINIVM habet contra Aegyptū & Aethiopiam, quibus iterum vastationis malum minatur. Vbi
- Notat tempus prophetiæ huius propter certitudinem.
- Proponit mandatum Domini, quo adhibito signo, futura calamitas, & nuditas, vastitasque Aegypti & Aethiopiæ exprimitur.
- Exprimit finem & vtilitatem calamitatis, qua percussurus & humilitaturus erat Dominus Aegyptum & Aethiopiam. Loquitur autem de vtilitate, quæ ex illo erat populo Iuda euentura. Vnde etiam patet, quare voluerit hasce gentes Dominus humiliare per Assyrios: quasi dicat, stultam hanc fiduciam eripiam Iudæis, qua ad auxilia Aegyptiorum & Aethiopum respiciebant, quasi per illos contra potentiam Assyriorum seruari possent, faciamque vt reipsa videant, non esse salutem in Aegyptijs & Aethiopibus, ad quos nunc respiciunt, & videntes magno timore, pariter ac pudore corripiantur.

Dispositio Capitis 21.

PARTES Capit. 21. Vaticinatur.
- De excidio Babylonis. Vbi
  - Significat quale onus Babylonijs imponendum sit: videlicet durum, instar tempestatum, quæ in meridionali plaga, patentibus campis ac locis arenosis, vehementissimo impetu cuncta prosternunt.
  - Euocat Medos, Elamitas, seu Persas, vt obsideant Babylonem.
  - Pollicetur Dominus ab illius tyrannide liberaturum omnes eos, quos oppressura est Babylon, effecturumque vt hi oppressi à Babel cessent ingemiscere.
  - Subiungit Propheta hypotyposim, qua anxietatem ac terrorem Regis Babel Balthasaris, de quo Daniel 5 perinde exprimere voluit, ac si res ipsa iam tum gereretur, persona regis in se per Mimesim assumpta.
  - Insultat Regi Balthasari, ac irridendo voces illius memorat: Adornate, inquit, mensam. &c. cum prælium magis præparare debebat.
  - Subiungit verba Magistri Speculatorum Regis, dum Rex Balthasar crapulæ & ebrietati securus indulgeret: Surgite, inquit Princeps, præparate vos ad bellū. Et quid ita genio indulgetis? Non conuiuij, sed belli tēpus est. Huius adhortationis rationem reddit Magister Speculatorum, sibi hoc à Rege cōmissum esse, vt Speculatores constitueret, qui hostium aduentum prædicerent. Vbi Dominus pro Rege accipitur. Sic dicit ad me Dominus: id est, sic præcepit mihi Rex. Recitat autem hic verba Speculatoris Principibus, ac Speculator primùm diligentiam suam prædicat, deinde visa narrat.
  - Significat sub persona Dei, proculcationem Babylonis: & vocat Babylon Trituram suam, & filiam areæ: id est, frumentum quod in area teritur & excutitur.
  - Vaticinium suum concludit, affirmans se loqui, non proprij cordis somnia, sed ipsius Dei eloquia, omnium certissima.
- Contra Dumæos, & seq. Vide literam A.

A. Contra

- A.
  - Contra Dumæos, qui erant posteri Dumæ filij Ismaelis. Vbi
    - Rem ipsam per hypotyposin exprimit, & significat de Seir audire clamorem & vociferationem hostium. Seir autem mons est, quo totum Idumeorum regnum vocatur. Ex illo apparet, fuisse futuram calamitatem Dumæorum.
    - Refert anxietatem Dumæorum, qua perculsi, indesinenter erant custodes ac vigiles, percunctaturi de hostibus: præsertim temporibus nocturnis, quæ plurimum solent obsessorum metum intendere. Prædicit itaque fore, vt Dumei, custodes ac vigiles turribus impositos interrogaturi sint nocturnis temporibus, quantum adhuc de nocte supersit: id est, quando oriatur diluculum, dicentes, quid de nocte: scilicet restat.
    - Significat nihil consolationis sperandum ex responsis vigilum: Venit, inquiunt, mane, sed veniet alia etiam nox, in qua rursus anxij de fine illius quæretis.
  - Contra Arabes. Vbi
    - Prædicit Arabes, seu Kedarenos, habitantes tum temporis in Arabia Petrea, sudibus suis pellendos fore, & in locis desertis commemoraturos.
    - Alloquitur incolas terræ Thema: Ismaelitæ scilicet, vel illorum successores, hortaturque eos, vt Kedarenos amanter excipiant: imò in occursum illorum cum pane & aqua excurrant, eosque refocillent.
    - Rationem reddit adhortationis suæ ad incolas terræ Thema factæ. Decretum enim est à Domino, vt grauissima clade atterantur Kedareni.

Dispositio Capitis 22.

- PARTES Capit. 22. Vaticinatur
  - De calamitate Hierusalem, quam hic vallem visionis appellat, respectu montium, quibus circundatur: quæ quidem calamitas accidit illi per Chaldæos. Vbi
    - Significat se in spiritu videre tremorem vrbis, quo cuncti perculsi, relictis ædibus tecta conscendant. & ad eam visionem stupens alloquitur ipsam ciuitatem per interrogationem: Quid est, inquit, quòd ita consternata es, quòd fugam magis, quàm repressionem hostium meditaris, cùm antea lætabaris?
    - Prædicit illis futuram timiditatem, qua perculsi non erant, manum conserturi cum hostibus, sed fugam molituri.
    - Significat quàm grauis futura sit calamitas ciuitatis Hierusalem. Nam ipse etiam Propheta nequiuit non acerbo fletu illam deplorare.
    - Causam reddit eius, quod de suo luctu dixit: Quia dies, inquit, est perturbationis.
    - Expeditionem Chaldæorum describit, vbi per Elam Persas intelligit, qui Chaldæis in expeditione illa coniuncti fuerant. Per Kir gentem aliquam Orientalem, quæ peculiari studio dedita fuerit clypeis gestandis, perinde atque Elamitæ pharetris.
    - Significat capiendam esse vrbem: hoc enim significat nudari operimentum, id est, protectionem Iuda.
    - Exprobrat illis vanam fiduciam, quã collocaturi erant in armamentario domus saltus: quasi inde armati, vim possint quorumcunque sustinere hostium. Loquitur autem de domo saltus, quam Solomon in domo saltus ædificauit. de quo vide 1 Reg. 7.
    - Prædicit fore, vt hostis muros ciuitatis in ipsorum oculis concutiat, quo intrò possit irrumpere.
    - Significat eos laboraturos magna penuria aquarum, quòd superior piscina futura esset in manu hostium. Erat enim illa extra vrbem. Inferior erat in vrbe, cuius aquas tempore pacis negligebant.
    - Innuit ciues Hierusalem procurare omnia obsidionis tempore, quæ erant necessaria: vt aquas colligant, & domos ad reficiendos muros diruant, &c. De eo tamen, quod cumprimis necessarium esset de auxilio scilicet Dei, qui condidit vrbem, ne cogitare quidem. Hoc est quod dicit: Ne respicietis ad conditorem illius.
    - Declarat quanta fuerit populi Iudaici obstinatio, quo tempore calamitas ista super illum ventura erat: tanta videlicet, vt ne tum quidem ad pœnitentiam permoueri potuerit: imò vocante Deo ad fletum & pœnitentiam, in gaudium, lætitiam ac luxum prosilierit. Vbi suas ipsorum voces superbas ac obstinatas exprimit.
    - Significat voces impij populi ad aures Domini peruenturas.
    - Exprimit iusiurandum Domini, quo tam enormi iniquitati omnis expiatio denegatur.
  - Contra Sobnam, & seq. Vide literam A.

Dispositio Capitis 19.

PARTES Capit. 19.

- Minatur Aegyptijs grauem calamitatem per vltionem diuinam. Vbi
  - Significat imminere Aegypto visitationem irati Dei, quam prohibere nequeant. Loquitur autem de Deo more bellico, quasi de rege potenti, qui celeri equitatu vehatur in terram hostium. Attribuit illi equos cœlestes, eosque velocissimos: nubes videlicet leues, id est, celeres, tanquam cœlesti Regi conuenientes.
  - Subijcit quid ad illius aduentum sit futurum in Agypto.
    - Idola confringentur.
    - Erunt bella intestina.
    - Consilium sapientum destruetur. Id quod & postea repetit.
    - Ad Magos & idola confugietur, sed frustrà.
    - Dura seruitus imminebit.
    - Erit siccitas in tota Aegypto. Vbi recenset quædam incommoda ex imminenti Aegyptijs ariditate prouentura, quæ ad hoc subijcit, vt grauitatem futuræ calamitatis exprimat.
    - Erit muliebris animorum deiectio.
- Prædicit futurum, vt Aegyptus & Assyria Dominum agnoscât, & colant. Vbi
  - Significat Aegyptios operam daturos addiscendæ linguæ sanctæ, cùm propter Legem Domini, tum propter commercium cũ Israelis Ecclesia, religionis gratiã initum. Vbi linguam Canaan, linguam Israelis, terram Canaan habitantis intelligit. Et ciuitatem Solis Heliopolin vocat, ciuitatem celebrem Aegypti.
  - Exponit cur Deus Aegyptios percutiat: videlicet vt conuertantur, & clament ad Dominum.
  - Vaticinatur de futura societate Aegyptiorum & Assyriorum.
  - Prædicit de Israelis prærogatiua, quam triplam benedictionem vocat, adiunctis Aegyptijs & Assyrijs.

Dispositio Capitis 20.

VATICINIVM habet contra Aegyptũ & Aethiopiam, quibus iterum vastationis malum minatur. Vbi

- Notat tempus prophetiæ huius propter certitudinem.
- Proponit mandatum Domini, quo adhibito signo, futura calamitas, & nuditas, vastitasque Aegypti & Aethiopiæ exprimitur.
- Exprimit finem & vtilitatem calamitatis, qua percussurus & humilitaturus erat Dominus Aegyptum & Aethiopiam. Loquitur autem de vtilitate, quæ ex illo erat populo Iuda euentura. Vnde etiam patet, quare voluerit hasce gentes Dominus humiliare per Assyrios: quasi dicat, stultam hanc fiduciam eripiam Iudæis, qua ad auxilia Aegyptiorum & Aethiopum respiciebant, quasi per illos contra potentiam Assyriorum seruari possent, faciamque vt reipsa videant, non esse salutem in Aegyptijs & Aethiopibus, ad quos nunc respiciunt, & videntes magno timore, pariter ac pudore corripiantur.

Dispositio Capitis 21.

PARTES Capit. 21. Vaticinatur.

- De excidio Babylonis. Vbi
  - Significat quale onus Babylonijs imponendum sit: videlicet durum, instar tempestatum, quæ in meridionali plaga, patentibus campis ac locis arenosis, vehementissimo impetu cuncta prosternunt.
  - Euocat Medos, Elamitas, seu Persas. vt obsideant Babylonem.
  - Pollicetur Dominus ab illius tyrannide liberaturum omnes eos, quos oppressura est Babylon, effecturumque vt hi oppressi à Babel cessent ingemiscere.
  - Subiungit Propheta hypotyposim, qua anxietatem ac terrorem Regis Babel Balthasaris, de quo Daniel 5 perinde exprimere voluit, ac si res ipsa iam tum gereretur, persona regis in se per Mimesim assumpta.
  - Insultat Regi Balthasari, ac irridendo voces illius memorat: Adornate, inquit, mensam. &c. cum prælium magis præparare debebat.
  - Subiungit verba Magistri Speculatorum Regis, dum Rex Balthasar crapulæ & ebrietati securus indulgeret: Surgite, inquit Princeps, præparate vos ad bellũ. Et quid ita genio indulgetis? Non conuiuij, sed belli tẽpus est. Huius adhortationis rationem reddit Magister Speculatorum, sibi hoc à Rege cõmissum esse, vt Speculatores constitueret, qui hostium aduentum prædicerent. Vbi Dominus pro Rege accipitur. Sic dicit ad me Dominus: id est, sic præcepit mihi Rex. Recitat autem hic verba Speculatoris Principibus, ac Speculator primùm diligentiam suam prædicat, deinde visa narrat.
  - Significat sub persona Dei, proculcationem Babylonis: & vocat Babylon Trituram suam, & filiam areæ: id est, frumentum quod in area teritur & excutitur.
  - Vaticinium suum concludit, affirmans se loqui, non proprij cordis somnia, sed ipsius Dei eloquia, omnium certissima.
- Contra Dumæos, & seq. Vide literam A.

A. Contra Dumæos, qui erant posteri Dumæ filij Ismaelis. Vbi

- Rem ipsam per hypotyposin exprimit, & significat de Seir audire clamorem & vociferationem hostium. Seir autem mons est, quo totum Idumeorum regnum vocatur. Ex illo apparet, fuisse futuram calamitatem Dumæorum.
- Refert anxietatem Dumæorum, qua perculsi, indesinenter erant custodes ac vigiles, pecunctaturi de hostibus: præsertim temporibus nocturnis, quæ plurimum solent obsessorum metum intendere. Prædicit itaque fore, vt Dumei, custodes ac vigiles turribus impositos interrogaturi sint nocturnis temporibus, quantum adhuc de nocte supersit: id est, quando oriatur diluculum, dicentes, quid de nocte: scilicet restat.
- Significat nihil consolationis sperandum ex responsis vigilum: Venit, inquiunt, mane, sed veniet alia etiam nox, in qua rursus anxij de fine illius quæretis.

Contra Arabes. Vbi

- Prædicit Arabes, seu Kedarenos, habitantes tum temporis in Arabia Petrea, sudibus suis pellendos fore, & in locis desertis commemoraturos.
- Alloquitur incolas terræ Thema: Ismaelitæ scilicet, vel illorum successores, hortaturque eos, vt Kedarenos amanter excipiant: imó in occursum illorum cum pane & aqua excurrant, eosque refocillent.
- Rationem reddit adhortationis suæ ad incolas terræ Thema factæ. Decretum enim est à Domino, vt grauissima clade atterantur Kedareni.

Dispositio Capitis 22.

Partes Capit. 22. Vaticinatur

De calamitate Hierusalem, quam hic vallem visionis appellat, respectu montium, quibus circundatur: quæ quidem calamitas accidit illi per Chaldæos. Vbi

- Significat se in spiritu videre tremorem vrbis, quo cuncti perculsi, relictis ædibus tecta conscendant. & ad eam visionem stupens alloquitur ipsam ciuitatem per interrogationem: Quid est, inquit, quòd ita consternata es, quòd fugam magis, quàm repressionem hostium meditaris, cùm antea lætabaris?
- Prædicit illis futuram timiditatem, quâ perculsi non erant, manum conserturi cum hostibus, sed fugam molituri.
- Significat quàm grauis futura sit calamitas ciuitatis Hierusalem. Nam ipse etiam Propheta nequiuit non acerbo fletu illam deplorare.
- Causam reddit eius, quod de suo luctu dixit: Quia dies, inquit, est perturbationis.
- Expeditionem Chaldæorum describit, vbi per Elam Persas intelligit, qui Chaldæis in expeditione illa coniuncti fuerant. Per Kir gentem aliquam Orientalem, quæ peculiari studio dedita fuerit clypeis gestandis, perinde atque Elamitæ pharetris.
- Significat capiendam esse vrbem: hoc enim significat nudari operimentum, id est, protectionem Iuda.
- Exprobrat illis vanam fiduciam, quâ collocaturi erant in armamentario domus saltus: quasi inde armati, vim possint quorumcunque sustinere hostium. Loquitur autem de domo saltus, quam Solomon in domo saltus ædificauit. de quo vide 1 Reg. 7.
- Prædicit fore, vt hostis muros ciuitatis in ipsorum oculis concutiat, quo intrò possit irrumpere.
- Significat eos laboraturos magna penuria aquarum, quòd superior piscina futura esset in manu hostium. Erat enim illa extra vrbem. Inferior erat in vrbe, cuius aquas tempore pacis negligebant.
- Innuit ciues Hierusalem procurare omnia obsidionis tempore, quæ erant necessaria: vt aquas colligant, & domos ad reficiendos muros diruant, &c. De eo tamen, quod cumprimis necessarium esset de auxilio scilicet Dei, qui condidit vrbem, ne cogitare quidem. Hoc est quod dicit: Ne respicietis ad conditorem illius.
- Declarat quanta fuerit populi Iudaici obstinatio, quo tempore calamitas ista super illum ventura erat: tanta videlicet, vt ne tum quidem ad pœnitentiam permoueri potuerit: imò vocante Deo ad fletum & pœnitentiam, in gaudium, lætitiam ac luxum prosilierit. Vbi suas ipsorum voces superbas ac obstinatas exprimit.
- Significat voces impij populi ad aures Domini peruenturas.
- Exprimit iusiurandum Domini, quo tam enormi iniquitati omnis expiatio denegatur.

Contra Sobnam, & seq. Vide literam A.

A. Vaticinatur contra Sobnã Scribam, qui sub Ezechia domus regiæ præfectus fuit. Vbi

- Mandatum Domini ad se factum proponit, in quo dominus Sobnæ huic minatur proiectionem & exitium. Exprobrat autem illi, quòd cùm esset homo alienigena, perinde sibi sepulchrum Hierosolymis operosum & superbum excidi curauerit, ac si illic esset de stemmate Regio propagatus.
- Vaticinatur de Eliakim in illius locum substituendo. Vbi
  - Dicit Dominus se ablaturum à Sobna dignitatis illius ornamenta, & traditurum seruo suo Eliakim.
  - Significat velle potestatem domus regiæ gubernandæ, quam hîc Clauem domus Dauid vocat, imponere seruo suo Eliakim. Atque hîc exponit, quod præcedenti versu dixerat.
  - Significat eum fore sustentaculum omnibus commune, præcipuè gloriosum domus paternæ. Vtitur autem hîc simili claui, vel paxilli, admodum ad hanc causam accomodo. Vsus paxilli est, vt suspendantur & pendeant ab eo, quæ infirmiora sunt, quàm vt suis ipsorum viribus stare possint. Quare necesse est, vt sit fortiter fixus: idq; loco non quolibet, sed firmo. Nam & ipse opus habet, vt aliunde firmetur, quò ferre queat, quæ ab ipso dependent. Ea erat futura conditio Eliakim præpositi domus regiæ, vt sustentandis omnibus fidei suæ commissis subseruiret.
  - Prædicit omnes illius cognatos, quos per stirpes intelligit, ab eo fore iuuandos: deinde ad vasa viliora, seu minora, id est, ad seruulos quoq; rediturũ ab illo commoditatis & gloriæ plurimùm.
- Recurrit ad præcedentia, vbi docet primùm auferendum esse illum Sobnam, scilicet de loco firmo: deinde omnes eos, qui ab ipso pendebant, per ruinam & casum eius excidiũ passuros.

Dispositio Capitis 23.

PARTES Capit. 23. Vaticinatur de

- Vastatione Tyri & Sidonis. Vbi
  - Alloquitur Tharsenses naues: id est, Mercatores, qui nauibus vti consueuerant, & Tyrum nauibus frequentare solebant Et addit rationem: Quia vastata sit Tyrus.
  - Exprimit luctum vicinorum Tyri, quibus cum illa multum fuit commercij. Hos cessaturos esse dicit, seu tacituros, quod à nundinatorio strepitu quiescant & plorent.
  - A Sidonijs transit ad Aegyptios, quorum marina distractio magna fuit admodum. Tyrus frumento caruit, tota pro loci commoditate mercimonijs dedita. Fœlicitatem igitur Tyri, qua quicquid in Aegypto proueniebat, ad ipsam deferebatur, cessaturam significat.
  - Significat futurum, vt subuersa Tyro, reddatur & Sido cõfusa, quæ propter vicinitatem & singulare commercium Tyri superba & præsumptuosa erat. Vbi per mare & fortitudinem maris Tyrum intelligit. Regnabat enim illa in mari. Hæc dicit: Orba sum, sterilis, & desolata.
  - Alloquitur profugos Tyri, quos præmonet Vates, ne de reditu ad Tyrum cogitent, sed propter vastationem eius eiulantes, Tharsum transeant.
  - Exprobrat Tyrijs iactantiam illam, qua se vetustam originem habere gloriabantur, eoque nomine plurimùm præ se cæteras ciuitates fastidiebant. Huius iactantię vanitatem exprimens, insultat illis.
  - Subiectione vtitur, qua significat impedire non posse consilium hoc contra Tyrum, quominus perficiatur. Consilium enim Domini efficacius est, quàm vt vllis possit viribus retundi.
  - Alloquitur ex ordine Tharsum, Zidonem & Cithim. Erat enim istis populis præ cæteris multum cum Tyro commercij. Tharsum monet, vt relicta Tyro, transeat ad terram suam, & addit rationem: Quia nihil sit in Tyro roboris, eò quòd Dominus contriuerit eam. Vocat autem Tyrios Canaan: id est, Mercatores, quòd omnis ea ciuitas mercaturis esset dedita. Zidonem monet, ne posthac exultet, & superbiat. Virginem vocat hanc, quòd esset ad id vsque temporis intacta vi hostili. Cithim, id est, Cyprios, monet, vt relicta Tyro in terram suam transeant.
  - Chaldæos alloquitur, monens eos, vt muros & palatia Tyri destruant. Nam populus Tyriorum, qui de antiquitate originis plurimum gloriabatur, ante Assyrios non fuit, sed Assyrij fundauerunt Tyrum initio, vt esset statio Carinis, erexerunt postea turres eius. Verùm illa perinde antiquissimam se iactat, ac si fundata à nemine omnium ciuitatum, etiam regnorum sit ipsa fundatrix.
- Restitutione Tyri, & seq. Vide literam A.

A. Restitutione Tyri. Vbi triplicē ciuitatis huius statum post illius excidium complectitur.

- Vastatæ vrbis obliuionem. Obliuionem vocat, non qua ex hominum memoria fuerit deleta, sed qua deleta & neglecta mansit, ad tempus vsque restitutionis.
- Restitutionem Tyri. Vbi vtitur simili meretricis aliquandiu repudiatæ & neglectæ, quemadmodum euenire solet morbo Gallico, aut alio morbo laborantibus. Solent illæ, vbi inualuerint, ad ingenium redire, & lenocinijs suauique cantu quos possunt ad se allicere. Hoc & Tyro euenturum prædicit Propheta.
- Emendationem. Id quod ad tempus Messiæ pertinet: Erit, inquit, vt merces suas non amplius mundo, luxui, fastui & prauæ cupiditati, sed Domino consecrabunt.

Dispositio Capitis 24.

Partes Capit. 24.

Vaticinatur de generali earū gētium corruptione & vastatione, quarū hactenus onera specialibus vaticinijs prædixit. Vbi

- Prædicit terræ vastitatem & calamitatem in genere.
- Significat nullum futurum esse personarum respectum: nam quosuis hac vltione inuoluet Dominus.
- Repetendo inculcat quod primo versu posuit.
- Reddit rationem visitationis terræ.
- Describit futuram mœstitiam, quam allatura erat vini penuria. Deinde ciuitatis attritionem & vastitatem.
- Subijcit de reliquijs superfuturis, ne quis eam vastationem omnimodum putaret omnium habitatorum terræ fore exterminium. Et vtitur hic similibus, quibus & suprà cap. 17. vsus est.
- Prædicit quid facturæ erunt reliquiæ illæ post communem vastationem superstites. Laudaturi erunt Dominum, & in Deo lætabuntur. Illud autem de mari, significat eos qui mari Mediteraneo vicini erant, vt Philistini, Phœnices, qui antè infensissimi erant populi Dei hostes.
- Dolorem suum, ac doloris causam exprimit. Cruciabatur enim ipso aspectu tam deploratæ & extremæ impiorū malitiæ, quæ in quęuis scelera pleno impetu, perfidi in Dominum ruebant.
- Redit ad mala, quæ initio Capitis minari cœpit. Ac significat habitatores terræ alijs atque alijs malis obruendos, vt cùm vno se expedierint, alio iterum constringantur. Vbi exaggerat iram & calamitatem impiorum,

Minatur regi Assur, & reliquis finitimis Regibus vltionem diuinam. Vbi

- Prædicit Deum visitaturum Assur, quem hic propter eius summam potentiam & superbiam excelsum vocat, & reges terræ, qui erant Assyrio inferiores, & partim etiam subiecti.
- Exprimit eximiam claritatem magnificentiæ Dei, quæ futura erat in monte Sion, primùm in illius restitutione, deinde in regno Christi: Tanta, inquit, claritas regnantis Christi in monte Sion erit, vt illius respectu splendor non modò Lunæ, sed & Solis obscurior esse videatur.

Dispositio Capitis 25.

Celebrat Propheta nomē Domini, propter futuram populi illius liberationem, ac res mirandas, quas erat ille in monte Sion magna cum gloria & populorum salute facturus. Vbi

- Laudat Dominum Propheta, & addit rationem, vbi sapientiam, consilium, veritatem, potentiam, ac bonitatem Dei celebrat. Vrbem, intelligit Babylonem.
- Amplificat gratiam illam liberationis, qua tam reliquos erat populos, quàm Israelem, vastata Babylone, liberaturus. Significaturus autem insignem fore omnium liberatarum gentium exhilarationem, comparat illam conuiuio selecto, in quo proponuntur ad edendum, pinguia: ad bibendum, vina defecata.
- Subiungit omnem luctum auferendum à populis, quo tristes & obuoluti tempore calamitatis & seruitutis erant ingressuri, Per mortem autem intelligit meritam illam tyrannidem Regum Babel, qua omnia plena erant cædibus & mortis horrore.
- Prædicit quo animo futuri erunt erga Deum suum, qui è manibus Babylonis liberati fuerint: exprimit hoc suis ipsorum verbis.
- Rationem reddit eius, quod dictum est: Exultemus & lætabimur, &c. Quia videlicet seruat suos. Perdet autem & proteret hostes populi sui, vt Moab, &c.

Dispositio Capitis 26.

Partes Capit. 26.

Prædicit paratum Dominum Iudæis vrbem reuera fortem & munitam, eò quod Dominus ponat salutem suam loco murorum.

Significat habitatores illius fore iustam gentem & fidei seruantem. Imò non nisi talibus eam esse ciuitatem destinatam. Id quod hac locutione significat: Aperite portas, & egredietur gens sancta.

Facit apostrophen ad Deum: Tuos, inquit, in pace conseruas. Et additur ratio in eo quod dicit: Cogitatio fixa, vel firma, id est, hoc tuum est consiliũ constans & firmum, quo statuisti non te deserturum esse tuos. Et addit huius etiam rationē, cur Deus custodiat pacem suo populo: videlicet quòd firma ab ipso fiducia pendeat.

Facit apostrophen adhortatoriam ad quosuis ex præcedenti versu promanantem: videlicet vt in Dominum confidant.

Quod cap. præcedenti versu 9. breuiter perstrinxit, de gaudio, fide, & securitate liberatarum Israelis reliquiarum, id composito cãtico amplificat. Vbi

- Reddit rationem cur in Dominum sperare debeant: quia videlicet protector sit suorum, potentes deijciat, ac oppressos liberet.
- Declarat quod dixit, Dominum humiliare habitantes in sublimi, idque exemplo recenti & omnibus seculis memorabili. Loquitur autem de Babylone, quam vocat ciuitatem excelsam & huius humiliationem amplificat.
- Facit apostropen ad Deum. Vbi
  - Viam iusti, id est, vitæ conuersationem & studia dicit esse rectam, id est, iustam, æquam, sanctam & honestam.
  - Docet hanc iustorum viam non nisi à Deo dirigi.
  - Tribuit iustis quòd etiam in via iudiciorum Domini: id est, in disciplina castigationis, qua populum suum castigat, bonam Dei voluntatem & gratiam expectent, & quod ardenti desiderio glorificandi & celebrandi Dei teneantur.
  - Exprimit vtilitatem diuinæ castigationis. Erudit enim nos Deus disciplina sua ad discendam iusticiam: qua sine hac castigatione ad discendum iusticiam omnino inepti sumus.
  - Exaggerat iniquitatem sceleratorum Iudæorum & aliorum, qui excelsa potentiæ Domini facinora non considerârunt, sed postea considerare coacti sunt, dũ zelum suũ Dominus in illos exereret.
  - Petit pacem populi, & addit rationem de fide electorum, & quòd qui dominabantur eis mortui sunt, & deleti à Domino.
  - Exprimit Dei beneficia, quibus Iudæos Dominus post liberationem affecit.
  - Vaticinatur de resipiscentia populi, procul in exilium abiecti & castigati, quod iam ita castigatus resipuerit, & ad Deum clamauerit. Vbi vtitur simili parturientis. Est autem parere ventum, frustra & inaniter conari ac moliri. Perturiebant enim illi liberationem & hostium excidiũ: verùm frustranea erat eorũ parturitio, donec liberarentur à Domino. Per habitatores orbis Babylonios intelligit.
  - Proponit vocem fidelis & liberati populi, qua liberationis suæ miraculum magnificè deprædicant. Vocant autem sese mortuos, & cadauera, eò quod in Babylone instar mortuorum & cadauerũ fuerant. Et addunt causam efficientem, Quia ros tuus: id est, virtus ad viuificandum & seruandum, ros est herbarum: id est, sic erigit Dominus emortuos, & viuificat, sicut ros cœlestis herbas, solis ardore velut emortuas recreat & erigit.

Subijcit consolationem Iudæorum, ac consulit illis, vt vbi senserint iram Domini egressam esse ad sumendam vindictam de reprobis, timeant illã, & spe secuturæ clementiæ animos suos contra desperationem humiliter conseruent, & in recessibus suis precationes suas ad Dominum suppliciter fundant, dum interea reprobi armis se & brachio carnis tueri conantur. Futurum enim est, vt hostes propter cruentam illorum tyrannidem & iniquitatem, qua sanguinem innoxium fuderunt, conterantur.

Dispositio Capitis 27.

PARTES Cap.27.

Vaticinatur de interitu Regis Babylonici. Vbi

- Minatur Regi Babel grauissimam vltionem Dei, quem Regẽ hic Leuiathan & Draconem appellat.
- Tyrannidem Regis Babel similitudine Leuiathan & Draconis depingit.

Vaticinatur de reliquijs populi sui à Babylone liberati, deque Israelis castigatione & restitutione. Vbi

- Prædicit futurum vt Hierusalem seu populus Dei de Babylone liberatus, sit vinea vini meri, non labruscarum, qualem suprà cap. 5. perstringit.
- Hortatur quosuis vt huic vineæ pietatis nomine laudes canant.
- Dominum ipsum inducit curam & protectionem renouatæ vineæ suæ promittentem ac dilectionem.
- Minatur impijs ac reprobis qui sunt in populo Dei, vt spinæ in vinea selecta, excidium: vt quemadmodum agricola spinas proculcat, & igni comburit, ita Dominus reprobos proculcat & succendet.
- Innuit non esse quenquam tantæ potentiæ, vt robur suum apprehendat, ac eum, ne pœnas de reprobis sumat, cohibere possit.
- Vaticinatur futurum vt Iacob, id est, populus Israel reflorescat: sed sic vt prius castigetur, & peccata eius expientur. Id significat per metaphoram arboris, quæ aliquandiu sterilis, & folijs destituta, imò ferè arefacta tandem germinat, floret, ac fructibus multiplicatur.
- Docet Deum non percussurum populum suum plaga tam graui quàm intendit hostis eius, qui eum percutiet. Is enim illum prorsus exterminare volet.
- Exponit quomodo percussurus quidem sit Dominus Iacob, verùm non sine clementia. Hoc est quod dicit, in mensura: id est, moderatè. Vtitur autem similitudine vineæ qua & suprà visus est, quæ ad tempus negligitur. Dies Euri, est tempus quo ventus Orientalis inualescit, & impetu suo quæuis obuia subuertere molitur. Huiusmodi vento comparat disceptationẽ Dei cum vinea populi ipsius. Intelligit autem abiectionem illius quæ in Babylonem vsque erat proijciendus. Mutatio personę, qua hic vtitur, creberrima est in scripturis.
- Vtilitatem castigationis ostendit, vbi fructum pro emendationis vtilitate ponit. Peccatum verò externam populi Iudaici idolatriam intelligit.
- Ostendit tum maximè expiari peccatum populi & Hierusalem, quam hic ciuitatem munitam vocat, cùm ciuitas illa deuastetur, & reddatur solitaria. Per mulieres viros effœminatos intelligit. Reddit autem huius rationem.

Redit ad principium vaticinij huius, ad tempus videlicet vastandæ Babylonis, & reducendarũ Israelis reliquiarũ. Vbi

- Docet Deum excussurum populum suum ex Gentibus, inter quas dispersus erat, vt triticum excutiendo paleis eximitur, & collecturum ad montem sanctum suum, sicut triticum in horrea colligitur. Per fluuios verò Babylonem intelligit & AEgyptum. Erat enim Iuda abducendus in Babylonem. Deinde qui reliqui futuri erant, descensuri erant in AEgyptum, quò etiam postea, reclamante Hieremia, Hierem. 42. 43. descenderunt.
- Significat futurum vt reliquiæ Israelis, perinde confluant ad montem Sion, ac si tubâ magnâ velut ad signum militare conuocentur.

Dispositio capitis 28.

PARTES Cap. 28.

Vaticinatur contra decem Tribus Israel. Vbi

Minatur excidium superbæ Samariæ, quam incusat superbiæ & temulentiæ, & vocat vallem pinguium, quia in ea diuites, pingues & optimates habebant, & delitiabantur.

Exponit comminationem præmissam, vbi robustum dominij Regem Assur intelligit, per quem erat Dominus vastaturus decem Israelis Tribus.

Vaticinatur contra populum Iuda, quem reliquias populi sui vocat, quòd solus in terra promissionis post migrationē decem Tribuum erat mansurus, donec & ipse in Babylonem abduceretur. Vbi

Significat Deum non passurum vt vna cum Israelitis vastetur, & in Assyriam transferatur Iuda: imò Deum hunc populum Iuda protecturum & gubernaturum, daturumque illi sapientiam, prudentiam ad iudicandum, & fortitudinem bellicam ad pugnandum contra hostes.

Perstringit populi Iuda stupiditatem, ignorantiam ac temulentiam: imò non populi tantùm, sed & Sacerdotum & Prophetarum illius.

Subiectione vtitur, qua significat eos demum doceri à Domino qui sunt afflicti, & à lacte consolationis auulsi, homines pauperes, egeni, &c. Quia enim tales sunt Sacerdotes & Prophetæ, qui non verbū Dei, sed suas traditiones doceant. Deus afflictos non negligit, sed verbo suo consolatur.

Recitat verba Sacerdotum & falsorum Prophetarum, quibus doctrinam Dei irridebant & subsannabant, vocantes eam præceptum ad præceptum, expectationem ad expectationem. Quia enim Prophetæ partim authoritatem præcipientis Dei, partim veritatem promittentis inculcabant: ideoque obedientiam erga præcepta Dei & expectationem erga promissa requirebant, vbi non statim illa fiebant, impij ac reprobi occasionem hinc irridendi eos sumentes, hisce vocibus doctrinam illorum in populo subsannabant.

Exprimit iterum stupiditatem populi, ad quem cùm Dominus loquitur, balbutire ipsis & aliena lingua loqui videatur, eò quòd alieni facti sint à consuetudine sermonum Dei.

Duobus similibus significat certum illis imminere exitium, quorum primū est ab his, qui per præcipitia ingrediuntur, alterum à feris syluestribus vel auibus sumptam.

Vaticinatur iterum contra illusores qui erant in populo Iuda, ac perstringit illorum securitatem, qua de immanitate persuasi, minas Prophetarum Dei ridebant. Ac recitat illorum verba, quibus testabantur se per mortem & sepulturā suā liberari à malis, quæ illis toties minabātur Prophetæ: per mēdacium autem hic intelligunt quò securitatē & pacem in fœdere externorū Regū illusores isti quærebāt.

Significat Dominus se non deserere populum suum, quem elegit, sed eum contra quosuis inimicorum insultus fundare & confirmare, quamuis impij in eo dominentur. Hic verò per lapidem preciosum Christum intelligit, sicut Rom. 9. 1. Pet. 2. exponitur, cui qui innititur, non festinabit: id est, non trepidabit, non erit fluctuans, vel non pudefiet.

Significat se contra illos illusores impios vsurum iudicio & iustitia, & absque mitigatione sumpturum pœnas de illis. Vbi vtitur metaphora libræ & regulæ. Per lectum breuem Hierusalem intelligit ab Assyrijs obsessam, quæ antea quidem ampla erat, facta tamen breuis lectus, cùm esset coarctata.

Exemplis ostendit Dominum haud secus stare & pœnas sumere de reprobis, quàm olim stetit & iratus fuit contra Philistinos in monte Perazim, dum illos per Dauidem percuteret. de quo 2. Samuel. 5. & contra Amorrheos in valle Gibaon, cū eos lapidibus de cœlo missis prosterneret. de quo Ios. 10.

Significat alienum quidem esse à Deo stare & irasci contra populum suum, verùm faciendum hoc esse quo ad opus suum perueniat.

Subiungit dehortationem, qua eos auocat ab irrisione & contemptu Dei, & additur ratio: Quia Deus ablaturus sit impios, qui sunt in populo, vt vix pauci futuri sint superstites.

Postulat ab illis vt audiant verbum Dei.

Proponit parabolam rusticam, sed magna sapientia refertam. In agricolæ industria, quam à Deo accepit, considerandam proponit industriam & moderationē Dei, qua in disciplina & castigatione populi sui vtitur. Agricolæ tellurem aratro proscindunt, & sationi adaptant. Deinde singula semina suis locis & mensuris serunt, postea discretè singula pro qualitate cuiusque triturant. Sic facit & Dominus. Arat humum suam ad seminandum: id est, castigat populum suum, at non tota die: id est, moderatè, ac attemperat disciplinam ad qualitatem populi sui. Seminat varia semina, maiora & minora. Variam intellige eiusdem populi institutionem: seminat autem in mensura, cum delectu & suis terminis sapienter attemperauit legem suam, statuta, doctrinas & vaticinia, iuxta quod expedire potuit. Triturat castigando flagellis, & reprobos velut paleas à frumēto: id est, pijs, separat. Cauet autem ne grauiori castigatione castigetur id quod infirmum est.

Dispositio Capitis 29.

PARTES Cap. 29.

- Vaticinatur contra incolas ciuitatis Hierusalem, minaturq; illis obsidionem, humiliationem, visitationem de cœlo, ac Sapientum illius infatuationem. Perstring'tq; eorum cæcitatem & hypocrisim. Vbi
  - Alloquitur ciuitatem cum dolore cordis, & vocat eam Ariel: id est, Leonem Dei, propter ferociam.
  - Exprimit tempus futuræ calamitatis Hierusalem. Per Agnum autem intelligit diem festum Agni.
  - Exponit quòd antea dixit de afflictione ciuitatis.
  - Vaticinatur obiter de plaga, qua per Angelũ Domini multitudo exercitus Assyriaci subitò est nocte vna percussa.
  - Multitudinem Assyriorum spe sua frustrandam, omnesq; illorum conatus irritos fore prædicit: id quod simillitudinibus duabus declarat.
  - Redit ad perstringendum terrẽdumq; impios: ac per apostrophen eos alloquitur, iubetq; eos facere, quod alioqui pertinacissimi faciebant.
  - Reddit rationem mandati, indicatq; Dominum loco vini istis impijs spiritum soporis infusurum, oculos mentis perinde claudentem, atq; vino soporis clauduntur oculi corporis: idq; iusto Dei iudicio, propter maturitatem malitiæ ipsorum, vbi tempus vltionis & exitij aduenerit.
  - Significat non solùm Principes & Prophetas cum Senioribus, sed & populum cæcitatis malo esse obnoxium. Ac inducit simile libri obsignati & confert Prophetas & Principes illis qui literas sciunt, plebem verò literas nescientibus.
  - Perstringit insignem reproborum hypocrisim, summa cum impietate coniunctam: qua videlicet non timetur Deus seruando præcepta illius, sed obediendo præceptis hominum.
  - Subijcit competentem illis vltionem vt infatuationem Sapientum, contumatium scilicet hominum, maledictionis indicium, eò quòd sine consciẽtia Dei viuebant exercitati ad cælanda sua consilia & facta.
  - Exponit impietatem hypocritarum. Quod enim dicebant. Quis videt nos? perinde est ac si dicat opus factori suo: Non fecisti me, & figmentum de fictore suo, non intelligit.
  - Vastatione Libani & Carmeli, grauitatem futuræ vltionis ipsorum exprimit.
  - Prædicit futurum vt qui nunc instar cæcorum & surdorum nec audiunt, nec intelligunt visiones propheticas, audiant tandem & intellligant: & apertis oculis videant: id est, experiantur vera esse, quæ à Prophetis dicebantur.
- Consolatur pios in Iuda. Vbi
  - Prædicit de gaudio & exultatione piorum, qui tum in medio reproborum versantes, varijs modis affligebantur.
  - Reddit rationem futuræ afflictorum & pauperum lætitiæ: Quia videlicet tollentur è medio impij, qui potentia & nequitia sua opprimunt pauperes Deoq; & hominibus illudunt.
  - Promittit domui Iacob, id est, populo Iuda, non fore vt in manus Assyriorum tradatur. Quamuis illi decem Tribus in Assyriam abduxissent, & præterea terram Iuda vniuersam occupassent, & addit rationem: Quia agnoscet opus, id est, auxilium manuum Dei & vnà cum filijs seu posteris suis Deum, tanquam cõseruatorem & protectorem, timebit & colet, sentietq; vera esse quæ per Prophetas prædicta, ne audire quidem, nedum credere antea sustinebat.

Dispositio Capitis 30.

PARTES Cap. 30.

- Redarguit reprobos in populo Iuda, quòd ad Regem Aegypti securitatis gratiâ confugissent. Vbi
  - Inducit Dominum loquentem ac minantẽ reprobis, quò plus sit ponderis in causa hac, quam Principes populi nihil iudicabant habere peccati. Minatur autem illis, eò quòd ab eo deficientes, protectionẽ cõtra imminentẽ calamitatẽ quærãt ab humano auxilio, & nõ à Deo. Vetuerat enim disertè Dominus Deut. 17. ne redirent in Aegyptum & ne Rex ipsorum populum in Aegyptum reduceret. Rex autẽ Iuda mittebat nuncios ad Regem Aegypti pro auxilio contra hostes. Additur autem peccatum peccato, quando quod peccatum est, impœnitentia aggrauatur. Deinde, quando eodem vel alio peccati genere præcedente, peccata cumulantur, vel quando contra imminentem vltionẽ Dei securitas in peccatis, illicitis medijs, non per resipiscentiam & humilitatem quæritur.
  - Prædicit Iudæos spe sua frustrari, cùm quærant auxilium à Pharaone, & spem ponunt in illius potentiam.
  - Exprimit qui venerint in Aegyptum: Principes scilicet & Legati missi à Rege, & quis fructus legationis.
  - Minatur onus, id est, calamitatem ipsis Principibus in Aegyptum missis, vnà cum populo futuram: idq; in iumentis Austri, quibus thesauros suos & munera Regi Aegypti deferẽda imposuerunt, quæ iumenta Austri vocat, quòd ad Aegyptum in meridie sitam opes & thesauros deportabant.
  - Describit qualis sit Aegyptus: videlicet non quæ protegere, sed quæ perdere moliatur. Habet enim Leones, Viperas, &c.
  - Docet sæpe monuisse Hierusalem ne spem poneret in Aegyptios, neue Legatos ad Pharaonem mitteret, sed ad ipsum Dominum humiliter conuersa quiesceret, certa quòd hoc faciens, robur sit inuentura in Domino Deo suo.
  - Mandat Dominus Prophetæ vt rebellis populi impietatem, perfidiam & contumaciam literis mandet, ad posteros vt sit testimonium de eo testificans, quàm ipse fideliter & sedulò saluti populi huius inuigilauerit, & quàm rebellis & contumax fuerit populus aduersus Deum. Vbi verò verba eorum recitat, spiritum magis eorum quàm verba exprimit.
  - Minatur illis contritionem & fugam, & causas assignat, ob quas hæc illis sint euentura, & vtitur vtrobiq; similibus.
- Proponit consolationem pro pijs & resipiscentibus. Vbi
  - Rationem reddit patientiæ & longanimitatis Dei, qua fiebat vt flagellum, quod illis imminere prædicabat, differebatur, id quod illis causam præbebat obstinatius & securius in rebellione pergendi.
  - Exclamatione vtitur, extollens fidem & veritatem Dei, pariter & fœlicitatem fidelium certa spe misericordiam Dej expectantium.
  - Promittit liberationem, lætitiam, misericordiam & exauditionem à Domino manentibus in ciuitate Hierusalem, illumq; expectantibus. Refert autem ista per apostrophen ad ipsum populum.
  - Promittit illis doctorem: etsi enim includendus sit populus Iuda per Assyrios in ciuitatem Hierusalem, pane angustiæ & aqua tribulationis vsurus, Doctores tamen veros illis dabit Dominus, quos iam, non vt antea, audituri sint.
  - Prædicit Iudæos, auditis Doctoribus suis, abiecturos sculptilia & idola, quæ comparat scorto, perpetuo monstro abominabili.
  - Promittit insignem fertilitatem terræ, quæ futura sit à Domino tempore conuersionis, obedientiæ & repudiatæ idolatriæ.
- Vaticinatur de plaga, & seq. Vide literam A.

Vaticinatur

A. Vaticinatur de plaga exercitus Assyriaci, de quo ca. 37. infrà, deq; liberatione & gaudio populi Hierusalem. Vbi

Innuit futuram in die cædis magnæ, id est, quo tempore Dominus magna cæde percutiet Regem Assyrium, tantam tempestatem & vim imbrium, vt non sit mons aut collis, qui non habeat riuos currentium aquarum. Per turres intelligit Principes ac Duces à Domino cæsos.

Hyperbolica locutione magnificentiam & gloriam diuini auxilij exprimit, quòd tam amplum & magnificum futurum sit, vt tempore illius duo illa mundi luminaria, Luna & Sol, velut populo liberato congratulatura, solito sint hilariora & illustriora futura.

Aduentum Angeli vaticinando describit, quem missurus erat Dominus ministrum iræ suæ contra Assyrios. Hic ergo nomen Domini vocatur Angelus nomine Dei venturus.

Describit futuram tempestatem sub persona Angeli iræ Dei ministri. More autem humano tribuit illi quasi bellatori vehementer in hostes commoto, faciem ardentem, labia frementia, linguam ad vorandum exertam, & spiritum, id est, flatum oris concitatum, ad quiduis subuertentem, perinde acsi torrens quidam rapidissimus ex ore illius prorumpat.

Immiscet de futuro liberatorum gaudio, & comparat illud lætitiæ, qua dies festos populus ille inchoare & sanctificare solebat.

Redit ad descriptionem tempestatis.

Exponit quid per ea, quibus futuram tempestatem descripsit, vellet, & quosnam cædes hæc magna concerneret.

Exprimit quàm firmus sit baculus Assyrios percutiens: Erit enim fundatus, inquit, & plagam altissimè infligens, idque leui negotio: vt si quis cum tympanis & cytharis rem perficeret, quasi per ludum, non tormentis bellicis, leui quadam velitatione bellica.

Collatione quidam significat stragem hostium fore maximam. Tophet enim erat in suburbijs ciuitatis Hierusalem in valle filiorum Ennon, vbi erat maxima idolorum immunditiès, vsqueadeò vt & filios suos Iudæi illic in holocaustum Baalim & idolo Moloch comburerent. de quo Hieremiah 7. 19. & 2. Regum 23. ob quam causam Tophet ista erat Deo vehementer inuisa. Quod igitur dicit: Quoniam disposita est ab heri, id est, iam olim Tophet etiam ipsi Regi, exercitui videlicet Regis parata est, &c. ad rogos illos igneos respicit, quibus impij filios suos dijs Gentium in gratiam Regum Assyriorum & aliorum sacrificantes comburebant. Et hisce comparat futuram vltionem Assyriorum: quasi dicat, habet & Dominus suam Tophet, iam olim dispositam, & hosti suo Regi Assyrio paratam. In illius gratiam erecta est Tophet à populo rebelli, in qua dijs Gentium filios comburunt, & Dominum irritant. Inueniet etiam hostis ille etiam sibi vicissim paratam Tophet, in qua sacrificabitur & mactabitur ipsius exercitus.

Dispositio capitis 31.

PARTES Cap. 31.

Minatur vltionē Domini descendentibus in AEgyptum, de quo & præcedentibus cap. Vbi

- Perstringit eos, qui contempta promissione Dei, ac verbo eius, inconsultò in AEgyptum ad auxilia Pharaonis confugiebant.
- Innuit eos, qui auxilij quærendi gratia in AEgyptum descendebant, consilium hoc suum haberi voluisse pro magna sapientia, & contra doctrinam Prophetæ de fiducia in Deū collocanda, loco stultitiæ irrisisse. Contra hasce itaque sapientiæ illorum glorias subiungit Propheta: At ipse quoque sapiens est, &c.
- Prædicit futuram calamitatem illorum, & non Assur modo, sed & Deum contra eos pugnaturum.
- Rationem reddit eius quod dixit, & vtitur similitudine leonis ad prædam egressi.

Prædicit liberationem populi sui resipiscentis, & conuersionem ad Dominum à quo declinauerant.

Vatinatur de interitu, fuga & ruina exercitus Assyriaci. Vbi electos Regis vocat Duces & bellatores, hos & Petram appellat.

Dispositio Capitis 32.

PARTES Cap. 32. Vaticinatur de

- Iusticia, quæ futura erat sub rege Ezechia Vbi
  - Promittitur Rex alius iustus & legitimus, qui regnaturus sit, non ad libidinem, sed ad insticiam sine vlla personarum acceptione faciẽdam. Non autem Rex tantùm ad iusticiam regnabit, sed & Principes ac Iudices illius studio iusti iudicij dediti erunt.
  - Quantæ sit refocillationis subditis suis futurus Rex iste, similitudinibus quibusdam exprimit.
  - Recenset beneficia Dei data populo sub Ezechia: quòd scilicet oculi, aures, cor, & lingua, non nisi ad laudem Dei referantur.
  - Prædicit tempore restitutionis & conuersionis sub Rege hoc pio, haudquaquã fore in honore eos, qui antea benefici & magnifici Domini salutabantur, cùm essent homines stulti, auari, malitiosi, & iniqui. Viros autem beneficos apprimè prosperaturos.
  - Reddit rationem quare in restitutione futura non sit beneficus & magnificus vocandus amplius, qui stultus est & auarus.
  - Exponit quomodo stulti illi animas famelicas euacuauerint. Vbi per vasa, vel arma, artes: id est, dolos Principum ac Iudicum intelligit.
- Vastatione terræ Iuda, quam illaturi erant Assyrij. Vbi
  - Alloquitur ciuitates populi Dei, quas vocat mulieres & filias, ac monet vt surgant: id est, euigilent, & vaticinium suum de malis paulò pòst futuris percipiant: id quod in geminatione seriò inculcat.
  - Significat quietem & rerum tranquillitatem, vnà cum confidentia ipsorum haud amplius integrum biennium duraturam.
  - Rationem reddit eius quod dixit: Turbabimini. Vbi minatur sterilitatem omnimodam lactis, frumenti, vini, turbationem animorum, expoliationem bonorum & facultatum, nudationem corporum, accinctionem lumborum, vastationem terræ, domuum, ciuitatis, palacij, arcium, & munitionum.
- Restitutione rerum Iudaicarum: sub Ezechia, in typo: in veritate, in regno Christi. Vbi
  - Promittit spiritum gratiæ, ac vim futuræ gratiæ, ac efficaciam. Hoc sensu metaphorico adumbrat Carmel, pro loco fertili sumitur. Desertum, pro loco omnium sterilissimo. Desertum ergo vocat eos, qui omni pietatis & iusticiæ prouentu destituebantur, qui tum fiant instar agri fertilis. Carmel autem eos primùm vocat, qui fertiles esse putantur, cùm tamen reipsa veræ iusticiæ expertes tum temporis deprehendantur. Hanc metaphoram sequenti versu vates exponit. Vbi per Carmel intelligit iam eos, qui antea desertum fuerant: verùm per Spiritum Christi in Carmel mutabuntur.
  - Commemorat fructum veræ pietatis & iusticiæ, quem ex illa homines pij ac iusti, pro bonitate Dei in Christo seruatore referunt.
  - Prædicit vastationem terræ Iuda, obsessionem ac humiliationem ciuitatis: & hæc vocat grandinem descendentem in syluam impiorum.
  - Promittit superstitibus in Hierusalem magnam rerum prosperitatem post calamitatem illam Assyriacam. Quod verò dicit: Seretis super aquas, loquitur respectu terræ AEgypti, in qua sementes sunt vberrimæ, propterea quòd ad riuos aquarum seruntur.

Dispositio Capitis 33.

PARTES Cap. 33.

- Minatur vastationẽ vastatori Sennacherib. Vbi
  - Alloquitur Regem Assyrium, illique vices talionis omnium iustissimas comminatur.
  - Innuit tyranno Assyrio sicut & alijs mensuram quandam tyrannidis præfixam, qua completa, iudicio Dei subijciatur.
  - Immiscet precationem ad Deum vt suos liberet, hostes verò perdat.
  - Precationi subiungit vaticinium, de eo quod precando à Domino petijt. Id facit per apostrophen ad Assyrios, de quorum spolijs colligendis vaticinatur. Vt verò magnã illorum stragem significet, explicat id similitudine bruchorum & locustarum collectarum, quæ vel igni tradentur vel in fossas adijciuntur.
  - Immiscet vaticiniũ de regno Ezechiæ, quòd attinet ad studiũ iudicij & iusticiæ in illo obuenturum.
- Describit tribulationem quæ futura erat ab Assyrijs, cuius & suprà meminit. Describit autem eam, non qualis futura erat in se, sed qualis ex clamore & fletu nunciorum erat percipienda. Vbi recitat quid nuncij pacis reuertentes à Rege Assyrio vociferaturi, ac cum eiulatu enunciaturi sint. Desolatæ, inquit, sunt viæ: id est, quocunque iter fecimus, cuncta desolata reperimus, &c.
- Minatur iterum Regi Assyrio duo: primum, irritos fore conatus illius: alterum consilium & fastum cordium ipsorum allaturum ipsis exitium. Hic Apostrophen facit ad Assyrios in persona Dei.
- Potentiam Dei, & seq. Vide literam A.

Potentiam

A. potentiam Dei celebraturus, qua percussurus erat Assyrios, omnium tam remotorum quàm vicinorum animos ad audiendum, & cognoscendum seria acclamatione sub persona loquentis Domini excitat. Vbi

- Prædicat impios omnes, qui tum erant in Sion, primores & iudices metu aduentus Assyriorum expauescendos, ac consternandos fore, ac dicturos: Quis nostrum perdurare poterit cum igne deuorantem, &c.
- Innuit non eandem esse sortem iusti, quæ sit iniusti. Nã qui ambulat in iusticia tutus ac securus erit: secus verò, qui secus facit.
- Insultat illis qui tributa Assyrijs pendenda colligere consueuerant: Vbi, inquit, scriba? &c.
- Monet ne respiciant populum Assyriorum, quòd sit tam ferox, crudelis, fortis, & linguæ peregrinæ.
- Subijcit quò oculos mentis suæ dirigere debeant.
- Rationem reddit eorum quæ suprà dixit: sumit autem hanc de peculiari gratia, secundùm quam Deus non totum orbem, sed populum hunc Israel in peculium assumpserat.
- Alloquitur Regem Assyrium, futurumq; prædicit vt non diu obsideat Hierusalem, sed statim cedat in prædam & direptionem, percussus à Domino. Vbi per funes, tentoria intelligit, quæ laxabantur: id est, haudquaquam firma erunt. Per vela, vexilla intelligit.
- Ostendit quàm futuri sint alacres & industrij habitatores Sion, ad persequendum ac diripiendum hostes, vt nullus omnino dicat: Ego sum claudus, ego ægrotus, non possum exire ad persequendum hostes.
- Subijcit quomodo sperandum hoc sit, quòd seruaturus sit Dominus populum suum, cùm sit illius Iudex propter rebellionem illius: Condonabit, inquit, illis omnem offensam: ideoq; placatus eripiet eos de manu Assyriorum.

Dispositio Capitis 34.

PARTES Cap. 34.

Habet comminationem grauissimam, qua Propheta in genere Gentibus, à quibus populus Domini affligebatur, vltionem Dei minatur. Vbi

- Conuocat omnes gentes ad audiendum.
- Subijcit quid audire debeant: videlicet quòd ira Dei est super cunctas gentes.
- Hyperbolica locutione exaggerat iram Dei contra gentes. Tantam enim iræ Dei vim exprimit, vt horrorem illius cœlestia etiam, id est, Sol, Luna, Stellæ, sensura esse videantur. Ac cœlum videatur complicari instar libri, ne immanem Gentium cædem videre cogatur.

Prædicit iudicium Dei Edomitis. Vbi

- Inducit Deum oraculo suo prædicta confirmantem, vbi gladius inebriandus, vltionem Dei instar ebrij inflammandam significat.
- Exaggerat vltionem Domini, vbi per agnos, hircos, &c. plebem & potiores inter Edomitas. Per vnicornes autem & iuuencos feroces Principes & Duces ac viros bellatores, intelligit.
- Reddit rationem eorum quæ ventura super Edomitas prædixit.
- Prædicit terræ Edom, præcipuè vrbis Bozra vastitatem, desolationem, non simpliciter ac paucis, sed planè hyperbolica exaggeratione & hypotyposi. Solenne autem est Prophetis, vt cùm vastationes terrarum & vrbium prædicunt, exaggerandi gratia vel comparant eas incendio Sodomæ & Gomorrhæ, vel spinas, vepres, & vrticas in illis exuperaturas, vel bestias ibi syluestres mensuras dicant. Sic facit & hic vates.
- Inuitat posteros ad certam vaticinij huius comprobationem, & addit rationem. Vbi librum Domini volumen huius vaticinij intelligit. Vocat hoc librum Domini, quia verbum non erat loquentis Prophetæ, sed inspirantis Dei, cuius etiam Spiritu scriptum est.

Dispositio Capitis 35.

VATICINATVR de fœlicitate populi Dei, quam ille experturus erat, postquam de manu hostili esset liberatus. Vbi

- Amplitudinem futuræ fœlicitatis populi proponit, quòd non homines tantùm tristes, afflicti & calamitosi, sed & ipsæ solitudines admodum sint gauisuræ.
- Vsum vaticinij huius aperit, alloquens per apostrophen homines pios in populo Dei, ac iubens vt pusillanimes confirment & erigant, & addit qua ratione id faciant.
- Prædicit futurum vt cæcitas populi, surditas, claudicatio & linguæ stupiditas auferatur ab eis, sintq; videntes, audientes, rectè ambulantes, & in laude Dei iubilantes.
- Redit ad ea quæ initio capitis de solitudine & deserto dicere cœperat. Vbi docet viam quoque aperiri ad montem Sion, quam viam propter cultum Dei in Sion vel Hierusalem exequẽdum, sanctam vocat, quæ pollutos iuxta Legis præscriptum non recipiat. Per stultos autem hic intelligit homines imperitos viarum, & rudiores quàm qui ex situ regionum de vijs iudicare possint. Per hoc ostendit, quàm futura sit trita via illa ad montem Domini.
- Docet curaturum Dominum vt via hæc sancta, per desertum ad montem Sion tendens, aliena sit ab omnis generis sæuis bestijs, ac tantam fore illorum multitudinem & frequentiam, qui via hac vtantur, vt bestiæ illam ferre non valentes, aliò sint migraturæ.
- Adijcit qui nam essent per viam deserti, & quo ambulaturi. Redemptos autem vocat, non aliquos tantùm ex illo populo, sed omnes eos qui post cladem Assyriorum superfuturi erãt, quòd essent à Domino liberati.
- Promittit redemptis gaudium, non momentaneum ac fluxum, sed perpetuum: id est, duraturum: significans solidam fore salutem illorum, hoste sic percusso, vt posthac non esset amplius quicquam contra ipsos moliturus.

Dispositio Capitis 36.

EXPONIT quomodo Rex Assur, captis omnibus ciuitatibus Iuda, Rabsacen ad obsidendum Hierusalem, grãdi cum exercitu miserit, & quas ille voces contra Deum & Ezechiam Regem, minaci ac superbo spiritu effuderit. Vbi describitur

- Tempus quo hæc gesta sunt.
- Persona Regis Iuda.
- Persona Regis Assur, qui Hierusalem obsederat per Præfectum suum Rabsacen.
- Ciuitatis obsessio.
- Legatio Regis Ezechiæ.
- Oratio Rabsacis ad Legatos Regis, quæ exprobratio quædam est inanis ac stultæ fiduciæ, quam obiecit Ezechiæ Regi, homo superbus & gloriosus nomine Regis Assur magno cum contemptu. Vbi
  - Recenset species aliquas fiduciæ, quibus Ezechiã stultè niti iudicat, qua
    - Putet se verbis posse suos animare: & efficere ne se dedant Assyrijs.
    - Ab Aegypto pendeat. Quamuis nihil huius agebat Ezechias: erant tamen ex primoribus regni, qui contra inhibitionem propheticam, ad auxilia Aegyptiorum confugiebant.
    - In Deum confidat. Quomodo enim Deus illum eripiat, cuius cultum diminuerit, altaria illius diruens?
    - Fidat in paucitate suorum equitum.
  - Infert expeditionem hanc bellicam, qua Rex Assyrius contra regnum Iuda ad perdendum illud ascenderat, ex ipsius esse Dei voluntate susceptam. Quod quidem verum erat, sed non per omnia. Non enim iusserat Dominus vt perderet terram Iuda prorsus, sed vt castigaret.
- Oratio, Silentium, Reditus, & seq. Vide literam A.

Oratio

A.
- Oratio eiusdem ad eos qui erant in muro: in qua
  - Persuadere nititur ne Regi suo obediant.
  - Præscribit quid facere debeant.
  - Promittit vtilitatem pacis & securitatis.
  - Aperit consilium Regis, quid de Hierusalem statuerit. Volebat enim reddere suæ alicuius Gentis coloniã, & populum in Assyriam transferre, ad exemplum decem Tribuum, quas Salamanasser, pater ipsius, in seruitutem abduxerat.
  - Confert Deum Israelis dijs Gentium, & arguit ex illorum impotentia, hunc quoque impotentiorem esse, quàm qui ipsos liberare possit.
- Silentium eorum qui in muro erant.
- Reditus *Legatorum* tristis.

Dispositio Capitis 37.

PARTES Capit. 37.

- Narrat quid fecerit Ezechias Rex.
  - Scidit vestimenta sua. Hæc scissura non erat metus, sed doloris. Non tam morabatur minas hostis, quàm blasphemia nominis Dei cruciabatur.
  - Opertus est saccis. Saccus lugentium ac humiliantium se, erat indumentum.
  - Venit in domum Domini.
  - Legatos misit ad Esaiam cum mandatis: sciebat enim Prophetam Domini esse, & eius orationes singulari prærogatiua efficaces esse in conspectu Domini.
- Narrat quid Esaias ad legationem Regis responderit. Vbi
  - Consolatio diuini oraculi ponitur, & erectio animi prostrati, dum hortatur vt timorem ponat.
  - Promittitur obsidionis solutio, & percussio Regis Assur.
- Narrat quid Rex Assur Ezechiæ Regi nunciauerit, qui eandem planè cantilenam repetit, aperto ridu, blasphemiam contra Deum viuentem euomens.
- Quid Ezechias fecerit, acceptis literis Regis Assur.
  - Ascendit in domum Domini.
  - Orauit, præmissis elogijs Dei.
- Præmissæ orationi Ezechiæ subijcitur responsium ex oraculo diuino per Prophetã. Vbi
  - Nunciatur Ezechiæ orationis exauditio: deinde quid contra regem Assyrium decreuerit.
  - Reprehenditur impietas & superbia Regis Assur, qua non erat veritus sancto Israelis exprobrare & insultare.
  - Reprehenditur stultitia iactantiæ præmissæ, per expositionem eorum, quæ sibijpsi Rex Assur falsò vendicabat, cùm hæc omnia potentiæ ac consilio Dei adscribere debebat.
  - Fit apostrophe consolatoria ad Regem Ezechiam & populum eius: vt autem fidem eius ac fiduciam confirmet Propheta, subijcit oraculo signum. Datur autem illi signum de victu, de quo pio Regi non modica erat sollicitudo, vnde alimonia futura esset obsessis, si protrahenda esset obsidio. Hoc signum erat certum argumentum futuræ liberationis & adimpletionis eorum quæ Regi Assur minatur Dominus. Cõmodum sanè erat hoc signum, quo non modò fides oraculi confirmatur, sed & curis alimoniæ obsessis necessariæ succurritur.
  - Promittitur reliquijs istis modicis vt fœlici incremento & prospero rerum successu ad pristinam sint rediture multitudinem, & iustum regni statum recepturæ.
  - Comparat reliquias illas arbori, abscissis ramis supernè vastatæ, & radicibus arescentibus infernè, omni propè humore destitutæ. Ac prædicit futurum vt arbor hæc miserè afflicta, radices mittat deorsum, & fructum ferat sursum: id est, vt reliquiæ illæ populi Iudaici perpaucæ & infirmæ, beneficio Dei multiplicentur & augescant.
  - Promittit liberationem ciuitatis.
- De plaga, fuga & interitu Regis Assyriaci & exercitus illius.

Dispositio Capitis 38.

Partes Capit. 38. De

- Aegrotatione & oratione Ezechiæ Regis. Vbi
  - Proponitur legationis diuinæ summa planè dura & legalis: idque per Prophetam Esaiam.
  - Recensetur oratio Ezechiæ & fletus. Hic verò non ad merita operum suorum confugit, licet operum suorum mentionem faciat, sed circumstantiæ quædam animum eius arctabant. Abstulerat omnis generis falsos cultus, idola, aras, & serpentem æneum. Ea res à multis ipsi impietatis loco deputabatur, sicut etiam à Rabsace, suprà cap. 36. Erat ea tentatio admodum grauis, contra quam pugnabat animus Regis, fretus conscientia recti, præsertim cùm & morbus lethalis, & sententia mortis à Domino per Prophetam denunciata, iram Dei significare viderentur. Veretur etiam, ne si moriatur, inuratur sibi hæc diffamia, quasi non seruierit Deo, falsos cultus abrogando, sed oculos illius magis offenderit sacra sua dissipando. In hac pugna constitutus, constanti conscientia recti fretus, dicit: Obsecro Domine, &c.
  - Subijcitur orationis efficacia, & promittitur liberatio à grauibus illis malis, quibus tum premebatur: id est, à morbo lethali & hoste crudeli.
  - Adijcitur promissioni signum, quo facilius pius Rex credat, Dominum id esse facturum quod dixit. Vbi decem gradus, decem horas significari putant, quibus diem illum cæteris prolixiorem esse Dominus voluerit. Apparet autem in gradibus quos fecerat Achaz, fuisse horologium insculptum, quod hanc ob causam vocârint gradus Achaz.
- Cantico laudis Ezechiæ. Vbi
  - Ponitur epigraphe carminis, quæ habet, quis, & quando canticum hoc scripserit.
  - Exprimuntur cogitationes cordis, metu, sensu ac iudicio mortis percussi, quas videlicet in summa anxietate constitutus fuerat expertus.
  - Celebratur gratia restitutionis, per quã seruatus fuerat. Vbi
    - Significat clementiam erga se Domini maiorem esse, quàm vt ad celebrandam eam sufficiat.
    - Significat Deum promisisse illi sanitatem per Prophetam & præstitisse.
    - Innuit se non obliturum vnquam, quantam sit in morbo suo amaritudinem perpessus, sed memoraturum potius omnibus.
    - Prædicat mala preterita ac beneficij magnitudinem.
    - Reddit rationem cur Deus illum sanitati restituerit, quòd viui non mortui laudent Dominum.
    - Concludit canticum epiphonemate & voto animi, ad gratias perpetuò agendas parati.
- Medijs curationis Ezechiæ Regis.

Dispositio Capitis 39.

Partes Capit. 39.

- Narratur legatio Regis Babel, qui cupiebat societatem fœderis.
- Describitur ostentatio gloriæ & magnificentia Regis.
- Memoratur quàm displicuerit Domino, quamque stultum fuerit factum Ezechiæ, & quam illi calamitatem per Prophetam denunciarit. Quod quidem Ezechias boni consulit, & solatur seipsum promissione Dei, quam acceperat à Prophetâ, qua promiserat Dominus quòd vellet Hierusalem protegere propter se.

Dispositio

Dispositio Capitis 40.

PARTES Capit. 40.

- **Consolatur fideles in captiuitate Babylonica futuros. Vbi**
  - Alloquitur Prophetas, quos illo captiuitatis futuræ tempore missurus erat ad populum, & quid agere debeant, præcipit. Tria autem dicit, de quibus circa finem captiuitatis Babylonicæ persuadendum sit populo captiuo. Primum quòd tempus captiuitatis eius sit impletum. Secundum, quòd iniquitas eius sit remissa. Tertium, quòd abundè satis pro peccatis suis sit castigatus. Hoc vocat duplicia accipere de manu Domini propter peccata.
  - Prædicit Deum missurum esse, qui redeunti populo ex captiuitate iubeant parari viam per desertum, qua inoffensè & expeditè ad montem Sion ex Babylone redire possit. Transfertur hic locus ab Euangelistis ad Ioannem.
  - Promittit reuelationem gloriæ Dei.
- **Deprædiat gloriam & potentiam reproborum: idque diuino oraculo. Vbi de**
  - Populi, cui prædicabat Vates, vita & gloria prædicat, quòd sit caduca & fluxa.
  - Verbo Dei clamat, quod sit stabile & firmum in sempiternum. Hoc ipso mentes piorum erigit, consolatione ex verbi Domini stabilitate desumpta.
- **Iubet euangelizare de aduentu liberatoris Dei. Vbi**
  - Alloquitur ciuitatem è captiuitate restituendam, & quod erat tempore restitutionis suæ factura magno cum gaudio, id eam facere iubet.
  - Monet vt annunciet magna voce omnibus venisse Dominum cum magna potentia & gratia.
  - Vaticinatur de subuersione Babel, quam mercedem eius appellat, quòd eam, vt merita erat, illi retribuit.
- **Vanitatem idolorum perstringit. Vbi**
  - Omnipotentiam ac maiestatem Dei, qua cuncta sunt inscrutabili sapientia inde ab initio creata, amplificat, vt admoneat omnium esse stultissimos eos, qui incomprehensibilem diuinitatem imagine aliqua exprimi posse putant. Obijcit autem fabricatoribus & cultoribus idolorum, mare, cœlum, terram, montes, &c. & vrget eos grauiter, an nesciant quis & quantus sit ille qui hæc omnia condidit.
  - Illustrat sapientiam, potentiam & maiestatem Domini interrogando.
  - Exprimit propositum cum apostrophe insultatoria ad carnales Iudæos, quorum animi procliues erant ad idolatriam: & infert absurdissimum esse, tantam veri Dei maiestatem assimilare sculptili ex auro, argento, vel ligno, operi manuum hominum. Hæc dicit vt antidotum paret contra tentationes futuras. Nam inter gentes, ad quas erant in exilium transferendi, regnabat hæc stultitia. Quare visum est Spiritui Sancto perstringere illam.
  - Exprobrat illis putidum ac impijssimum simulachrorum studium, ac orditur ab aureis & argenteis imaginibus.
  - Subijcit de imaginibus ligneis, & perstringit, authores, materiam, opificem, & imbecillitatem imaginum.
  - Significat se non obscura loqui, sed iam olim populo Dei manifestata.
  - Redit ad illustrandam potentiam & maiestatem Dei in cœlis & in terra passim relucentem. Vbi habitatores terræ comparat locustis: respectu enim Dei, locustæ censendi sunt. Principes autem comparat gramini, quod nec plantatum sit, nec satum, sed obiter ac sponte sua natum, leuiter ex superficie terræ prouenerit, radices non habens ad ima terræ demissas, quibus contra vim venti vrentis consistere possit.
  - Monet vt cœlum inspiciant, & cognoscant quis ille sit, qui hæc condiderit.
- **Exprobrat Israelitis desperationis tentationem, à prolixa exilij mora sumptam. Vbi**
  - Vtitur apostrophe ad ipsum populum Israel in genere, & exprobrat illis verba desperationem spirantia, quæ non tum cùm ista concionaretur, sed tempore futuri exilij erant in ipsa desperationis tentatione eiaculaturi.
  - Monet populum ne putet incognita esse Domino quæ illi erant euentura. Vbi via pro diuturnitate ac frequentia passionum ponitur.
  - Obijcit populo exprobrationem crassæ ignorantiæ haud sine stupore: idque per interrogationem.
  - Confirmat quod dixit, non lassari Dominum, &c. idque ex ipso diuinæ potentiæ opere, quo lassis & infirmis virtutem & robur subinde suppeditet.

Dispositio Capitis 41.

PARTES Capit. 41.

Disceptat sub persona loquentis Dei cum Gentibus prouocãs cultores deorũ alienorum ad experimentum potentiæ diuinæ. Vbi

- Reijcit potentiam insularum: id est, Gentium, quæ insulas incolunt, significans eas nullarum erga se esse virium. Vbi verbo tacendi vsus est, pro verbo quiescendi, seque cohibendi & abdendi, quemadmodum facere solent, qui metu potentioris perculsi quiescunt.
- Post reiectos insulanos, reliquos populos prouocat ad iudicium.
- Quasi iudicio contendens cum Gentibus, maiestatis suæ virtutem reipsa comprobatam asserturus, adducit in medium ex innumeris illis experimentis rem haud obscuram, sed illustrem pariter & cognitam: opus videlicet gratiæ suæ quam in hominem iustum inde ex Oriente euocatum declarauit. Loquitur autem de Abrahamo; opus hoc gratiæ quatenus hoc loco memoratur, trimembre est. Habet enim excitationem, vocationem & singularem protectionem Abrahæ.
- Subiectione vtitur, interrogans quis hæc fecerit, quis dederit Abrahamo in manus Reges, &c. respondet Dominus, se hæc omnia fecisse.
- Minatur Gentibus futurum vt gloriam maiestatis suæ magno cum pauore videant.
- Prouocat iterum Gentes idolatras, & perstringit nominatim opifices idolorum, quorum quatuor genera nominat, fabros statuarios, fusores, expolitores, & fabros ferrarios. Hoc genus hominum multum quæstus auferebat ex fabricatura simulachorum: ideoque singulari studio ad defendendum illorum cultum ferebatur.

Populum suum Israelem consolatur Dominus. Vbi

- Compellat populum suum verbis amicissimis, & ad hoc accommodis, vt animos etiam abiectissimos erigere & confirmare valeant: proponit autem illis duas res: vnam, quòd essent semen Abrahæ amici sui: alteram, quòd elegerit, vocauerit & apprehenderit: Primùm, ipsum Abrahamum ab extremis terræ: deinde, & ipsos posteros illius non repudiauerit, sed in seruos suos elegerit.
- Monet ne timeant, & subijcit rationes: quia Deus eos proteget, perdet verò hostes & confundet.
- Promittit populo suo contritionem hostium, quòd illos perinde conterat, ac si quis tellurem tritura noua ac dentata comminuat. Per montes & colles intelligit principes & magnates.
- Promittit populo suo protectionem ac fertilitatem insignem, omnibus vbique locis obtinentem, & ostendit in quem finem hoc faciat: vt videlicet manus suæ virtutem, & beneuolentiam erga populum Israel cognoscant, inque fiducia erga se confirmentur.

Prouocat Deos gẽtium ad iudicium, de probãda diuinitate subeundum. Vbi

- Falsos deos ad certamen prouocat, vt probent se deos esse.
- Ponit argumenta quædam, eaque non vulgaria, sed talia quæ omninò veram diuinitatem comprobant. Ea sunt, primùm, quæ sunt euentura posse prædicere: alterum, bene posse facere bonis, male malis.
- Pronunciant quid sint idola & quid de illis veraciter sentiendum sit.
- Opponit diuinitatis suæ argumenta vanitati falsorum deorum, quæ tum maximè declaraturus sit quando ab Aquilone, & ab ortu Solis quos velit excitabit, illiq; excitati adsint, & imperata faciant. Videtur autem de Cyro loqui, quem excitaturus erat Dominus contra Principes Babylonis.
- Redit ad argumentum præscientiæ diuinæ, & opponit se dijs mutis: Ego, inquit, ventura prædico antequam fiant, vos prædicere ventura non potestis.
- Ad seipsum loquitur Dominus, & de dijs falsis pronunciat: Ego, inquit, consydero & examino, sit ne quisquam vel inter ipsos Gentium deos, qui rebus afflictis consulat, & vrgeo vt ad obiecta respondeant, verùm non est quisquam ex illis qui vel cultoribus suis consular, vel mihi respondeat vnum.
- Pronunciat iterum quid de dijs Gentium, deque operibus & simulachris eorum sit sentiendum.

Dispositio

Dispositio Capitis 42.

PARTES Cap. 42.

- Vaticinatur de Cyro, in typo: in veritate, de Christo: idq; vt exéplo probet se prædicere posse futura, quod dij falsi facere nô possunt. Vbi
  - Prædicit susceptæ dispensationis Christi obedientiam, propter quam Christus vocatur à Patre seruus, cùm naturâ sit Filius vnigenitus, quem Pater missurus erat in Mundum, Spiritu suo ad iudicandum & seruandum instructum.
  - Describit regnum Christi, quòd diuersum sit à strepitu regni mundani. Nihil habet fastus, nihil pompæ, nihil violentiæ. Erit humile, & ab oculis mundi absconditum. Neminem Rex ipse fastidiet, ne Publicanos quidem & peccatores, totus ad saluandum propensus, qui quod cœpit, perficiat, neque cœpto desistat, donec sedem, id est, Ecclesiam, sibi paret: & Iudicium, id est, verbum suum confirmet.
  - Tribuit Deo sua elogia, qui hæc de Christo prædicit.
  - Alloquitur Christum per apostrophen, ac exprimit officium dispensationis Christi. De quo tria ponit: primum, quòd sit legitimum: secundum, quòd sit firmum: tertium, quorsum sit destinatum. Vbi trium meminit, fœderis, illuminationis & liberationis.
  - Contendit se solum esse verum Deum, nec passurum, vt diuinitatis suæ gloriam alteri cuipiam tribuere dignetur. Vindicat autem sibi veram diuinitatẽ, ex eo quod suprà cap 41. loco argumenti ad comprobandam diuinitatem dijs gentium obiecit.
- Inuitat quosuis ad doxologiam Deo cantandum.
- Inuehitur adhuc contra Deos gentilium & illorum cultores, & minatur futurum, vt Deus tandem enormi, irremissa, ac diuturna illorum impietate, pariter ac iniquitate victus, rupta patientia sua, ac zelo cùm populi, tum nominis sui accensus, feratur in hostes, & contra eos inualescat. Loquitur autem de ira illius, qua vastaturus erat Babyloniam, ac suos de manu illius erepturus. Vtitur verò hypotyposi, qua per simile gigantis vehementer commoti, iram Dei in hostes suos grassantis, velut ob oculos exponit. Vbi minis vltionis annectit diuersitatem eorum, quæ erant, destructa Babylone. Primùm populo suo captiuo, quem hic cæcum vocat: deinde idolatris, ac simulachrorum cultoribus euentura.
- Hortatur Propheta, accusat & increpat populum Domini, minaturq; futuram illius captiuitatem. Vbi Sacerdotes vocat nuncios & perfectos.

Dispositio Capitis 43.

PARTES Capit. 43.

- Consolatur dominus & erigit populum suum. Vbi
  - Excitat populum Israel, vt Dominum Deum suum loquentem sibi, & cuncta salua & firma promittentem, attentiùs audiat.
  - Monet ne timeant, quemadmodum & suprà cap. 41. Et adijcit argumenta concipiendæ fiduciæ, & timoris huius excutiendi.
  - Promittit præsentiam suam, qua succurrit illis in quibuscunque fuerint periculis.
  - Magnificæ promissioni rationem subijcit, omnium firmissimam: Quia ego, inquit, seruator tuus, &c.
  - Comprobat id quod dixit exemplo recenti, pariter & luculento: quasi dicat, Cõprobaui me esse Deum tuum, quando redemi te de manu Assyriorum, dans illis Aegyptum, Aethiopiam & Sabam, præcium redemptionis tuę, quo vastatis illis, tu seruareris. Loquitur autem de eo, quòd Sennacherib relicta Hierosolyma in Aegyptum castra mouere coactus fuit, qua expeditione Aegyptios & Aethiopas attriuit.
  - Exponit hoc factum cum reddita illius ratione.
  - Iterum præsentiam suam & opem in quibuscunque periculis paratam promittit.
- Disceptat contra gentes, & deos gentiliũ, contẽdens esse se solum & vnum Deũ. Vbi
  - Arguit non esse quenquam ex dijs gentium, qui, quod futurum est, indicet.
  - Requirit testes, quibus probent se deos esse.
  - Sistit ipse suæ diuinitatis testes, non cœlum, terram, mare, &c. sed suum populum, In quo diuinitatem suam innumeris experimentis omnium certissimè, non vno & altero, sed multis retrò sæculis comprobauit.
  - Exprimit quid de se testificari debeant.
- Vaticinatur, Disceptat, & seq. Vide literam A.

- A
  - Vaticinatur de vastatione Babylonis, & eductione sui populi, vt quod antea dixerat: Facio, inquit, quid, & quis auertet illud? Exemplo comprobet. Vbi
    - Prædicit missurum se in Babylonem, scilicet Cyrum Regem Persarum, idque propter Iudæos è captiuitate reducendos. Per vectes intelligit omnes munitiones ciuitatis Babel.
    - Promissioni fidem facit, ex eo quod olim in gratiam populi sui fecit, cùm ex Aegypto eum educeret.
    - Monet populum, ne priorum & antiquorum recordetur: quasi dicat, tam erit ingens salus tua, qua vos è Babylone liberabo, vt illius respectu priora & antiqua obliuioni tradituri sitis.
    - Reddit rationem, quare priorum & antiquorum meminisse non debeant: breui, inquit, rem nouam faciam.
    - Promittit operam suam, qua fiat vt sine molestia omnes solitudines incommoditates superent.
    - Rationem exprimit, quare velit in deserto ponere flumina: videlicet non tam propter bestias, quam propter populum suum, vt ille itinere longo fatigatus potetur, & ob id laudes decantet.
  - Disceptat cum populo suo, & partim illi gratiam suã, partim maiorum ipsius peccata exprobrans, vltionem minatur. Vbi
    - Accusat eos tantæ stupiditatis, vt ne afflicti quidem ad se confugiant.
    - Deijcit cultum externum sine fide. Loquitur autem hic de calamo aromatico, qui erat deputatus, vel vnguento sacro, de quo Exodi 30. vel ad suffitum Sanctuarij. Vide Hierem. 6.
    - Exprimit rei indignitatem cum iniquitate coniunctam: quasi dicat, Ego nolui vt seruires & fatigareris in oblationibus & thure. At tu me seruire facis, & fatigas (loquitur humano more) in peccatis tuis. Laborabat enim & fatigabatur, cùm ferendo tum corrigendo ipsorum peccata.
    - Subiungit quomodo & se hac molestia & illos ab exitio liberet: Ego, inquit, non tu, deleo & expungo præuaricationes tuas: idque non propter sacrificia tua, sed propter me, ne per illas diutiùs fatigere, & si prosequar eas, te perdere cogar, sic rationem habeo bonitatis meæ, quam tu subinde peccando fatigas. Verbo delendi metaphoricè vtitur, ad similitudinem eorum, qui quod sine dolore videre non possunt, prorsus expungunt ac delent. Malunt enim semel delere, quàm perpetuò dolere.
    - Inuehitur in hypocritas & iusticiarios, qui, quòd nondum erant exterminati, non gratiæ Dei, sed suæ ipsorum tribuebant iusticiæ, peccata sua non agnoscentes. Hos prouocat ad iudicium, quia thronum gratiæ contemnebant.
    - Arguit eos ab origine, argumento ducto à minori ad maius. Adam peccauit, omnemq; posteritatem suam peccato inuoluit, & vos essetis puri? Per interpretes, Sacerdotes & Prophetas, erroneos intelligit.
    - Grauem vltionem Sacerdotibus, Principibus ac populis minatur.

Dispositio Capitis 44.

- PARTES Capit. 44.
  - Consolatur populum suum. Vbi
    - Monet ne timeant, sicut vt suprà.
    - Reddit rationem quare non debeat timere, & promittit posteritatis ipsius multiplicationem & pietatem. Vbi aquas & flumina, exponit spiritum, & benedictionem: terram aridam, semen populi. Vbi autem de futura illius pietate loquitur, duo professionis membra ponit: vnum ad ipsum Deum: alterum ad populum & Ecclesiam fœderis Dei refertur.
  - Disceptat pro vera diuinitate. Vbi
    - Arguit non esse quenquam præter se Deum, ex eo quòd non sit qui vocet, qui annunciet & ordinet sicut ipse. Vocat autẽ Deus dũ quod non est, vt sit producit. Annunciat dum futura, priusquam fiant, prędicit. Populum, seculi populos huius mundi intelligit.
    - Aperit quorsum pro vindicanda sibi soli vera diuinitate contra Deos gentium tantoperè contendat: ad hoc videlicet, vt populum suum in captiuitate Babylonica futurum, contra gentilium grauissimas tentationes præmuniat.
  - Perstringit, Facit, Vindicat, & seq. Vide literam A.

Perstringit

A.

- Perstringit idola. Vbi
  - Vanitatem eorum perstringit, qui idola fabricant, & colunt, quibus confusionem prædicit.
  - Recenset fabricaturam simulachrorum, & orditur à fabro ferrario, qui sculptori imaginum, Fabro videlicet lignario, instrumenta facit, quibus idola conficiat. Horum autem primum est securis, qua lignum succidit, vnde simulachrum facere statuit. Exprimit autem quomodo Faber ferrarius securim faciat: opera scilicet fabrili.
  - Facturam idolorum per partes recenset, & quibus instrumentis opus ad hoc habeat artifex, exprimit, vt lignum in figuram hominis transformet.
  - Sugillat idola ex ipsa materia vnde fabricantur. Nominat autem quatuor arborum genera, vnde solebant fabricare deos suos. Sunt arbores istæ infrugiferæ, & syluestres: nisi quòd de pinu meminit, quòd eam plantare consueuerunt opifices idolorum.
  - Ridet cæcitatem idolatrarum, qui quod Dei est, trunco tribuunt: adorationem scilicet & inuocationem.
  - Subijcit de incogitantia & stupiditate mentium illorum, & vnde sit tam crassa stupiditas, ostendit: ex eo videlicet, quòd Deus iusto suo iudicio idolatrarum corda obstipat.
- Facit apostrophen ad populum suum. Vbi
  - De hac idolorum vanitate commonefacit Israelem, & contra futuras tentationes præmunit.
  - Reddit rationem, quare debeat Israel memor esse eorum, quibus vanitatem idolorum perstrinxit. Et significat memoriam sui, vnicum ipsis fore munimentum contra tentationes idolatriæ.
  - Promittit futuram liberationem in eo, quod peccata populi se deleturum asserit. Deletis enim peccatis, tanquam captiuitatis causis, non poterit amplius durare captiuitas.
  - Interserit parenthesim ad hoc, vt magnitudinem futuræ lætitiæ, qua tempore redemptionis afficiendus erat Israel, hac orationis figura exprimat. Alloquitur autem omnia superiora, inferiora & intermedia, quæ Dominus ad laudem nominis sui inuitat, vt non homines modò, sed & vniuersam cœli terræque machinam, hanc tam insignem & præclaram Israelis redemptionem, ad laudem redemptoris permouere posse, significet.
- Vindicat sibi diuinam virtutẽ futuræ restitutionis, & Cyri quoque ex nomine mentionem facit. Vbi
  - Tribuit sibi soli, non modò plenam omnium potentiam, sed & vniuersalem rerum omnium gubernationem.
  - Adducit huius rei exemplum, quod in ipsa cœli terræque machina luculentissimè expressum, omnium est toto terrarum orbe mortalium oculis expositum.
  - Redit ad propositum, cuius se gratia omnia facere dixit. Erat autem illud geminum, partim destructionem Babel, partim restitutionem Sionis concernens. Per diuinatores & Ariolos, intelligit idolatras Babylonios. Per profundum, ciuitatem Babel, per metaphoram. Nominat autem expressè virum, Cyrum videlicet Regem Persarum, qui & Babyloniam erat destructurus, & Israelem liberaturus, Templumque ac ciuitatem Hierusalem restauraturus, atque ita Dei promissionem adimpleturus, vt insigne Dei organum.

Dispositio Capitis 45.

PARTES Capit. 45.

- Vaticinatur de Cyro Rege Persarũ, liberatore Israelis. Vbi
  - Promittit Cyro suam opem, imò præsentiam in opere quod perfecturus erat: videlicet in deuincendis Regibus, Regi Babylonico subiectis, & ipso Rege Babel.
  - Alloquitur Regem ipsum Cyrum, vbi præcedentia declarat, & ingentem thesaurum illi pollicetur.
  - Rationem assignat, qua re thesauros absconditos, illi nominatim ante tam multos annos polliceri voluerit: vt videlicet sciret omnia esse in manu Dei.
  - Exprimit ad quem finem facturus sit illi, quæ promittit: ad hoc videlicet, vt liberet populum suũ Israelem, ac propterea se ipsius nomine eum vocare dicit, etiam priusquam ab eo cognosceretur. Nam nondum natus nondum potuit Deũ nosse.
  - Repetit in quem finem hæc faciat Dominus: videlicet vt cognosceretur Deus Israelis verus, ac solus esse Deus, benefaciens quibus ipse voluerit, malefaciens quibus malefaciendum esse decreuerit.
  - Promittit post liberationem per Cyrum iusticiæ ac salutis prouentum superabundantem, qualis solet esse herbarum ac fruguũ, vbi cœli rorem, ac nubes pluuiam demittentes tellurem humectant, & illa aperto vtero progignit ex se varia ac larga terræ nascentia.
- Inuehitur contra reproborũ hominum disceptationes. Vbi
  - Habet grauissimam comminationem in eos, qui, vbi Deus in peccata eorum iusti iudicij flagello animaduertit, & infert mala, quibus emendentur, accusant statim Deum iniustæ seueritatis.
  - Explicat impiam absurditatem, ac nobis inspiciendam proponit: ac per simile luti, quod fingit Figulus, Exaggerat hanc impietatem Non enim lutum dicere potest Figulo: Quare sic facis, vel quare sic fecisti? Opus tuum non est ea diligentia factum qua fiunt, quæ manibus admotis accuratè perficiuntur.
  - Alio simili eandem impietatem perstringit. Absurdum enim est si filius dicat patri: Quare me sic genuisti? Cur non genuisti me diuitem, venustum, sapientem, fortunatum, &c.
- Vindicat sibi verã diuinitatẽ, cuius virtute condidit cœlũ & militiam cœli, Solem, Lunam, stellas, &c.
- Redit ad promissionẽ de Cyro, initio Capitis factam. Vbi
  - Promittit restitutionem Iudæorum per Cyrum, idque sine pretio & munere captiuorum.
  - Facit apostrophen ad Cyrũ, ac promittit illi pro restitutione Israelis, opes laboribus & negotiationibus Aegypti, Aethiopiæ, & Sabæorum partas.
  - Significat in quantam excellentiam Cyrum hunc supra Reges & gentes exaltaturus sit Dominus.
  - Exprimit quomodo Reges illi deuicti supplicaturi sint Cyro, ac dicturi: Tantum in te est Deus.
- Vertit sermonẽ suum ad Deũ, succinẽs illis, quæ in præcedentibus est Deus de liberatione populi sui per Cyrum, tanquam seruator Israelis pollicitus. Vbi
  - Colligit quid futurum sit ex eo, quod Dominus Israelis Seruator sit. Primùm enim pudefient idolorum fabricatores: deinde Israel seruabitur.
  - Rationem subnectit prioris: Seruabitur Iuda, quia Deum habet verum, non inanem.
  - Perstringit deos gentium, quorum Vates obscura & fallacia responsa ex antris subterraneis & tenebrosis reddere solebant. Hi frustrà quæruntur à cultoribus, Deus verus non quæritur frustrà.
- Disceptat iterum, & seq. Vide literam A.

A. Disceptat iterũ cum gẽtibus, vindicás iterum sibi verã diuinitatem. Vbi

Prouocat ad disceptationem eos, qui ex gentibus, subuersa Babylone, erant mansuri.

Accusat eorum stupiditatem, quòd inuocarent ea, quæ non sunt dij, & seruare non possunt.

Ex eo sibi diuinitatem vindicat, & dijs gentium adimit, quòd nemo ex illis subuersionem Babylonis & dimissionem Israelis, priusquam fieret, prædixit: prædixit verò ipse.

Omnes gentes ad se vocat, vt sese respiciant, vt seruentur: nam à dijs gentium seruari non possunt.

Adhortationis occasione iurat, vt nominis ipsius tanquam vnici, ac veri Dei cognitio, pariter & cultus passim in toto terrarum orbe obtineat. Significat autem se iustè iurare, & declarare se verum esse Deum, per quem iurare debeant omnes. Vbi per iuramentum linguæ, nominis sui religionem, & confessionem intelligit.

Ostendit qualis illorum sit confessio, qui nomine Dei iurabunt, & illi se adiungent: videlicet in Domino esse omnem suam fortitudinem, robur, ac præsidium.

Minatur reprobis, ac simulachrorum cultoribus confusionem: pijs verò iustitiam & gloriam promittit.

Dispositio Capitis 46.

PARTES Cap. 46.

Perstringit idola Babyloniorũ Vbi

Allocuturus præuaricatores populi sui, homines idolis deditos, præmittit vaticinium de ruina deorum Babylonicorum, quorum duos nominatim exprimit: Belum videlicet & Nebo, vt admoneat eos ruituram idolatriam, non in Israele tantùm, sed & in ea Monarchia, quæ tum cæteris regnis supereminebat, & Israelẽ sub se captiuum erat habitura.

Minatur futurum, vt dij Babylonici dorsis bestiarum & iumentorum tanquam militaris præda imponantur.

Conuertit sermonem ad ipsos deos, Belum & Nebo, ridetque illorum grauitatem: quasi dicat, Deus verus portat omnia, vos contrà nihil portatis, sed portamini magis, & mole vestra bestiarum dorsa ad fatigationem vsque grauatis, tam estis dij graues.

Ridet infirmitatem deorum gẽtilium, eò quòd nec onus simulachrorũ, nec animas suas manibus hostium eripere possint, vbi anima pro simulachris deorũ ponitur.

Expostulat cum reprobis & præuaricatoribus populi sui, qui & ipsi perinde atq; Chaldæi idolatriæ erant dediti. Vbi

Alloquitur omnes domus Israelis reliquias, includens etiam pios, eò quòd huiusmodi expostulatio, non modò ad repræhensionem reproborum, sed & ad cautionem & consolationem piorum erat factura.
Similitudine naturalis parturitionis, eximiam suam erga Israelem commendare voluit gratiam. Deus portat populum suum in vtero prouidentiæ suæ, extra quã certus est interitus. In illo gestamur omnes, tam intra quàm extra vterum matris: tam in virili ætate, quàm in pueritia & senecta.
Explicat pleniùs creationis & conseruationis nostræ opus: Ego, inquit, feci, ego porto, &c.
Subijcit exprobrationem eius insaniæ, qua Deo ineffigiabili imaginem & effigiem externam fabricabant.
Explicat vnde, quomodo fiant & colantur idola, & quàm sint infirma.

Reuocat eos ad resipiscentiam. Vbi

Monet vt de hac insania sua recogitantes, erubescant, & in viam redeant.
Monet vt factorum suorum priorum, ac mirabilium, recordentur, vt inde cognoscant se tantùm verum esse Deum.
Asserens se solum verum esse Deum, arguit ab eo, quòd solus futura prædicit, priusquam fiant.
Arguit se verum esse Deum ab omnipotentia, ac libera omnium potestate & voluntate, per quam quæcunque vult, faciat: & quicquid facit, ratum est.
Quod in genere dixerat: Consilium, inquit, meum stabit, &c. id iam accommodat causæ, quam per Cyrum erat exequuturus. Hunc vocat auem, propter celeritatem: vocat & virum consilij sui, eò quòd per illum erat consilium suum adimpleturus. Sunt ergo Reges viri consilij, non proprij, sed Dei.
Monet peccatores vt se audiant, sibi obediant, ac resipiscant.
Promittit resipiscentibus liberationem per Cyrum.

Dispositio Capitis. 47.

De Babylonis subuersione, seruitute & ignominia. Vbi

- Prædicit deiectionem eius ab eminentia & gloria.
- Reddit rationem depositionis: Quia non erat amplius domina.
- Extremam mutationem Babylonici splendoris futuram significat, cùm molæ mentionem facit. Nam in regionibus Orientalibus maximæ seruitutis loco habetur, si quis in molendinum ac pistrinum trudatur.
- Minatur futurum, vt Babylon, quæ antè velut Regina compta & ornata erat, neglecta comas, nudata pedes, cruribus detectis flumina transeat, in captiuitatem abigenda. Solent enim captiui nudari, ac spoliari, priusquam in captiuitatem abducantur.
- Vltionem illis minatur haud vulgarem: sed talem, quæ viribus humanis reprimi nequeat. Homo enim homini occurrenti, & vim inferenti, resistere potest, Deo non potest.
- Inteserit Propheta parenthesim, admonens oraculum esse Domini, & ab illo dici, quæ in hoc vaticinio dicuntur.
- Minatur illis obliuionem famæ præteritæ, & obscurationem nominis. Hoc enim est ingredi tenebras, sicut & Dominus addita ratione exponit: Quia, inquit, non addes amplius, vt vocent te Dominam regnorum.
- Accusat Babylonis tyrannidem, qua populum Israelis in ipsa captiuitate erat citra omnem commiserationem oppressura: item ambitionem & superbiam.
- Denunciat Babyloni meritum exitium. Vt autem illo videatur haud indigna, immiscet comminationi exprobrationem delitiarum, confidentiæ, superbiæ, præpostera securitatis, malitiæ & falsæ persuasionis de propria sapientia & diuinationibus Magorum suorum conceptæ.
- Insultat Babyloni propter fiduciam incantationum & maleficiorum, futurumq; prædicit, vt vnà cum Magis & diuinatoribus suis pereat.
- Innuit neminem omnino esse, qui Babyloni subsidium ferre possit, vbi Deus illam delere voluerit.

Dispositio Capitis 48.

PARTES Cap. 48.

- Expostulat cum reprobis Israelitis per nomen ipsius falsò iurantibus, aliaq; facinora perpetrantibus. Vbi
  - Perstringit eorum hypocrisim, qua se nominibus Iacob, Israel & Iuda falsò ornabant, cùm degeneres esse pergerent. Ac propterea comparat eos riuulis, de fonte quidem puro promanantibus, verùm extra illum aliundè pollutis, ac defœdatis. Egressi quidem erant ex Iuda, verùm fœdissimè degenerabant.
  - Taxat illorum iniquitatem. Iurabant enim in nomine Domini, verùm sine fide, veritate & iusticia. Cor ipsorum non erat rectum, neque erga Deum, neque erga homines.
  - Repræhendit falsam fiduciam illorum: Quia enim de Ciuitate sancta vocantur: id est, Hierosolymitani, etiam hoc sibi vindicant, quod Deum Israelis habeant protectorem.
  - Exponit rationem vaticiniorum, quibus per Prophetas futura illis prædicere cœperat. Reijcit autem eam in malitiam populi duri & immorigeri.
  - Admonet ne sinant ea, quæ audiunt, memoria excidere.
  - Alloquitur Pseudoprophetas falsorum deorum vates, insultans illis: Annon vos, inquit, indicaturi estis futura ista?
  - Iterum sermonem ad populum vertit, & loquitur de vaticinijs, quibus subuersionem Babylonis prædicebat, & populi sui liberationem promittebat. Hæc noua vocat, quòd in sensu humano essent noua. Vocat & abscondita, scilicet à cognitione humana.
  - Rationem iterum exponit, quare antea res has futuras voluerit per Prophetas suos pronunciare: quòd videlicet sciret populum durum & præuaricatorem esse. Deus enim duritiei populi sui se accommodauit, ne quid illi occasionis relinqueret, magna cum impietate dijs falsis tribuendi, quæ faciebat ipse.
  - Rationem reddit, quare hunc populum, quem sciat tam obstinatum esse, non excidat, sed ferat, & missis Prophetis in ordine retinere satagat. Patientiæ causam exprimit, dicens: Propter nomen meum, & laudem, &c.
  - Significat se non excidisse quidem Israelem, sed castigatione purgasse, & moderatè, non sicut purgatur argentum, nedum vt aurum, quod exactissimè purgari solet.
- Vindicat, Habet, Continet, & seq. Vide literam A.

Vindicat

A. Vindicat Dominus sibi diuinitatem. Vbi
- Excitat populum suum ad audiendum.
- Tribuit sibi æternitatem diuinitatis.
- Subijcit de primario illius opere; creatione videlicet cœli & terræ.
- Conuocat iterum populum ad audiendum.
- Obijcit Chaldæis, ipsorum videlicet diuinatoribus ac dijs, malorum ignorantiam, quæ erant illis euentura, ac vindicat sibi soli cùm præscientiam illorum, tum annunciationem.
- Interserit de liberatione per Cyrum futura, quem hîc non nominat, sed dilectum suum vocat, & promittit præsentiam suam operi per Cyrum perficiendo.
- Immiscet Propheta vaticinijs suis authoritatem Dei, vt nuntio Dei debita fides non denegetur.

Habet querelam contra populum transgressorem, planè paternam & amicam, Vbi
- Commemorat Dominus gratiam suam peculiariter erga illum.
- Exprimit votum ac desiderium salutis ipsorum.
- Recenset quantum vtilitatis inde referrent, si ad præcepta ipsius attenderent.

Continet vaticinium de liberatione Israelis. Vbi
- Hortatur vt exeant è Babylone, & fugiant à Chaldæis, perinde ac si tum essent in Babylone captiui.
- Præcepto euasionis subiungitur præceptum Euangelij. Iubet annunciare, quòd redemerit Dominus seruum suum Iacob.
- Promittit facturum se, vt è Babylone liberatos ducat per desertum, absque vlla sitis molestia, quòd & antea tale quid Dominus in deserto fecerit.
- Ponit sententiam generalem de impijs omnibus, siue Iudæis, siue Babylonijs. Impijs enim imminet vltio diuina, qua visitabuntur.

Dispositio Capitis 49.

Partes Cap. 49.

Asserit Propheta vocationem suam à Deo esse, quod quidam ad Christũ referunt. Vbi
- Excitat gentes ad audiendum.
- De vocatione sua loquitur, quò his quæ non ad Israelem modò, sed & ad gentes pertinentia dicturus est, oraculi diuini fidem concilier.
- Exprimit ad quid sit vocatus: ad munus videlicet propheticum, ac significat se ad hoc missum esse à Domino, vt vehementissimis ac acerbissimis concionibus perinde insectetur populum, atque si quis hostem gladio, & sagittis acutissimis impetat, ac feriat.
- Exponit quomodo se vocârit Dominus: Dixit, inquiens, mihi, Seruus meus eris tu Israel: id est, Israelita.
- Commemorat disceptationem, qua secum ipse Propheta aliquandiu de muneris sui efficacia dubitauerit.
- Subijcit solatium contra præcedentem cogitationem.
- Exprimit mandatum acceptum à Domino. Hoc erat, vt populum Israelis in viam reuocaret. Defecerat enim ad deos alienos.
- Queritur de populi pertinacia: Israel, inquit, nõ colligitur, etiamsi ego in meo munere fatiger.
- Solatur se contra inuincibilem Israelis pertinaciam, quòd causa hæc Dei sit, non sua.
- Innuit salutem illam, qua liberatus esset Israelem, non esse tam exiguam & angustam, vt in illis tantum sit hæsura, sed extendendam vsq; ad fines terræ, & communicandam illam gentibus, & populis remotis. Hîc verò Vati nõ incommodè datur illuminatio gentium, & salutis per Dominum factæ, vsque ad fines terræ propagatio. Quia vaticinia ista nõ solùm Israelitas complectebãtur, sed & gentibus magnam occasionem præbebant cognoscẽdi opus Domini in euersione Babylonis, & restitutione Israelis, per eamq; cognitionem ad vnius ac veri Dei scientiam perueniendi.

Subijcit vaticinium, & seq. Vide literam A.

A. Subijcit vaticinium de futura populi Dei restitutione. Vbi

- Exprimit ad quos hæc loquatur Dominus, quia ad Israelem, quem contemptibilem animam & gentem abominandam vocat, propter defectionem à Deo.
- Significat effecturum se, vt Reges ac Principes, agnita maiestatis suæ potentia, populum suum sint honore prosecuturi, idq; propter Dominum.
- Promittit populo suo exauditionem, opem, eamq; non vulgarem, restitutionem pristini fœderis, reductionem ad terram promissionis, & prouidentiæ suæ curam, qua & commodè, & in omnis generis bonorum affluentia, in terra sua degere possit. Id quod ouium & Pastoris allegoria explicat.
- Promittit commodissimam moderationem, qua ab omnibus malis liberati fœliciter agant.
- Reddit rationem eorum, quibus illos ab æstu & Sole illæsos fore dixit. Assignat autem hanc fidei & curæ Pastoris.
- Pollicetur omnibus ad montem Sion accursuris magnam viarum commoditatem, quam sit ipsis paraturus, quò in offensius affluant.
- Poscit ab inanimatis, cœlo, terra & montibus, canticum & exultationem: significans tantam fore futuram fœlicitatem, vt non homines modò, sed & cœlum & terra exultare debeant, cùm hæc omnia creata sint propter hominem.
- Futuræ desperationis tentationi remediū parat. Erat enim tam grauis tamq; diuturna futura Sionis desolatio, vt appareret illam prorsus esse à Domino abiectam. Negat autem id fieri posse, vt Dominus populum suum deserat per similitudinem materni affectus erga fœtum vteri sui.
- Adducit prouidentiæ suæ curam erga populum suum: Super palmas sculpsi te, inquit: id est, retinebo te in oculis meis.
- Promittit restitutionem murorum.
- Promittit multiplicationem populi vndequaque ad ipsum venturi.
- Ostendit cuius virtute hæc fiant: videlicet Dei, qui faciat vt patres ac matres, vnà cum filijs & filiabus, è captiuitate magna cum multitudine redeant, ac Regum munificētia ac sumptibus honorentur. Vt non sit cur quærat aliquis: Quis educauit istos? Reges enim erunt nutricij.
- Commemorat cogitationem infirmorum Israelitarum in captiuitate futurorum, qui non ad fidem & potentiam Dei verbique illius veritatem, sed ad præsentium rerum spectra, ac hostium potentiam respiciebant.
- Respondet verbis desperantium. Vbi affirmat auferendam esse ab hoste prædam, & captiuitatem, & Babylonem grauissima vltione puniendam.

Dispositio Capitis 50.

PARTES Cap. 50. Discepṭat

- Dominus cū populo suo, exprobrans illis inobedientiā, qua vocanti respondere nolebant. Vbi
  - Similitudines Patris familiâs, qui vxore dimissa, dat illi libellum repudij & creditoris, contendit se populum suum nec dimisisse, nec in manus aliorum vendidisse hactenus. Licet venundatione & dimissione multis modis essent digni. Venundandos verò ac dimittendos fore, nisi resipiscant.
  - Tuetur innocentiam ac fidem suam, ne qua possit illi perditionis illorum culpa adscribi. Accusat autem eos, quòd Prophetas suos audire nolebāt. In illis enim veniebat, per illos clamabat.
  - Desperationem cordis illorum perstringit, qua cogitabāt etiamsi Prophetas Dei audiant, haud tamen ab inimicis securos se fore: perinde ac si Deus impotentior sit, quàm vt seruare eos possit.
  - Admonet eos potentiæ suæ, iam olim ad liberandum maiores ipsorum declaratæ, in ipso de Aegypto exitu.
- Propheta cum, & seq. Vide literam A.

Propheta

A. Propheta cum populo Israel, propter contemptum verbi, in quo prorsus erāt absorpti, præsertim qui primores habebantur. Vbi

- Vendicat verbo suo eruditionem acceptam à Domino.
- Assignat vsum eruditionis, quam acceperat à Domino: Erat ille, vt sciret verbum dicere lassis, id est, afflictis.
- Exprimit diligentiā ac sedulitatem diuinæ reuelationis. Cōparat autem Dominū Præceptori, discipulum suū manè ad audiendum, quo erudiatur, excitanti. Per eruditos autē, discipulos intelligit.
- Inculcat se doceri à Domino, seq; obediētē esse discipulum, nec vllis aduersis ab obediētia auerti.
- Indicat malle se quæuis aduersa pati, quàm retrò ab accepto mandato auerti.
- Contra malitiam reproborum, qua infestabatur, & probris afficiebatur, obijcit fidem Dei, Ministros suos non deserentis.
- Prouocat aduersarios ad disceptationem iudicij, fretus & iudicio & protectione Domini.
- Minatur aduersarijs interitum, & comparat eos vestimento, vetustate & tineis consumpto.
- Alloquitur pios, ac monet, vt in nomine Dei confidant.
- Redit ad minas, & significat impios suo ipsorum gladio ac igne perire.
- Inducit Deum ad impios loquentem, ac diuturnam calamitatem illis minantem: Iacebit, inquit. Loquitur autem ad similitudinem eorum, qui grauissimis cruciatibus torti sic decumbunt, vt nec citò moriantur, quod maximé vellent, nec vlla spe releuationis recreari possunt.

Dispositio Capitis 51.

PARTES Cap. 51.

- **Alloquitur pios in populo, eosq; adhortatur. Vbi**
  - Hortatur eos, vt ad originis suæ tenuitatem respiciant, ac recogitent, quomodo studio & beneuolētia Dei in immēsum fuerint multiplicati & aucti: indeq; colligant quid sibi de voluntate illius erga se pariter & potentia polliceri debeant. Comparat autē originem eorum petræ & puteo: ipsos verò grandi structuræ lapidum, de vna tantùm petra excisorum, & multitudini aquarum, ex vno tantùm puteo promanantium.
  - Metaphoram petrę exponit claris verbis. Respicite, inquit, ad Abrahamū patrē vestrū, &c.
  - Exprimit quidnam in Abrahamo & Sara considerare debeant, vnde in fide promissionum Dei confirmarentur, & præsentis consolationis capaces se exhiberent: Vocaui, inquit, eum, benedixi, & multiplicaui, &c.
  - Applicat Vates quæ in præcedentibus versibus dicta sunt à Domino: Consolabitur, inquit, Dominus Sion. Vbi promittit plenam Sionis ac desolationum eius restitutionem.
  - Excitat eos vt se audiant, & verbis suis attendant.
  - Promittit Legis restitutionem, quæ latè, instar lucis, in medio gentium luceat. Per Legem autem & iudicium, doctrinam Euangelij intelligit. Promissionis autem huius impletionem instare significat. Vbi coniungit iustitiam, id est, bonitatem Dei, & promittentem, & promissa seruantem. Salutem, id est, opus redemptionis. Et brachia, id est, virtutem ad saluandum.
  - Graui asseueratione confirmat quod dixit de salute populorum. Ac significat cœlum & terram transire, promissionem verò hanc & salutem manere in æternum.
  - Hortatur iterum pios vt se audiant, & consolatur eos contra probra & contumelias impiorum, quibus ab illis propter studium pietatis & obseruantiam Dei afficiebantur.
  - Assignat duplicem rationem, propter quā non debeant pij impiorum timere cōtumelias: Vna est ab interitu impiorum: altera à perpetuitate salutis & iusticiæ futuræ sumpta.
- **Loquitur Propheta per apostrophen ad ipsum brachium Domini. Vbi**
  - Ardenti affectu brachium Domini ad opus futuræ redemptionis excitat, vt quod facturus erat suo tempore, properè faciat.
  - Vnum & alterum potentiæ Dei exemplum ex priscis illis facinoribus adducit: Primum est de excidio Pharaonis, quem vocat superbum, & draconem, propter contumaciam: alterum, de diuiso mari rubro. Atq; huic applicat Vates restitutionem Sionis ex captiuitate Babylonica.
- **Consolatur Dominus populum suum. Vbi**
  - Ostendit se tantum esse verum consolatorem populi sui.
  - Amica expostulatione obijcit illi præposterum timorem, quo sibi ab homine mortali timebat, perinde ac si destitutus esset vero Deo & consolatore.
  - Causam aperit præposteri timoris. Reijcit hunc in obliuionem sui.
  - Adducit exemplum Pharaonis, qui populum Domini affligebat, & quærit vbi iam sit illius furor, qui quidem & post cædem primogenitorum ad aperiendum, id est, dimittendum captiuos Israelitas festinabat, ne moreretur internecione. Sunt qui exponant hæc de acceleranda liberatione exulum è Babylone, quorum non deficiat panis. Hi verbum festinabit, ad Deum referunt.
  - Annectit historiam dissecti maris rubri, vt in memoriam illis reuocet, quomodo maiores ipsorum ex AEgypto liberati, sicco pede per maris fundum fuerint traducti, ac futuris rebus melius se accommodant.
  - Facit Dominus apostrophen ad Prophetam, quā & officium prophetandi & protectio prophetantis asseritur. Hic verò per cœlos & terram homines intelligit, qui voce Prophetarum erant plantandi.
- Vaticinatur de vastatione, & seq. Vide literam A.

A. Vaticinatur de vastatione & liberatione Hierusalem. Vbi

- Conuertit sermonem ad populum Hierusalem, & comparat eam ebriæ mulieri, ac præ ebrietate obsoporatæ, quam excitare è somno conatur.
- Prædicit desolationem & vastationem Hierusalem, ac captiuitatem Babylonicam, quam comparat calici furoris Domini: id est, vltionis diuinæ.
- Futurum prædicit, vt moderamine Regum suorum ac Principum destituatur Hierusalem.
- Repetit quæ illis sint euentura: nempe vastitas ex fame, contritio ex gladio hostium.
- Amplificat futuræ famis grauitatem, quam in Threnis Hieremiæ expositam videre licet: Filij, inquit, tuæ defecerunt.
- Promittit geminum vindictæ opus: vnum, quo liberetur Sion ab ebrietate afflictionum: alterum, quo hostes illius puniantur. Vbi perstringit superbiam Babylonis, qua inhumano dominio captiuos oppressit, perinde ac si quis pedibus suis prostratos pedibus calcet, & quasi per plateas super illorum corda incedat.

Dispositio Capitis 52.

Vaticinatur iterum de restitutione Sionis. Vbi

- Habet apostrophen ad ciuitatem Hierusalem, qua illam sub parabola mulieris obsoporatæ, sacco indutæ, in puluere iacentis, vinculis obstrictæ & captiuæ excitat, & promissione redemptionis consolatur & erigit, promittitque fortitudinem & decorem à Domino Deo suo.
- Promittit Sioni securitatem futuram ab huiusmodi grassatione hostili.
- Ponit rationem eorum, quæ in præcedentibus dixit, quibus captiuam Sion ad libertatem capessendam excitauit, & asserit facilem fore eorum redemptionem: Emit, inquit, vos hostis absque argento, quare & absque argento dimittet. Redemptio respondebit emptioni.
- Quod dixit, Redimemini, per collationem præcedentium liberationum credibile reddit, vtpotè liberationis ex AEgypto, & è manu Regis Assyrij, quem absque causa populum suum oppressisse dicit, eò quòd mera superbia inflatus, bellum illi intulerit, atque ita dignus, qui vltione diuina percuteretur.
- Consultat Dominus quid illi sit contra Babylonios faciendum, & recitat ea, quibus ad sumẽdam vindictam de Babylonijs, & ad redimendum populum suum promouendus credi volebat: quasi dicat, Cùm sit populus meus non simpliciter in terra sua afflictatus, quemadmodum accidit illi ab Assyrijs, nec ad peregrinandum in Babylonem, sicut olim in AEgyptum sponte sua abierit, sed manu violenta gratis: id est, sine causa iusta abreptus sit, & in captiuitatem abductus, oppressus, & ludibrio propter nomen Dei expositus. Quid hîc facere debeo? quasi dicat, illis secundum facta rependam. Per dominatores, intelligit Præfectos, qui captiuis erant impositi.
- Exprimit cur de præteritis liberationibus mentionem fecerit: vt videlicet promissionem futuræ liberationis pijs in captiuitate constitutis faceret credibilem: Adero, inquit, populo meo, sicut & antea.
- Magna admiratione & exultatione spiritus amplificat futuram Sionis liberationem, & insignem salutem, quam erat Dominus, euertendo Babylonem, ac populum suum liberando, operaturus: ac propterea pedes annunciantis pacem ac salutem speciosos fore gloriatur. Solemus enim organa rerum prospetarum extollere, vt significemus quanti res ipsas faciamus.
- Tribuit Sioni Speculatores, quos antea nuncios pacis & salutis vocauit, ac horum vocem cum iubilo resonantem inducit, ac exprimit: Erumpite, inquiunt, in laudem. Vbi verbum nudandi pro verbo exerendi ponitur.
- Subijcit inclamationem, excitans omnium animos, vt vbi tempus adfuerit liberationis, cupidè & alacriter è medio Babylonis exeant, nec gratiam redemptionis contemnant. Futuri enim erant, qui cunctantius erant Babylonem relicturi, & oblatam gratiam susque deque facturi. Hos igitur, & præcipuè Ministros Templi monet, ne reditum differant, neue impuritate gentium impurentur.
- Rationem annectit superioris: Non erit, inquit, exitus vester cum discrimine futurus, vt eorum, qui fugiunt, sed voluntate Dei Israelis, qui vos ducet, & congregabit.

Dispositio Capitis 53. quod ab eo loco incipit: Ecce seruus meus prudenter aget. &c. De hoc lege Augustinum lib. 18. cap. 29.

Vaticinatur de Christi

- Prudentia, seu sapientia, quæ est facere voluntatem Patris, & illam Mundo patefacere: non modò verbo externo, vt Moses, sed & spiritu corda illustrante. Vocat autem Pater Filium suum seruum, propter dispensationem salutis nostræ, propter quam illum in mundum misit, & hanc est in assumpta serui forma cum humilitate exequutus.
- Gloria, quæ data est illi à Patre, qua non modò est in terris exaltatus per Euangelij prædicationem, & cooperationem Spiritus, dum creditus est esse Seruator mundi, sed & in ipso cœlo ad dexteram vsq; Patris. De hac exaltatione loquitur Paulus Philip. 2. Ephes. 4. Hebr. 1.
- Humilitate & obscuritate, qua sese ad mortẽ vsq; ignominiosæ crucis humiliaturus erat. Philipp. 2. Vbi
  - Humilitatem Christi præmittit, & subnectit illi gloriam. Quemadmodum enim multis erat in forma humilitatis & crucis despectus, ita post crucem exaltatus, multas gentes asperget, atq; ita multis gloriosus erit. Vbi significat futurum, vt multæ gentes per Christum in gratiam noui Testamenti assumantur, & aspersione sanguinis ipsius sanctificentur.
  - Ostendit tantam fore illius gloriam, vt non sint, ne Reges quidem, habituri quod illi contradicant, eò quòd per Euangelij prædicationem agnoscant consilium Dei, quo illi placuit saluare mundum per sanguinem Filij Dei.
- Mysterio, vbi significat, ea, quæ de Christo prædicta sunt à Prophetis credi non posse, nisi ab illis, quibus potentia Dei operans in Filio & per Filium fuerit reuelata. Vide Matth. 11.
- Humili exortu: dicit enim hunc ascensurum sicut virgultum & radicẽ è terra deserta, vel arida. Stirps enim illius post captiuitatem Babylonicam prorsus videbatur esse deserta, & tamen ex ea prodijt virgultum hoc humile & contemptibile in oculis mundi, coram Domino autem gloriosissimum.
- Sorte, abiectione, & conditione externa. Vbi
  - Significat non esse in Christo quicquam, quod ad externam apparentiam attinet, quam hîc formam vocat, vnde Messias promissus, vel modicè cognosci possit. Erit perinde atq; exile & vile virgultum, ascendens è terra, arida in quo neq; forma est, neq; decor arboris, adeò humile, modicum & aridũ, vt transeuntium pedibus calcari possit, de quo nemo suspicari queat, vt aliquãdo excrescat in arborem.
  - Indicat quomodo geret se Israel ergà ipsum: Videbimus, inquit, non desideramus eum.
  - Prædicit abominationem & reprobationem Christi.
- Doloribus & passionibus crucis. Atque hic reddit Propheta rationem humilitatis, passionum & afflictionum Christi. Ac simul corrigit, errorisq; damnat omnem eum contemptum, quo erat ab Israele despiciendus.
- Patientia, quam in medijs afflictionibus & doloribus erat declaraturus. Vbi comparat cum agno & oui.
- Violenta & iniusta abreptione ad mortẽ. Vesperi enim captus, mox altero die est morti: causa prorsus nullo legitimo iudicio cognita, traditus. Absque, inquit, dilatione, citraque iudicium raptus est. Et si autem hoc modo sublatus sit, & generatio, id est, ætas, seu vita eius præcisa esse videatur, viuit tamen, & non amplius moritur, sed in æternum durabit. Hoc est quod dicit: Generationem eius quis enarrabit.
- Sepultura. Sepultus enim est in monumento diuitis Iosephi. Videtur autem hîc transpositio esse dictionum, vt loco diuitis nomen impij, loco impij, diuitis nomen positum sit.
- Innocentia. Quamuis iniquitatem, inquit, non fecerit. Etsi autem fuerit innocens, placitum tamen Domini erat, vt sic contereretur innocens pro nocentibus.
- Mortis eius fructibus, quorum
  - Est semen. Mors enim Christi frugifera & ferax seminis facta est. Mansisset Christus solus sine vllo semine, nisi sacrificium fuisset pro peccatis nostris factum, & in cruce mortuus. Semẽ autem mortui Christi sunt, quotquot per mortem ipsius redempti, & per Spiritum ad veram & æternam vitam sunt regenerati.
  - Perpetuitas seminis. Semẽ enim Christi est æternum: Prorogabit, inquit, dies.
  - Successus diuinæ voluntatis. Est autem Dei voluntas, vt genus humanum per mortem Filij ipsius seruetur.
  - Iustificatio, quæ est scientia, seu fides Christi. Atq; hic explicat, de quo placito Domini locutus sit in calce versus precedẽtis, quod dirigẽdũ fuerit in manu Christi. Hoc nimirum, vt fide & scientia ipsius iustificemur. Vbi modũ & rationem iustificationis exprimit. Iustificat nos, quia peccata nostra expiauit.
- Victoria, & seq. Vide literam A.

A. Victoria super hostes. Vbi

- Significat victoriam Christi referri, non à modicis & imbecillibus, sed à magnis & potentibus: Principibus videlicet ac Potentatibus huius mundi, pariter & inferorum, quos expoliauit morte sua deuictos. Vnde Colloss. 2.
- Reddit rationem, quare det illi Dominus spolia potentum. Quòd
  - Se totum ex animo & voluntariè in mortem tradiderit.
  - Quamuis sit innocentissimus, haud tamen perinde ignominiosa se morte occidi, & cum transgressoribus coniugi patietur, quàm si sit & ipse malefactor.
  - Pro peccatoribus Mediator & Intercessor esse non est de dignatus, vt tanquam summus Sacerdos per sacrificium reconsiliationis in cruce semel oblatum, perpetuò pro nobis intercedat ad Patrem. Vide Rom. cap. 8. & Hebr. cap. 7.

Dispositio Capitis 54.

PARTES Cap. 54. Promittitur

- **Reliquijs Sionis multiplicatio fidelium. Vbi**
  - Alloquitur Sionem, & excitat eam ad cantandum & iubilandum, propter insignem fœlicitatem, quæ viduitatem, sterilitatem, ac desolationem ipsius erat secutura. Adimpletio autem vaticinij huius ad tempus regni Christi refereda est, in quo reliquiæ Sionis per accessionem gentium creuerunt in immensum. Per Sionem intelligit Ecclesiam spiritualem electorum, quæ perpetuò cùm in Babylone, tú è Babylone liberata, & postea tempore Christo syncero corde Domino suo adhæsit.
  - Promittit illi tantam multitudinem sobolis, vt habitationi illius non sit satis habitura loci. Loquitur auté ad similitudiné castrorú, in quibus tabernacula pro, multitudine militum multiplicãtur, & ipse locus dilatatur. Quòd verò de promissione ad dexterá & ad sinistram dicit, sub regno Christi factum est per eos qui verbum salutis è Sion egressi sparserunt inter gentes: id est, per Apostolos.
  - Contra diffidentiam animat Sionem, quòd non deseret eam Dominus.
  - Reddit rationes promissionis & consolationis præcedentis, easq; planè firmas & magni momēti. Prima est, quòd Creator Sionis maritali sit erga eam fide & zelo affectus. Altera, quòd Redemptor illius sit Deus vniuersæ terræ.
  - Accommodat rationé de fide maritali sumptam, & subijcit quomodò sit erga ipsam fidem maritalem declaraturus: Reuocabit, inquit, te, ac reconciliabitur tibi, perinde ac si quis mulieris derelictæ, ac dolentis spiritu, misereatur, illamq; ad se reuocet, quòd miseriam illius, maritali affectu præditus, ferre nequeat.
- **Illi gratiæ perpetuitas, restauratio spiritualis, & contra quosuis aduersarios fida protectio. Vbi**
  - Dominum ipsum inducit, ea quæ facturus erat loquentem, & consolantem suos. Deus enim non potest non misereri suorum.
  - Confirmat quod dixit, idq; non nuda asseueratione, sed iureiurãdo, asserens nolle se vltra irasci, quomodo antea illi iratus fuit, abijciens eam in Babylone. Annectit autem iuramento exemplum consimile, quò plus illi fidei cõciliet. Omnes auté huiusmodi Israelis prærogatiuæ, quemadmodum propter Christú contigerunt, ita vltra illius aduentum & regni declarationem durare nequierunt. Successerunt enim potiora, & vmbræ terminatæ sunt, illucescente veritate.
  - Firmitudinem beneuolentiæ suæ adhuc inculcat, asserens illam firmiorem esse ipsis montibus.
  - Promittit Sioni clarissimam omnium restitutionem, ac multò præciosiorem structuram, quàm fuerit prior. Id quod ad Ecclesiam electorum ac fidelium Christi referendum est.
  - Promittit institutionem filiorum Sion, cuius filij Discipuli sunt Dei, qui Spiritu eius docentur, illuminantur & regenerantur.
  - Promittit pacem, id est, tranquillitatem spiritus & conscientiarum, quam in ipsis etiam afflictionibus constituti sic retinent electi, vt nec à mundo ipsis nec à Satana queat auferri.
  - Promittit iusticiæ studium & protectionem.
  - Promittit malitiam hypocritarum, quos Accolas vocat, seu Proselytos, & infidelium, innocuam illi futuram.
  - Promittit protectionem suam contra hostes exteros & infideles, asserens omnia arma, imò & fabros, à quibus arma perficiuntur, & vastatores in sua esse potestate.
  - Epiphonemate vtitur, in quo ostendit, hanc suam gratiam seruis suis hæreditariá: id est, constantem, firmam, & diuturnam fore.

Dispositio

Dispositio Capitis 55.

PARTES Cap. 55.

Vocat omnes ad vbertatem gratiæ in Christo paratæ. Vbi

Vrget vt sitientes ad se, tãquam fontem aquæ viuæ veniant, etiamsi sint pauperes & contempti.

Indicat quid sit faciendum venientibus: Emite, inquit, comedite.

Dementiam exprobrat illis, qui miseri ac cæci ab impostoribus & falsis Doctoribus emebant vnde saturarentur, & emebant, non panem, sed quisquilias traditionum humanarum. Gratiam verò Dei, cuius syncera fide & obseruantia participes esse, & qua saturari poterant, fastidiebant.

Exponit quid facere debeant, quos ad se sitientes vocat: videlicet vt se, auribus inclinatis, audiant.

Promittit venientibus veram vitam, pacem & beneuolentiam, certo pacto ac iureiurando initam. Per Dauidem autem hoc loco Christum intelligit, Dauidis filium.

Commendat misericordias Domini in Christo, cui tria elogia tribuit. Primum est, vt sit testis. Testis est testificari de re incognita alijs, sibi verò certa. Veritas, per quam seruamur, mũdo est incognita: est enim mysterium absconditum à seculo. Misit filium suum Pater, vt de veritate hac, & voluntate ipsius testificaretur. Secundum est, vt sit Dux ac Princeps, qui ante exercitum suum ingrediatur, vel sicut Pastor ante oues. Tertium est, vt sit Præceptor, quem omnes audire debeant.

Propheta ad ipsum Christum gratulandi gratiã conuersus, subiungit deuocatione gentium.

Admonet vt cum resipiscentia Dominũ quærant, quo misericordiam illius consequantur. Vbi

Monet ne oblatam salutis occasionem negligant ac spernant.

Exprimit quid ab eo requiratur, qui gratiam Dei amplecti voluerit. Necesse enim est, vt resipiscat. Atque hic duas resipiscentiæ partes exprimit: discedere à malo, & conuerti ad Dominum.

Docet diuersas esse cogitationes & vias suas à cogitationibus & vijs nostris, & discrimen illarum exprimit, haud quidem quale, & in qua re: verùm quantum sit illud, per cœli à terra distantiam ostendens. Intelligit autem per cogitationes & vias Dei, cogitationes & vias miserationum, de quibus antea dixit: Per nostras verò cogitationes, vias nostræ immisericordiæ, & studium vlciscendi nos de his qui nos læserunt. Cogitationes nostræ omnes terrenæ sunt, Dei autem cœlestes & diuinæ.

Promissionem gratiæ suæ confirmaturus, subijcit de veritate & efficacia verbi sui, quod ad eos per manum Prophetarum suorum mittebat, & ad declarationem huius inducit simile pluuiæ ac niuis, omnium elegantissimum, pariter & notissimum.

Accommodat ad propositum quod Dominus de veritate & efficacia verbi sui dixit: Verbum inquit, meum erit efficax suo tempore, vt sit vos è Babylone liberaturum, & in hanc terram vestram reducturum: exibitis igitur è Babylone liberati cum gaudio, & deducemini cum pace: id est prosperè, sine hostili infestatione.

Insignem ac talem restitutionem desolatæ terræ promittit, qua quæ vastata erant & inculta, preclaram essent restaurationis culturam sortitura, & instar hortorum futura.

Significat Dominum in omni ea liberationis & restitutionis ipsorum causa, rationem habiturum nominis sui: ideoque sic ipsos liberaturum, ac restauraturum magnificè, vt inde sibi nomen ac monumentum non momentaneum aliquod, sed perpetuum, ac nunquam excidendum sit, comparaturus.

Dispositio Capitis 56.

PARTES Capit. 56.

- Hortatur Dominus ad custodiam iudicij & iusticiæ, & rectam Sabbati obseruantiam. Vbi
  - Principes ac Iudices sui officij admonet. Horum enim est in populo iusto iudicio & studio iusticiæ succurrere oppressis, defendere pauperes, pupillos, viduas, &c. contra calumnias impiorum.
  - Subijcit rationem, propter quam debeant custodire iudicium, & facere quod iustum est: Futurum, inquit, est, vt vos breui inuisam, è periculis seruem, & iusticiam meam erga pios in vobis declarem.
  - Annectit adhortationi promissionem fœlicitatis, qua potituri sint pij, spe secuturæ salutis, iudicij & iustitiæ studiosi.
  - Fœlices prædicat, non Iudices tantùm iusticię studiosos, sed & alios pios ac iustos Sabbatum obseruantes. Vbi paucis verbis & pietatem & iusticiam legalem compræhendit. Pietatem in custodia Sabbati, iusticiam in custodia manus, ne quid illa quod malum sit, faciat. Per custodiam Sabbati, intelligit non modò otium, sed & frequentationem Ecclesiæ Dei, studium doctrinæ sacræ, precum & rituum sacrorum, quibus omnibus populus ad pietatem imbuebatur.
- Consolatur alienigenas, seu Proselytos & Eunuchos, si pij sint, & locum dat illis in domo & monte sanctitatis suæ. Vbi
  - Monet alienigenas & Eunuchos, ne putent se exortes promissæ salutis ac iusticiæ suæ, futuræque fœlicitatis, propterea quòd in Lege sint à consortio populi Dei & prærogatiua Israelis, in plerisque separati, etiamsi Israeli essent coniuncti. Quomodo verò à prærogatiua Israelis in Lege fuerint exclusi, Deut. 23. Exod. 12. Leuit. 22. Num. 18. videre licet. Hoc autem Legis retinaculum tempore salutis & iusticiæ reuelandæ tollendum erat.
  - Adfert confirmationem eius, quod dixit: Ex ore Domini. Et promittit Eunuchis locum in domo Domini, & nomen melius quàm sit filiorũ & filiarum: id est, melius nomen per gratiam Dei tales steriles acquirent, quam si carnali posteritate nomen suum propagarent.
  - Promittit alienos Ecclesiæ suæ coniuncturum, ac eos pro domesticis suis habiturum, eademque cum Israelitis prærogatiua in domo sua donaturum.
  - Inculcat tam gentium accessionem, quàm dispersi Israelis congregationem.
- Minatur reprobis Israelitis vltionem, idque per Babylonios. Vbi
  - Aduocat omnes bestias, tam agrestes, quàm syluestres ad deuorandum, scilicet cadauera occisorum. Loquitur autem de futura cæde, quasi de sacrificio magno, in quo mactandi erant tauri, boues, hœdi, hirci, de grege populi Dei, priusquam ille in Babylonem abduceretur.
  - Corruptionem ac deprauationem eorum perstringit, quorum se cadauera bestijs traditurum minatur. Erant illi speculatores, id est, Prophetæ, & Pastores, id est, Sacerdotes, Principes ac Iudices in populo, vnà cum reliqua turba reproborum, quos omnes instar scorię erat expurgaturus. Tribuit autem hic Speculatoribus cæcitatem, ignorantiam, mutitatem, somnolentiam, mollitiem & auariciam.
  - Perstringit studium inebriandi, & quod de nulla resipiscentia cogitabant, sed quod faciebant porrò se facturos præsumebant, pollicebanturq; sibi magnam opum abundantiam, constanter ad futuras delitias permansuram.

Dispositio Capitis 57.

PARTES Cap. 57.

Reddit rationem, quare pij morte immatura ex hac vita auferantur. Vbi
- Stupiditatem impiorum perstringit, qui iudicia Dei intelligere nolunt. Solet enim Dominus iustos ac pios homines, quantumuis longiori vita dignos, auferre ex hoc mundo, priusquam pœnas sumat de reprobis: præsertim cùm insigniorem aliquam immissurus est calamitatem. Hanc rem non intelligunt, nec curant etiam impij.
- Aperit consilium Dei in gratiam piorum, ac docet qua ratione auferantur iusti. Fit enim hoc, non ipsorum malo, siue damno, sed bono: ne videlicet illos malum imminens pertingat.

Obiurgat impios & idolatras, qui erant in populo, & disceptat cum illis. Vbi
- Inducit Dominus personam mariti, & sub parabola maritalis expostulationis obiurgat ciuitatem Hierusalem, cum filijs illius, obijciens illi vesanam idolatriæ, sub metaphora scortationis & adulterij.
- Exprobrat adulteræ filijs deploratam hanc impietatem & nequitiam, qua non modò non audiebant Prophetas Domini, sed illudebant etiam: idque manifestis contemptus & irrisionis notis dilatatione videlicet oris & porrectione linguæ.
- Exprobrat illis vitiosam originem, ingenium malitiosum, & illud sacrificij genus, quo summa crudelitate propria sua pignora idolis mactabant, & immolabant, atque hunc cultum quasi selectissimum ac supremum selegerant, putantes se illo maximoperè promereri Deum. Et hæc erat illorum pars.
- Obijcit illis lucos, speluncas & excelsa: id est, montes excelsos, in quibus cubilia, id est, templa & sacella ponebant, ad exemplum maiorum, qui in montibus sacrificabant.
- Exprobrat illis idolatriam domesticam. Non enim contenti lucis, antris, ac montaneis sacellis, etiam in ipsas suas domos, spurcitiem abominationum suarum inferebant, Idola deorum suorum, quos colebant in publico, domi suæ post ostia & postes figebant, vt ex illorum aspectu exeundo & ingrediendo, iugem in cordibus suis alerent illorum memoriam.
- Innuit quanto zelo & ardore idolatriam populus exercuerit,
- Redarguit perfidiam illorum, quòd amicitias externorum Regum ambientes, Legatos suos iam ad regem Assur, iam in Aegyptum, iam ad Babylonem cum muneribus, vt Balsamo, &c. obtinendæ amicitiæ illorum gratiâ miserint, & seruiliter sese coram Regibus humiliauerint.
- Obstinationem præposteri studij redarguit, quo se adultera illa amatoribus suis etiam remotis, magno labore & sumptu approbare pergebat, à quo illam vel fatigatio ex viarum multitudine contracta, reuocare debebat.
- Reprehendit eos, quod vitam, id est, statum Sionis incolumem proprijs studijs & consilijs suis quærant. Existimabat enim adultera se propria industria vitam inuenisse, cùm non sit vita nisi in Domino.
- Adimit illi excusationem timoris. Videbatur enim præ metu exitij vitam quærere apud Reges exteros, cùm neminem timere debuerit, si Deo adhæsisset.
- Obiurgationi minas annectit: minatur autem tria. Primum, quòd velit hypocrisim adulteræ huius detegere, & facta illius in lucem producere. Secundum, quòd opera illius & studia non prosint. Id quod tum maximè manifestum erit, cùm reddent illam miseram, calamitosam, desolatam, captiuam & exulem. Tertium, quòd tribulatæ illi, & in angustijs constitutæ nihil ex illis Regibus sit auxilij, cùm confœderati illius, quisquiliarum in morem vento potentiæ Dei dispellantur, vt nihil ab illis auxilij sperari possit in afflictione.

Subijcit consolationem piorum, ac promittit fœlicem populi sui è Babylone reditum. Vbi
- Significat se curaturum, vt quàm commodissimè reuertantur.
- Spem promissionis confirmat ex ore Dei.
- Addit rationem: Etsi excelsus sit Dominus, humiles tamen amat & contritos.
- Occurrit tacitæ cogitationi, qua, qui sensu iræ Dei contriti sunt, fieri non posse cogitant, vt cum ipsis sit Deus, reddaturque propitius. Non litigat Dominus in perpetuum, imò efficiet, vt respirent contriti. Hoc est quod dicit: Flatus ego faciam.
- Explicat quare Sionem percussurus sit, & postea iterum liberaturus, & consolaturus.
- Exponit quomodo Israeli quietem & consolationes restituere velit; creando scilicet pacem, quæ genninet laudem & gratiarum actionem, veluti fructum labiorum.
- Subijcit de impijs, & minatur econtrà illis summam inquietudinem.

Dispositio Capitis 58.

Partes Capit. 58.

- Reprehendit populi hypocrisim, qui se iustitiæ studiosos esse simulabant, cùm nihil essent minus, taxatq; peruersam ieiunij in illis obseruantiam. Vbi
  - Loquitur Dominus ad Prophetam vt clamet, nec se cohibeat, quominus sicut tuba vocem suam exaltet, indicans domui Iacob transgressionem & peccata ipsorum.
  - Exponit Prophetæ Dominus, quænam sint peccata domus Iacob, contra quæ pleno gutture clamare debeat. Impietas scilicet & temeritas, qua cum Deo expostulare, & veluti litem illi intendere audebant, perinde ac si parum iustè cum ipsis ageret, pœnas inferens immeritas, & populum iustum præter rationem affligens.
  - Hoc est quod dicit, Me singulis diebus quærunt: id est, in me & opera mea inquirunt. Scientiam viarum mearum: id est, studiorum appetunt, scire cupientes quare hoc aut illud faciam, & quasi gens sint, quæ faciat quod iustum est. Expetunt à me iudicia iusticiæ: id est, postulant vt causam illorum iniustè iudicem. Deo appropinquare: id est, cum Deo iudicio contendere cupiunt.
  - Exponit quomodo, & ad quid Deo appropinquare, & ab illo iudicia iusticiæ expetere voluerint. Inducit autem ipsorum verba, quibus cum Deo expostulabant: Quare, inquiunt, ieiunamus, & non vides?
  - Aperit Dominus quare nolit ipsorum respicere ieiunia: quòd videlicet ad litigandum & contendendum cum debitoribus suis, non ad ambiendam clementiam Dei ieiunabant. Erat autem hoc Israeli in more, vt in conuentibus Ecclesiasticis exercerent iudicia. Conueniebant autem diebus ieiuniorum, & in illis præcipuè, si quid esset peccati admissum à quoquam, iudiciaria examinatione ac seueritate corrigebant, quò facilius Dominum ad clementiam flecterent. Hunc morem postea ad suas cupiditates sectandas peruerterant. Etenim debitores suos accusabant, & debita exigebant, & si soluendo non essent, in potestatem acceptos, crudeliter tractabant: propterea dicit, Et percutiatis pugno, &c. vbi illorum crudelitatem & tyrannidem in ieiunando perstringit.
  - Auocat eos ab inani hypocrisi, qua non ieiunabant, sed inanem ieiunantium speciem præ se ferebant.
  - Recenset ac reprehendit gestus ieiunantiũ hypocriticos, non ex animo profectos.
- Ostendit quæ vera sit ieiunij obseruantia. Vbi
  - Exprimit quale ieiunium ab illis requirat, ac scopum legitimi ieiunij exponit. Sunt autem expositionis huius duæ partes. Vna reijcit inhumanitatem & immisericordiam à verò ieiunio, qua diuites debitores suos iniquis modis obstrictos torquebant. Vbi per colligationes, iuramentum, literariam cautionem, vincula, carceres, seruitutem, &c. quibus creditores debitores suos si non sint soluendo, obstringunt, intelligit. Ad carceres refertur illud, dimittere confractos liberos. Ad seruitutem, fasciculos iugi & omne iugum abrumpere. Videtur enim vocem iugi vsurpare pro seruitute. Altera expositionis pars possit opera misericordiæ in miseros & egenos. Vbi quatuor misericordiæ species recenset. Prima, alere famelicos, & sitientes potare. Secunda, hospitio excipere peregrinos & exules. Tertia, vestire nudos. Quarta, accessum præbere afflictis, quem quidam vel tenacitate, vel contemptu miseris denegant.
  - Promittit hoc modo ieiunantibus omnia prospera & fœlicia, vt rerum prosperitatem, quam per lucem intelligit, restitutionem à plaga, qua propter peccata castigamur, quam sanitatem appellat, successum, gloriam apud Deum & homines, exauditionem, consolationem in afflictionibus, lucis nomine designatam, gubernationem Dei, saturitatem famis tempore, fertilitatem & restaurationem ciuitatum terræ Iuda, ac templi. Futurum enim erat, vt per Babylonios vastarentur ea, quæ reliqua erant à vastatione Assyriaca.
- Docet quæ vera sit Sabbati ratio. Vbi
  - Duas Subbatismi partes ponit. Prima est, auertere à placito nostro pedes, nec sectari quod nobis placuerit. Altera, delectari in meditatione Legis Dei, & veram nominis ac voluntatis Dei obseruantiam alere, & prouehere.
  - Promittit sic Sabbatum obseruantibus reditum è captiuitate, & saturitatem tempore famis.
  - Confirmat quod dixit de ieiunio & Sabbato, authoritate oris Domini.

Dispositio

Dispositio Capitis 59.

PARTES Capit 59.

Rationem assignat, quare exaudiantur Israelitæ ieiunando, & clamando: de quo conquerebantur. Id quod ipsorũ peccatis, non Domino imputat. Vbi

- Impiæ carnalium hominum cogitationi occurrit, qua Deum se habere cogitabant; non vt Patres ipsorum recenti ac viridi robore præditum, sed senio confectum, inualidum, difficulter audientem, & oculis languentibus ægrè videntem.
- Causam subijcit, quare ipse Dominus, cùm possit audire, & seruare nolit.
- Subiungit quarundam iniquitatum illorum catalogum. Vbi per manus & digitos intelligit illorum studia, quibus vim iniustam inferebant pauperioribus.
- Comparat eos Aspidi & Araneæ, animalibus venenatis & mortiferis, & opera eorum ouis Aspidum & telis Aranearum, vt ex illorum pernicie quales sint, qui ea faciunt, considerandum proponat. Oua Aspis profert. Vnde fœtum sibi similem excludit. Exclusionem hanc vocat Propheta rupturam. Sic impij homines praua consilia sua fouent, donec opera exitiosa excludant. Horum consilia vocat oua: & opera, fœtum Aspidis. Telis Aranearum comparat studia & opera impiorum, propter illorum inutilitatem & vanitatem, sicut postea exponit.
- Notat perniciem consiliorum & operum, quæ impij machinantur. Hæc sunt similia ouis, & aspectu suo fallunt imperitos: & quos fallunt, perdunt. Sicut qui de ouis illorum comederit, morietur.
- Explicat quod antè per similitudinem dixerat de ouis Aspidum.
- Subiungit per querelam, quid calamitatis & infœlicitatis hinc natum sit populo: quòd videlicet propter Iudicum & potentum iniquitatem & singularem malitiam nihil iam cum ipsis geratur ex æquo & iusto. Per lucem & splendorem, intelligit administrationem iudicij & iusticiæ. Per cæcitatem, consilij inopiam & malorum augmentum.
- Exprimit luctum quo singuli domi suæ fremebant, ac gemebant: & addit simile Vrsi & Columbæ. Vrsus dolore affectus, abdit se in latebras, ac fremit. Columba lugens, solitaria sedet, ac gemit.
- A querimonijs publicorum malorum transit ad illorum causam, & hanc tribuit ipsorum peccatis: idque per confessionem coram Deo: & subiungit species aliquas transgressionum & peccatorum populi, quorum aliæ primam, aliæ secundam Tabulam concernunt.

Subiungit consolationem ac promissionem redemptionis propter pios. Vbi

- Ostendit hæc omnia videre Dominum, improbare & admirari, quòd adeò nihil sit iusticiæ in quoquam, vt non inueniatur, qui iusto, prædæ exposito, patrocinium contra impios ferat.
- Subiungit quid sit facturus: quòd videlicet iustum prædæ expositum sua potentia seruet, & causam illius defendat.
- Comparat Deum Regi potenti, paranti se ad bellum contra hostes, vt populum suum seruet, & induenti armaturam bellicam. Pro lorica, dat illi iusticiam: pro galea, salutem: pro pallio regali, seu heroico, vltionem & zelum.
- Exponit quomodo & quorsum sit Dominus arma vltionis sumpturus: vt videlicet pœnas sumat de hostibus suis. Per hostes autem intelligit piorum Israelitarum inimicos: cum intestinos, id est, impios & reprobos, Principes & Iudices in populo: tum exteros, vt Babylonios, cum reliquis gentibus, à quibus populus Israel affligebatur.
- Prædicit quid futurum sit in orbe terrarum inter gentes Israeli inimicas, postquam vltionem intulerit illis Dominus: Timebunt, inquit, nomen Domini.
- Vaticinatur de expeditione Cyri Regis Persarum, qua Babylonem erat subuersurus. Per hunc enim erat Dominus contra hostes suos venturus, instar fluuij validissimi, qui spiritu violento impellatur.
- Specificat eos, quorum potissimum gratia venturus erat Dominus Sioni Redemptor: propter eos scilicet, qui ad Dominum Deum suum erant ex animo reuersuri.
- Promissionem præmissam confirmaturus, ipsum Deum loquentem, ac fœdus cum populo suo statuentem inducit, ac gratiæ suæ perpetuitatem exprimentem, quam per Christum erat super populum suum conditione fœderis effusurus. Et vt huius certa signa ponat, meminit spiritus ac verbi sui. Coniungit autem spiritum & verbum: quia spiritus Dei est in corde, verbum in ore electorum. Efficacia verbi est per spiritum: expressio spiritus per verbum.

Dispositio Capitis 60.

Vaticinatur de fœlicitate & gloria restitutæ Ecclesiæ Sionis. Vbi

- Excitat Ecclesiam Sionis, velut in puluere vastationis iacentem, vt surgat, & splendorem restitutionis, libertatis, pacis, salutis, ac fœlicitatis induat.
- Addit rationem præcedẽtis: Quia venit redemptio & restitutio tua, & reddet te dominus gloriosam.
- Gratiam futuræ redemptionis in eo mirabilem fore significat, quòd cùm cæteri populi vastarentur, ipse populus Domini liberaretur.
- Prædicit futurum, vt gẽtes ac Reges religionem populi Dei magno studio amplectantur. Id quod ad regnũ Christi referri debet. Vbi accessionẽ gentiũ prædicit, eamq; tã numerosam, vt suporẽ esset incussura spectantibus. Atq; hic nominatim quasdã gentes exprimit, sub quibus & alias intelligit.
- Significat Propheta cum magna admiratione affluxum omnium gentium ad Ecclesiam Dei, vndecunque instar nubium & columbarum aduolantium: idque per interrogationem. Et addit rationem ex Dei beneplacito sumptam.
- Prædicit restaurationem Sionis.
- Causas tam exilij, quàm restitutionis assignat.
- Vaticinatur de donis gentium ac Regum, quàm illa cumulatim fuerint Hierosolymam deferenda, & restaurationi domus Domini administranda.
- Vaticinatur de restitutione Templi, ad quam de monte Libani adferenda erant Ligna, quæ in illo nascuntur optima, quorum hic species nominat, & gloriam Libani vocat.
- Promittit rerum vicissitudinem, qua, qui antea fuerint hostes, vertantur in supplices. Quod & ipsum ad fœlicitatem & gloriam reliquiarum Israelis pertinebat.
- Vaticinatur de gloria futuræ fœlicitatis, seu restitutione, postquam Sion celebris, illustris, & in magna erat frequentia futura.
- Promittit imbecillibus & adhuc teneris, & velut infantibus alimentum infantium, id est, suppeditationem sumptuum, de lacte ac mamilla, id est, de opibus selectis gentium ac Regum: Reges, inquit, erunt nutrices. Vt & supra dicebat.
- Promittit eam status publici fœlicitatem, qua res illorũ per Babylonios attritæ & proiectæ abundè restituãtur, vt quicquid hostes abstulerint, reddatur in duplo: pro ære, aurũ: pro ferro, argentũ, &c.
- Promittit pacem & iusticiam loco præfectorum & exactorum, qui illis à gentibus impositi, vim intulerunt, & tributa extorserunt.
- Commendaturus futuræ restitutionis fœlicitatem, extollit eam supra lucem Solis & Lunæ.
- Exponit quatenus lucem populi Dei à luce Solis & Lunæ, tanquam præstantiorem, destinguat: Non occidet, inquit, amplius Sol tuus, &c.
- Promittit futuris, redempti è Babylone populi sui reliquijs, stabilem terræ patriæ permansionem, & fœcundam multiplicationem.
- Confirmat Dominus impletionem harum rerum, at suo tempore.

Dispositio Capitis 61.

Commemorat vocationẽ & officiũ suũ, & accommodat illud ad conciliãdam fidem futuræ Israelis liberationi, de qua iterũ vaticinatur. Id quod & ad christi regnũ referri potest vt ex Lucæ 4. satis constat. Vbi

- Affirmat se non proprij cordis adferre cogitata, sed agi ad vaticinandum spiritu Domini.
- Exponit ad quid super ipsum sit spiritus domini: atq; ita & vocationem & munus suum commendat. Oleum seu vnctio, symbolum erat Spiritus sancti. Qui sic vngebantur, in officio suo confirmabãtur. Quare & Propheta se vnctum à Spiritu affirmat: ad hoc videlicet, vt afflictis euangelizet, &c.
- Promittit reuersis è Babylone, status ac rerum ipsorum integritatem, sic vt restituantur ædificia, & possessuri sint agros, vineas & pecora, habituriq; seruos & ancillas, quibus & pecora pascenda, & agros cum vineis colendos tradant. Id facit per apostrophen.
- Alloquitur Sacerdotes, ac promittit illis sacerdotij honorem, quòd in tanto futuri sint honore coram gentibus, vt habituræ sint eos loco Sacerdotum, & Ministrorum Dei, & subsidium illis exhibituræ.
- Pollicetur illis duplicem, id est, cumulatissimam fœlicitatem, ac gloriam pro confusione & ignominia, qua ipsi potissimùm Sacerdotes afficiendi erant inter gentes in exilio.
- Promittit se daturum illis vt seruiant sibi in veritate, id est, absq; vlla hypocrisi, syncerè & veraciter. Vbi perstringit latenter eorum sacrificia, qui de bonis malè partis quædam offerebant ad sacrificia & cultum Dei, quasi homines essent pij, ac Dei timentes, cùm essent impij, iniusti ac Deo odibiles, quorum se sacrificia non modò non suscipere, sed & odisse dicit.
- Promittit gratiæ huius perpetuitatem, robore fœderis confirmatam.
- Promittit notitię suæ propagationem futuram in gentibus.
- Significat fore eos tales vita & moribus, vt quales sint, ipso possit operum conspectu cognosci.
- Suscipit Vates in se personam Ecclesiæ Sionis, è Babylone liberatæ, & exprimit effusum illius gaudium, quo erat in Domino Deo suo gauisura.
- Reddit rationem gaudij: videlicet quòd Deus seruaturus sit Sionem, inq; illa iusticiam suam declaraturus & illustrem ac gloriosam Sionem redditurus.
- Comparat Dominum Ecclesiæ Seruatorem, terræ & horto, germina sua, tempore æstatis in lucem proferentibus.

Dispositio Capitis. 62.

VATICINATVR de salute, iusticia, gloria, & fœlicitate Sionis è Babylone restitutæ. Vbi

- Significat Dominus desolationē Sionis dilectæ, ac nomini suo consecratæ, diutiùs ferre non posse. Non loquitur de silentio oris, sed de cessatione ab opere seruandi & redimendi.
- Exprimit propositum suum, quid videlicet in causa Sionis desolatæ facere constituerit: quòd scilicet producturus sit iusticiam eius & salutem tanta cum gloria, vt instar lampadis accensæ, illustris ac splendida reddatur.
- Vtitur Propheta apostrophe ad Sionem, & exponit quod in præcedenti dictum est à Domino.
- Promittit renouationem ac celebritatem status publici. Hoc enim per nominis nouitatem intelligit.
- Pollicetur Sioni gloriam, & comparat Deum Regi, & Sionem ciuitatem regiam, coronæ ac diademati regni, eò quòd Ecclesia Sionis insigne erat Domini Dei sui. Manus verò Domini hic curam, prouidentiam, ac moderationem illius significat.
- Promittit finem futuræ vastationis & desolationis, rerumque restitutionē: idque similitudinibus mulieris maritatæ, quæ non sit vidua ac desolata, ac sponsi super sponsam suam gaudentis.
- Promittit Dominus restitutæ Ecclesiæ suæ vigiles ac fideles custodes: id est, Duces, Pastores Prophetas & Sacerdotes, quorum erat excubias agere pro salute ac securitate populi, ne quid illi damni alicundè inferretur.
- Facit Propheta apostrophen ad pios omnes, vocans eos, commonefacientes Dominum, propterea quòd illum veluti commonefaciebant, dum precibus illum quotidie sollicitabant, ac pro ciuitate Hierusalem miserabiliter corrupta & deperdita, interpellabant. Poscit autem ab illis, ne cessent, orando & interpellando Dominum: deinde ne sinant Dominum quiescere, quominus necessitatibus Ecclesiæ suæ succurrat. Exprimit autem quid iugiter à Domino petere, nec quiescere, donec impetrent, debeant.
- Inducit Propheta Dominum, fœlicitatem ac fertilitatem iureiurando promittentem.
- Figurato sermone per apostrophen ad præcursores, de reductione ac liberatione Sionis vaticinatur, ac iubet viam parari populo è Babylone ad montem Sion reuersuro, vt hac sermonis figura significet esse illū certò, & commodissimè reuersurum, Ciuitatemq; sanctam restauraturum, & frequentaturum. Iubet vt Præcursores viam repurgent, ac repurgatam sternant.
- Significat collecturum se omnes ex omnibus gentibus, & ad Montem sanctum suum reducturum, perinde ac si Rex quispiam ex omnibus regni sui locis signo militari erecto, copias suas colligat. Quæ postea sequuntur, similia sunt his, quæ cap. 40. suprà commemorata sunt.
- Innuit manifestum fore omnibus hanc Sionis redemptionem, factam esse, non nisi dextera potentiæ Domini, populum suum liberantis, & nomini suo consecrantis.

Dispositio Capitis 63.

PARTES Capit. 63.

- Vaticinatur de vltione Dei, quā erat de hostibus populi sui sumpturus. Vbi
  - Hypotyposi quadam Dominum vltorem describit, comparans illum heroi singulari robore prædito, ac veste cruenta induto, vt alludat ad futuram vltionem, quam sumpturus erat de inimicis, præsertim Babylonijs. Vtitur autem subiectione. Nam perinde ac si videat in spiritu heroem quendam insignem, veste rubicunda indutum, multaq; virtute fortiter grassantem, admiratus, quisnam sit interrogat: Quis est, inquit, iste? &c. Cui respondet Dominus, & aperit quisnam sit. Alludit autem in vocibus Edom & Bozra, ad nominum istorum significationem. Edom enim rubrūm, Bozra vindemiam significat: quasi dicat, Quis est qui sic venit vestibus rubicundis indutus, vt dici possit venire de Edom, & cuius indumenta sic sunt sanguine vuarum rubricata, ac si venerit de Bozra, id est, vindemia.
  - Interrogat iterum quare vestimenta illius sint rubra, qualia sunt eorum, qui vuas rubicundas calcant in torculari.
  - Respondet Dominus per metaphoram calcantis vuas, significans se perinde calcasse hostes suos, ac si quis calcet in torculari vuas, & sanguinem hostium extriuisse, sicut solet sanguis vuarum exteri. Atque hic causam reddit, quare sit indumentum ipsius rubicundum.
  - Significat tempestiuum fuisse, vt vindictam sumeret de hostibus, & populum suum liberaret, cùm nemo fuerit, qui illi auxilium ferret.
  - Exprimit quas vuas calcauit, cùm se populos calcasse dicit. Intelligit autem Babylonis, quorum proculcatio ad redemptionem populi inter ipsos captiui factura erat.
  - Significat quomodo calcarit: inebriando scilicet eos, id est, reddēdo infatuatos, & insensatos, vt omni consiliorum facultate destitutos, velut ebrios deijciat & proculcet.
- Commemorat prisca, & seq. Vide literam A.

A. Commemorat prisca beneficia Dei, quibus populum suum eduxerat ex Aegypto. Vbi

- Summam Cantici sui paucis complectitur: Beneficentiam, inquit, Domini memorabo, eam videlicet, quæ singulariter fuerat erga domum Israelis declarata, quam ob id commemorat, vt fidem vaticinio suo de futura liberatione conciliet.
- Commiserationis verba Deo tribuit, vt exprimat quomodo erga populi sui afflictiones perpetuò fuerit animatus. Non mentiri populum, est syncero esse corde erga Dominum.
- Exponit quando id dixerit Dominus: Vtique populus meus sunt, &c. in omni videlicet angustia eorum. Tum enim angustiabatur & ipse.
- Perstringit ingratitudinem, imò malitiam Israelis: idque non vnius tantùm temporis & facti, sed qua perpetuò aduersus Dominum Seruatorem suum rebellârunt.
- Exponit quomodo Deus Israelem propter malitiam punierit.
- Futurum huic populo prædicit, vt in exilio constitutus ad prisca beneficia Dei sui respiciat, & dierum illorum recordetur, in quibus maiores ipsorum sub Mose constituti, stupenda sunt præsentiæ illius & protectionis exempla & argumenta experti.
- Memorat transitum Maris rubri, & virtutem Spiritus Sancti Mosi concessam.

Orat sub persona populi promaturanda redéptione Sionis. Vbi

- Significat tantam esse calamitatem populi, & miseriam, vt nulla salutis spes supersit amplius, nisi Dominus de cœlo despiciat, ac populo suo succurrat. Loquitur de futura populi miseria in captiuitate Babylonica.
- Implorat fortitudinem & multitudinem miserationum Dei, per modum querimoniæ, qua hæc omnia Patribus olim exposita, iam erga se contineri negarique queritur.
- Rationem precationis subijcit: Quia tu es Pater noster.
- Significat fore, vt in exilio constituti re ipsa experiantur, nihil ipsis auxilij esse expectandum ab Abrahamo, ac alijs Sanctis Patribus, sed à Domino Deo, qui solus sit ipsorum Pater.
- Geminam calamitatem assignat populus, propter quam orat, vt de cœlo Dominus respiciat, ac videat, & opem ferat. Vna spiritualis, altera corporalis est. Ad spiritualem pertinet quod dicit: Quare fecisti nos errare? Quibus verbis non culpam Deo impingunt, quasi iniustè egerit, seducendo ipsos, sed magis stupent quomodo, cùm Pater sit, populum suũ tam graui pœnæ, quantumuis meritæ subiecerit. Significat autem Vates, fore vt in exilio constituti, & errores suos, & impium Dei contemptum agnoscant, & hanc cordium suorum duritiem singularem pœnam & vltionem propter impœnitentiam ipsorum à Deo immissam esse ipsimet confiteantur. Ad corporalem captiuitatem pertinet, quod dicit: Parumper possederunt populus sanctitatis tuæ, &c. Vbi queritur populus se modico tempore Sanctuarium Domini posse disse.

Dispositio Capitis 64.

PROSEQVITVR orationẽ capite præcedenti cœptam. Vbi

- Significat tam grauem fore populi in Babylone calamitatem, tamque acerbum piorum luctum ac dolorem vt clamaturi sint ad Dominum, vt tantorum malorum aspectu motus, disrumpat cœlos, & aduersum hostes suos descendat.
- Aperit populus, qualem descensum & ad quid tantoperè optet: Talem videlicet, qui sit potentia maiestatis, & horrore diuinæ vltionis vehementer terribilis, quo montes: id est, regna hostium à facie illius defluant.
- Commemorat historias summatim, quibus Deus olim terribilia patrasse in Aegypto & in deserto, sic in montem Sina descendisse scribitur, vt totus fumaret, & vehementer esset terribilis.
- Significat Deum fuisse antea, ac benefecisse populo suo obedienti, & in vijs eius ambulanti.
- Agnoscit & confitetur suam immunditiem, non tum cùm hæc à Propheta dicerentur, sed in exilio, videns se in modum immundorum, iuxta Legem, eiectum, ac separatum esse à Domino.
- Queritur de calamitate externa, qua vehementer erat diminuendus, desolandus, & in exilium abijciendus: Decidimus, inquit, sicut folium. Hæc in exilio constituti, dicturi erant.
- Queritur neminem esse, qui iram Dei placare studeat, nomen ipsius inuocando, & pro populo intercedendo.
- Subiungit implorationem clementiæ Dei, qua petit, vt oblitus iniquitatis eorum, finem faciat irascendi, & ad miseriam illorum clementer respiciat, nec vltrà affligat, sed succurrat.
- Proponit Deo miseriam & calamitatem captiuorum spectandam, de qua & conqueritur, quò commiserationis pathos illi excitet.
- Annectit querimoniæ petitionem interrogatione figuratam.

Dispositio

Dispositio Capitis. 65.

PARTES Cap. 65.

Vaticinatur de vocatione gentium.

Reprǽhendit Iudæos rebelles. Vbi

- Conqueritur de contumacia ac rebellione populi Israel, vt quasi rationem reddit, quare vocaturus & amplexurus sit populos gentium: propterea videlicet, quòd populus Israel contumax factus, gratiam suam pertinaciter contemneret.
- Subijcit species quasdam peccatorum & adinuentionum, in quibus populus rebellando, in faciem ipsum irritabat vt sunt, sacrificare in hortis, incensum ponere super lateres, id est, aras ex lateribus constructas contra Legem, sedere in sepulchris. Quæ enim scire volebant, vel occulta, vel futura, sciscitabantur ea à mortuis contra Legem, de quo & suprà cap. 8, & à Dæmonibus: idque ritibus planè ethnicis, & superstitiosis Sic sedebant intra vel inter sepulchra, apparitiones mortuorum elicientes, & pernoctabant in locis desertis, stratis immolatarum pecudum pellibus indormientes, quo per insomnia de futuris instruerentur. Item comedere carnem suillam contra Legem, quæ esum carnis suillæ prohibebat. Quæ quidem prohibitio temporaria fuit, tantisper durans, donec veteris Testamenti dispensatio populum Legis constringebat. Quod autem de iure prophanorum dicit, potest exponi vel de iure carnis suillæ, quam perinde offerebant, & offerendo comedebant, atq; reliquam carnem mundam, vel de iure carnis, tertio post oblationem eius diei denuò oblatæ. de quo Leuit. 7.
- Perstringit peruicaciam populi, quam suis ipsorum verbis notat. Sic enim ad Prophetam, cultus illorum impios ex ore Domini reprǽhendentem dicebant: Non est vt ad nos venias, mane apud te, hære domi tuæ, aliàs sanctifico te ad mactationem, & occidam te.
- Subijcit minas futuræ ac meritæ vltionis, quam comparat grauissimo ac diuturno incendio.
- Significat impiam populi defectionem relatam esse in monumenta studio futuræ retributionis.
- Exprimit quid illis in sinum retribuere velit. Iniquitates videlicet ipsorum, id est pœnas iniquitatibus ipsorum debitas.

Habet promissionē ad reliquias captiuitatis pertinentē. Vbi

- Significat Dominus haud se perditurum pios cum impijs, ideoque non deleturum omnem posteritatem Iacob & Iuda, sed seruaturum ex eo semen, cui porrò montem Sion & terram Iuda ad possidendum tradat. Vtitur autem similitudine admodum pulchra & accommoda: Quemadmodum Agricola, si mustum inueniat in botro, vetat ne vitis illa perdatur, eò quòd non sit in vniuersum sterilis: Sic ego vbi inuenero pios, qui me colant, parcam illis, ne perdam totum populum.
- Applicationem similitudinis explanat, & amplificat.
- Promittit talem terræ possessionem electis, ac seruis suis reliquijs captiuitatis, qua ab omni infestatione hostili, quieti & securi greges ouium & armenta locis vberrimis pascant, quo genere opum maiores ipsorum erant opulenti facti.

Redit ad reprǽhensionē Iudæorum rebellium. Vbi

- Separat à populo suo vero & electo improbos ac reprobos, qui Dominum deseruerant, & idolis sacrificabant: imò etiam magno Gentilium errore decepti, Fortunæ, cui Gentiles diuinitatem adscribebant, sacrificabant. Cogitabant enim hinc Gentiles esse fortunatos, & in bellis victores, quòd Fortunæ sacrificarent: se verò infortunatos, quòd hoc non facerent.
- Minatur impijs vltionem, gladium, & cædem, & causas cur tam grauiter in ipsos animaduertere velit.
- Antithesi vtitur, qua diuersam sortem piorum & impiorum exprimit. Pij edent, bibent, lætantur, gloriosi erunt: impij contrà esuriunt, sitiunt, tristantur, execrabiles erunt & odibiles Deo.

Habet promissionem, & seq. Vide literam A.

Promittit futurum, vt non amplius, siue ad benedicendum, siue ad iusiurandum vsurpentur nomina falsorum deorum, sed solius veri Dei nomine benedicatur & iuretur.

A. Habet promissionem populo Israel factam. Vbi

Rationem assignat, cur iurent nomine Domini. Vbi

Paternam commiserationem notat, qua significat se miseriam illam populi diutius ferre non posse.

Metaphorica & hyperbolica locutione promittit tantam, tamque inopinam tribulationũ ac angustiarum mutationem, & improuisæ liberationis fœlicitatem, vt propter rerum nouam faciem, cœlum nouum, terraq; noua: id est, nouus quidam mundus esse videatur.

Significat quid facturi sint in liberatione è captiuitate, cùm iubet eos gaudere & exultare.

futuram fœlicitaté reliquiarũ Israelis, figuratis, & hyperbolicis locutionibus amplificat. Vbi

Exponit quod versu præcedenti dixit de cœlo nouo & terra noua: Creo, inquit, Hierusalem exultatem: id est, Hierusalem desolatam, captiuam, & afflictam sic restituam, vt quantum tempore desolationis tristis & lugubris extitit, tantum finita desolatione reddatur læta & exultans.

Amplificat futuram fœlicitatem, tantam eam fore significans, vt sibijpsi quoq; futura sit gaudio & exultationi.

Recenset species quasdam futuræ fœlicitatis, quarum

Est, quòd Hierusalem non sit amplius abnoxia talibus calamitatibus, quales expertura erat tempore vastationis, qua per Babylonios, omni cæde, ploratu & eiulatu implebatur.

Longæuitas vitæ, quæ tanta erit, vt si quis centum annorum spatium viuendo non transcenderit, sed centenarius factus mortuus fuerit, pro puero sit habendus, non pro viro, nedum pro sene. Contrà verò qui peccauerit, vltra centum annorum spatium non transcendat. Respicit autem hic ad priscorum Patrum longæuitatem, quorum adolescentia & iuuetus vix centum annorum spatio complebatur.

Est quòd sibijpsis ædificent, plantent, laborent, non alijs gentibus, vt antea. Ostendit autem tam longæuos eos futuros, vt arborum, quas plantabat, dies adæquare possint, tamque diu de fructibus illarum comedere, quàm ipsæ fructus proferre possint.

Est partus fœlix, eò quòd liberi eorum haudquaquam vel morte immatura, vel vi bellica, vel fame, vel peste abripiendi sint, sed diu permansuri. Hic est partus, non ad terrorem, vel conturbationem.

Est, quòd propitias & apertas erunt habituri diuinæ bonitatis aures.

Pax magna, tranquillitas, & concordia intestina, vt nemo inter ipsos futurus sit, qui proximum lædat. Id quod per allegoriam lupi, leonis & serpentis explicat. Quod ipse per sequentia exponit.

Dispositio Capitis 66.

PARTES Cap. 66.

Reprobat Dominus carnalis Israelis fiduciam, qua sibi præsentiã Dei propter Templũ pollicebãtur, seq; ipsi pecuniis sacrificijs admodũ gratificari iudicabant. Vbi

Inducit Dominum præposteram Templi ac sacrificiorum opinionem reprobantem. Vbi negat se habitare in domo manufacta: idq; argumento diuinæ suæ maiestatis, quæ tam sit excelsa & immensa, vt nec cœlo nec terra, nedum domo aliqua manibus hominum constructa comprahendi possit. Vnde per interrogationis figuram negat se ad domum illam lapideam, in qua inani fiducia pendebant, sed ad pauperem & contritum, &c. qui viuum sit Dei templum, respicere.

Reprobat eorum sacrificia, quibus omnem pietatem & cultum metiebantur, & qualia sint, causa adiecta, assignat. Qui enim Domino boues, munera & thura offerebant, ijdem dijs gentium mactabant homines, sues, canes, in sacrificio, & idolis benedicebant, palam contra Legem fœderis, & fidem vni Deo debitam peccantes. Hoc est quod dicit: Etiam hæc elegerunt isti? intellige de sacrificijs Ethnicorum.

Minatur reprobis vltionem, quæ lege talionis omnium sit æquissima, vt impietati illorum ex æquo respondeat. Et addit rationem vltionis.

Consolatur pios in populo Dei, qui cõtremiscebant ad verbũ Domini, quod per Prophetas adferebatur, eãq; ob causam à turba reliqua explodebantur, quæ suas abominationes gloria nominis Dei palliabat.

Vaticinatur, Promittit, & seq. Vide literam A.

Vaticinatur iterum de futura vltione: idque per hypotyposim, perinde ac si iã tum sonitus, tum strepitum hostium cuncta vastantium, non è ciuitate tantùm, sed & ipso Templo audiret. Vocat autem hic hostes Domini, qui ad palliationem abominationum suarum, gloriam nominis Dei prætexentes, dicebant: Glorificatur Dominus, & hoc prætextu simpliciores seducebant.

A. Promittit Sioni restitutionem, pacem, lætitiam, fœlicitatem & gloriam. Vbi

- Vaticinatur de admirabili restitutione Sionis. Comparat autem Sionem mulieri prægnanti. Mulier gestans vterum non pariet, nisi priùs parturiat, & præcurrentibus doloribus ad pariendum adigatur. Verùm hic secus fiet. Sion enim pariet filios antequam parturiat, & parturitionis dolores experiatur. Hac figura significat illam recepturam filios suos præter opinionem subitò, priusquam de illis cogitet.
- Commendat & extollit subitam & inopinam restitutionem per figuram hanc admirationis, tanquam de re insolita, & hactenus nec visa, nec audita. Significat autem fore, vt Siõ subitò ac simul filios suos pariat, & gentem suam vice vna recipiat.
- Exponit cuius id beneficio ac viribus fiat: Quia Dei Seruatoris, non aliorum.
- Alloquitur pios, & admonet, ne iam propter vastitatem Hierusalem lugeant, sed gaudeãt & lætentur.
- Causam addit gaudij: Quia futurum sit, vt participes sint gaudij, salutis, fœlicitatis & gloriæ eius.
- Promittit pacem publicæ quietis, tranquillitatem, ac fœlicitatis prosperitatem.
- Promittit affluxum gentium, quæ post reditum è Babylone ad ipsa vsque Christi tempora Ecclesiam Sionis erant veneraturæ & accessuræ. Exhibito Christo, adhuc amplius, instar torrentis magno cum numero illi sese coniuncturæ.
- Comparat filios Sionis infantibus sugentibus, qui & in sinu (quod hic vocat ad latus portari) gestari, & super genua nutricum ludere & delitiari solent.
- Promittit consolationem maternam, veram lætitiam cordis ex fœlicitate rerum, & hostiũ subuersione prodituram.

Minatur iterum impijs Israelitis vltionem diuinam, ex ira, furore, & indignatione Dei super ipsos venturam. Vbi

- Comparat vltionem Dei igni turbini mixto, & inducit Deum iratum, ac furore percitum, ac venientem in morem Regis cum inuicto exercitu, datq; illi turbinem loco quadrigarum. Atque his vocibus grauitatem vltionis exprimit. Loquitur autem de vastatione hostili, quam erat per manus Babyloniorum Sioni & populo Iuda immissurus. Cùm autem dicit: Et increpatio erit in flammis, loquitur ad similitudinem tempestatis, in qua tonitrua horrendum sonant, & flammæ ignis terribiliter feruntur. Huiusmodi tonitrua vocat increpationes Domini.
- Comparat Dominum, pœnas de reprobis sumpturum, Iudici in maleficos animaduertenti, & alios igne, alios gladio, pro qualitate facinorum punienti. Per omnem carnem, intelligit non prorsus vniuersaliter omnẽ hominem, sed omnis generis & status & ordinis reprobos in eo populo, in quo erat iusto iudicio, & absque vllo discrimine vltio diuina grassatura. Id quod per sequentia explicat, cum dicit: Et multi erunt interfecti Domini.
- Perstringit singulariter eos, qui à legitimis ritibus & cultibus deficientes, arbitrarios, Ethnicos & superstitiosos sequebantur. Nominat autẽ non omnes illorum species, sed vnam & alteram duntaxat, purificationis scilicet & ciborum, sub quibus tamen & reliquas abominationes intelligit. Isti enim impij contẽpto legitimo purificãdi ritu, ad modum ethnicum purificabant se in hortis, vbi aras deorum erexerant, & sacrificia quoque offerebant. In hortis illis habebant suas passiones, in quibus sacrificaturi, ethnico prius ritu lauabant, seq; purificabant. In hortis autem se purificantes, lauãrunt non simul, sed singulatim alius post alium, quòd sic religiosius purificari viderentur. Et lauerunt non separatim in abdito, sed in medio circumstantium, vt hoc modò oculos in nudis lauãtium, præsertim muliercularum corporibus, pascerent.
- Exprimit ad quid hoc modo purificabantur impij: vt videlicet comederent carnem suilliam & murem, idque in sacrificio, contra Legem Domini Leuit. 11.
- Idolatris istis & superstitiosis vltionem minatur, & excidium.

Vaticinatur sub persona, & seq. Vide literam A.

A.

Vaticinatur sub persona loquentis Dei, de vocatione gentium, quæ post restitutas è Babylone reliquias, per Euangelij prædicationem ad Ecclesiam Sionis sunt adductæ. Vbi

Prædicit se vocaturum gentes ad sui cognitionem, & eas venturas esse vt gloriam Domini videant.

Significat electurum se & obsignaturũ in Israele quosdam, qui de numero & multitudine pereuntium seruentur. Vnde hos statim seruatos vocat, & ereptos. Ex seruatis istis & obsignatis fuerunt & Apostoli, quos ad gentes missos esse nouimus.

Specificat quasdã gentes & linguas remotas à populo Israelis, per quas tamen & reliquas intelligit. Intelligunt autẽ per hanc specificationẽ quatuor esse totius orbis fines expressos: Orientem, Occidentem, Meridiem & Septentrionem. Sic deputant Tharsim Septentrioni, Pul, id est, Aphricam, Meridiei: Lud, id est, Lydios arcum tendẽtes, Orienti: Tubal & Iauan, id est, Italiam, & Iones, Græcos videlicet, Occidenti.

Commemorat fructum prædicationis euangelicæ. Per Euangelij enim prædicationem ac fidem in Christum gentes ita mundabantur, vt possent offerri Domino in oblationem gratissimam. Vide Rom. 15. Sacrificans Euangelium Dei, vt fiat oblatio gẽtium acceptabilis. Per fratres autem intelligit electos ex gentibus.

Significat tantam fore multitudinem, tantumque feruorem credentium ex gentibus, & ad Ecclesiam fidemque Sionis accidentium; vt putes te videre populos ex remotis locis aduehi, equis, curribus, &c. Per mõtem autem Domini & Hierusalem, Ecclesiam fidelium toto terrarum orbe dispersam intelligit.

Prædicit sumpturum se ex gentibus Sacerdotes: id est, verbi Dei Ministros, illisque adiunctos, quos hic Leuitas vocat.

Promittit semen electorum permansurum in sempiternum, idque per collationem.

Promittit certorum tantùm dierum & mensium, vt erat in Lege, solennitatem, sed iugem ac continuam. Nam singuli dies spirituali sunt Sabbato sacri in nouo Testamento. Id quod Dominus per sequentia exponit, cùm dicit: Veniet omnis caro vt adoret coram me.

Vaticinatur de exterminio impiorum in extremo iudicio futuro, quo sic punientur impij, vt pœnis æternis subijciantur. Id explicat sub parabola cadauerum vermibus scatentium, & igne incensorum, quorum vel aspectus abominationem incutit spectantibus. Loquitur enim Propheta ad similitudinem magnæ stragis, qua cæsi sint homines impij magno numero, iaceantq; cæsorum cadauera inhumata, partim vermibus scatẽtia, partim igni iniecta, ad quorum spectacula egrediantur, qui per illos diu & grauiter fuerant oppressi: propterea dicit. Et egredientur & videbunt cadauera virorum.

VATICINIORVM ESAIAE PROPHETAE FINIS.

DISPOSITIO

DISPOSITIO VATICINIORVM, SEV Concionum Danielis Prophetæ.

Dispositio Orationis Danielis Prophetæ: ac primum de Daniele Propheta.

LOCI duo. DE

- Vita Danielis, descripta à.
  - Natalibus: Fuit enim ex Tribu Iuda prognatus: semine, vt ipsemet testatur cap. 1. Regio.
  - Nomine: Daniel enim Dei iudicium significat. Quod nomen inditum illi est à singulari Dei prouidentia. Annunciata enim sunt per hunc hominem, non modò iudicia Dei, sed insuper, Iudex præsentissimus assertor & defensor fuit Deus. Id quod nobis ipsa explicabit eius historia.
  - Pueritia: Puer enim Daniel in literis bonis ac sacris institutus esse videtur, vsus Præceptore Hieremia, cuius ipse honorificam facit mentionem, Daniel 9. Postea duodecim ferè annorum, aut circiter, in Babylonem captiuus est abductus, in captiua familia regia, ibique iussu Regis artibus, vel disciplinis optimis, ac linguis institutus, omnes suos coæquales eruditione & scientia superauit. Profectus enim eius fuit singularis & excellentissimus, sobrietas eius timorq; Dei admirabilis.
  - Iuuentute. Vbi commendatur.
    - A pietate, timore Dei, sobrietate, humilitate, castitate, fide, ac cæteris virtutibus.
    - A dignitate: Erat enim consiliarius regni Babylonici, & vnus ex summis gubernatoribus sub Regibus Chaldæorum, & sub Dario Medo, & Cyro Rege Persarum, annis amplius octuaginta.
    - Ab authoritate maxima: Nam sapientissimus nuncupatur ab Ezechiele cap. 28. à Hieronymo Multiscius vocatur, eò quòd insignis secretorum cœlestiũ cognitor fuerit, futurorum præscius, & visionum interpres. Numeratur ab Ezechiele medius inter sanctissimos Dei amicos, Noe & Iob, Ezech. 14. Et Archangelus Gabriel nominat ipsum, Virum desideriorum, Daniel. 9.
    - Ab actis, seu studijs: Scripsit enim librum partim Hebraicè, partim Chaldaicè, Oratione quidem breui, verùm graui, euidenti, perspicua & eleganti, in quo multa commemorat, ac Chronica, vel Epitomen rerum ac temporum mundi mirificè contexit, incipiens à regno Babylonico, & deducens res vsque ad finem mundi, ea potissimùm tractans, quæ pertinent ad populum Dei, differens de eius sorte, deque persecutionibus, atque salute eiusdem. Multa sunt eius & alia acta amplissima, quæ in libro eiusdem videre licet.
  - Senecta: Vixit enim annos vitæ ferè 110. teste Isidoro in opusculo de Vita & obitu Sanctorum.
- Partitione libri. Diuiditur enim in duas partes, quarũ
  - Pars continet actus celebres sex, totidem capitibus compræhensos, plenos eruditionis ac vtilitatis.
  - Exponit visiones de
    - Monarchijs & regnis aliquot mundi.
    - Antichristi regno & Christi.
    - Fine mundi.

De prima parte operis Danielis: videlicet de Actibus.

Dispositio Capitis & Actus I.

DE Scholarum institutione exemplo Regis Babylonici. Vbi exponitur.

Regis Babylonici diligentia in Scholis instituendis, & erudienda iuuentute. Principum enim ac Regum est dare populo Doctores & Administratores, adeoque singulariter curare Scholas.

Delectus, seu substitutio Scholarchæ, aut Præfecti studiorum, qui Studiosorum curam habeant. Cùm enim Reges multis magnisque negotijs distineantur, diligendi sunt homines ingenio, diligentia & authoritate præditi, quibus Scholarum demandent curam, sicut hoc loco facit Rex, qui non leuiter sanè de Scholis iudicauit, qui eas Præfecto vel Magistro Aulæ, primario, primæq; authoritatis in tota Aula Regia, viro, commendauit.

Delectus ingeniorum. Deligendi enim sunt ad scholas,

- Honestis & liberalibus prognati parentibus, eò quòd tales honestis & liberalibus ingenijs maximè præditos esse constat, quales & Rex Babylonius eligi iubet.
- Qui vitium non habent, sed facie sunt ingenua & honesta, siue vultu decoro. Nam vitia corporis plerumque certa indicia sunt distorti & corrupti ingenij. Hæc vitia, quæ st udia impediunt, varia sunt. Ad studia enim parum idonei sunt surdastri, luscìosi, cæcutientes, fracti viribus, debiles, linguæ impeditæ, & eloquio obscuro, pueri.
- Qui ingenio valeant, vt discere possint scientiam, cognitionem, & omnem eruditionem: id est, omne id quod pertinere videtur ad solidam & absolutam sapientiam. Hoc est quod dicit: Intelligentes in omni sapientia, & peritos scientiarum, &c. non qui iam absoluti sunt in omni doctrinarum genere, alioqui cur iuberet eos tradi Magistris? sed qui his sint præditi ingenijs, vt facilè scientiam percipere possint.

Quid discant Studiosi: Literas scilicet bonas, & linguas. Linguæ enim & bonæ literæ discendæ sunt & docendæ in Scholis. Ac illæ potissimùm linguæ discendæ sunt, quibus scripti sint optimorum authorum libri, qualis est Græca, Latina: & Theologis in primis necessaria est Hebræa. Discendæ sunt illæ etiam linguæ, quibus loquuntur isti, quibus inseruire, & quibuscum agere debemus.

Ad quid discere debeant Studiosi: Vt videlicet inseruiant tandem Regibus, id est, vel Politiæ, vel Ecclesiæ. Hoc est quod dicit: Qui facultatem haberent in palatio Regis standi, vel administrandi.

Tempus studiorum: Iubet enim Rex educari eos in studijs tribus annis: nimirum vt exactis his, periculum fieret, quid profecissent in literis & linguis. Studia enim in Scholis non sunt perpetua, sed suum tempus habent, vt quod dedicimus, postea in lucem proferatur, & ad frugem perueniat.

Victus Studiosis debitus à Principibus: Aequissimum enim est, vt qui destinantur munijs publicis & Ecclesiæ, vel Reipublicæ inseruiunt, & vt inseruire possint, educantur, publicis etiam alantur è vectigalibus.

Mutatio nominis Danielis & sociorum eius: Quod factum est vel in testimonium seruitutis: illorum vt cogitent se deuictos ac seruos Babyloniorum esse, illisq; seruiant fideliter, vel propter religionem, veram Iudæorum, quam illi odio prosequebantur. Quare Magister Palaij edicto Regis, nomina illis imposuit Babylonica, vel Chaldæa, pro Hebraicis.

Quid Studiosis faciendum, in bonis literis proficere volentibus: Videlicet vt sobrij sint, neque quicquam contra Legem Dei faciant. Delicata mensa multos auertit, & à studijs, & à veritate, ac intemperantia in cibo & potu progignit libidinem. Vocat autem Daniel cibum regium coram Aulæ Magistro cibum immundum, certè iuxta suam religionem, & iudicium Legis diuinæ. Modestè tamen & prudenter hoc proponit, non conuiciando, sed supplicando, & suam confitendo religionem, quæ tradebat, quibusdam animantibus abstinendum esse, nisi quis pollui velit. Etsi autem id quod petebat ab Aulæ Magistro impetrare non potuit, impetrat tamen à Curatore, quem Magister Palatij illis præfecerat, sed cum conditione.

Profectus quatuor puerorum in Scholis, & vnde fuerit eorum profectus, & quòd omnes suos excelluerint coæquales: imò Magos etiam & Philosophos, maximè verò Daniel.

Examen Regis Babylonici de profectu studiorum, exactis tandem tribus annis. Hoc examen in Scholis maximè vtile & necessarium est. Hoc examen significat Regem fuisse doctissimum, & summum Philosophum.

Dispositio

Dispositio Capitis & Actus 2.

- De vera & falsa sapientia. Vbi proponitur
  - Vera sapientia, quæ est cognitio Dei omnia gubernãtis, Christiq; eius, Seruatoris nostri, & regni eius æterni, quæ non ex carne, aut mundo, sed è cœlo, authore Deo oritur. De scribitur hic
    - Persona, quæ ad hanc sapientiam vniuerso mundo promulgandam deligitur, Regis videlicet, in orbe inter Monarchas omnium charissimi, qui appellari merebatur Caput aureum. Sparsit hic mirificum suum somnium per vniuersum mundum: orbis enim Monarcha erat. Hoc significat diuinam sapientiam, vel cognitionem de Christo spargendam fore per vniuersum orbem in omnes gentes. Id quod factum est per prædicationem Apostolorum.
    - Tempus, quo reuelatum est Regi somnium, sapientiam diuinam continens: Anno videlicet regni secundo, id est, vt Iosephus in 10. Antiquit. lib. scribit, post annum secundum Aegyptiacæ vastitatis.
    - Modus reuelationis cœlestis huius sapientiæ. Reuelatur enim Regi non vulgari modo, sed maximè insigni & celebri, per somnium videlicet. Nam hæc ratio aperiendi mysteria & voluntatem Dei antiquitùs à Deo legitur vsurpata, reuelatáque non vulgaribus hominibus, sed Regibus potentissimis, vt Abimelecho. Genes. 20. & Pharaoni. Genes. 41.
    - Affectio Regis erga somnium. Deus enim immittit illi non tantum somnium, sed & terrorem maximum, quo ad indagationem somnij mystici impellatur.
    - Conuocatio & synodus omnium Sapientum & doctissimorum hominum in mundo. Iubet enim Rex omnes mundi Sapientes conuocari, à quibus somnium vnà cum somnij interpretatione requirit. Qui tamen nihil de somnij veritate definire possunt. Factum id à Deo est, vt hoc negotiũ quàm latissimè spargatur per vniuersum mundum, & mysterium Filij Dei in maximo hoc cœtu reueletur. Sicut reuelatur Christus. Matth. 2. inter maximos orbis homines, in cœtu omniũ celeberrimo, coram Rege potentissimo Herode.
    - Colloquium Regis cum Sapientibus serium.
  - Collatio veræ & falsæ sapientiæ. Vbi describitur
    - Falsa sapiētia, quæ existit ex carne & mundo: ideoq; ea sapit, quæ sunt mundi, non quæ Spiritus Dei. Professores huius sũt Sapientes Babylonis, Magi, Pharisæi, Scribæ, &c. In descriptione huius sapientiæ describitur
      - Salutatio Philosophorum officiosissima. Sapientes enim huius seculi instructi sunt salutationibus, adulationibus, officiositate, & omnibus rebus, quibus hic mundus & Princeps mundi delectatur.
      - Lingua, qua vsi sunt Sapientes coram Rege. Vtuntur enim non Chaldæa, sed diuersa lingua, nẽpe Syriaca, quò apud Regẽ celebriores habeãtur. Sicut & Sacerdotes Papistici non vulgari, sed Latina, in sacris præcipuè, vtuntur.
      - Qualitas mundanæ sapientiæ. Est enim ea præsumptuosa & iactabunda, sicut hîc Sapientes Babylonis liberaliter Regi pollicentur, iubentes Regem recitare somniũ, tunc enim se interpretationem mox subiũcturos. At Dei interim authoris veræ sapientiæ nullum faciunt mentionem: imò affirmant Deum cum carne non habitare. Deum nõ curare res mortalium, Deum non esse incarnatum, nec cruci affixum. Ratio est, quia mundi sapientia non è Spiritu Dei, sed ex carne oritur, & carne inflatur, & carnem quærit, viribus humanis omnia tribuens, fingit se scire omnia, excusat ac occulit suam ignorantiam, sicut hoc loco vides.
      - Finis humanæ sapientiæ, qui est certissimus interitus. Sapiētia humana nõ viuificat, sed occidit. In solo Dei Euãgelio sapientia cœlesti, quæ vitam in solo Christo ostendit, vita per fidem inuenitur.
    - Vera sapientia, cuius professor erat Daniel homo peregrinus, & captiuus in Babylone, in mundo cõtemptus, sic & alij Prophetæ & Apostoli. In huius descriptione proponitur
      - Intercessio Dauidis apud Regem, robur animi ac fides in Deum robusta, coniuncta cum prudentia,
      - Vnde sit vera sapientia, quia à solo Deo, à quo petenda impetrandaq; precibus. Exemplo hæc discimus Danielis & sociorum eius.
      - Efficacia orationis fidelium, & reuelatio arcani.
      - Gratiarum actio pro reuelatione arcani, in qua Dei maiestatem, bonitatem, & potẽtiã celebrat. In hac docemur nos quoque gratias agere pro reuelato nobis Euãgelio, doctrina salutis nostræ certissima
      - Charitas syncera Danielis, qua hostibus etiam vt Philosophis & Magis benefacere contendit, ne pereant.
      - Interrogatio Regis admiratoria: an videlicet possit ipse somnium exponere.
      - Responsio Danielis, & seq. Vide literam A.

A. Responsio Danielis, in qua
- Significat neminem Philosophorum posse somnium explicare. Humana enim sapientia non potest mysterium salutis explicare.
- Exponit vnde sit vera sapientia: Quia à Deo.
- Explicat finem mysterij: Ostendit, inquit, tibi Deus, quid in nouissimo futurum sit.
- Præmittit expositioni qua occasione, & quo loco oblatum sit illi somnium.
- Exponit somnium Regis, quale in se ipso oblatũ fuerit Regi. Vbi
  - Narrat Regi oblatam illi esse imaginem in somnis, & qualis fuerit imago: Hominis videlicet referens figuram, capite, pectore, brachijs, lateribus, ventre, cruribus, pedibusq; & his quidem auro, argento, ære & ferro constantibus.
  - Addit comminui illam minutatim per quendam lapidem.
  - Exponit vnde lapis ille sit, & quòd futurus sit mons magnus.
- Subiungit somnij interpretationem, quidnam illo significatum sit. De hoc vide facie altera.
- Concludit interpretationem cum asseueratione.

Affectio Regis erga diuinam arcanorum reuelationem.
Confessio Regis pijssima.
Liberalitas & munifica gratitudo Regis in Danielem Doctorem, & socios eius.

De interpretatione Somnij.

PARTES interpretationis somnij.
- Partes imaginis exponit, proponens 4. mundi mutuò sibi succedẽtes Monarchias, sub specie partiũ, seu mẽbrorũ corporis humani. Hic explicat quid per
  - Caput imaginis aureum intelligamus. Monarchiam videlicet Babylonicam: in primis Regem Nabuchodnosorem. Hæc Monarchia caput nuncupatur, quia inter Monarchias prima est. Aureum verò, quia insigni sapientia, fortitudine, iusticia, vereq; heroicis virtutibus erat prædita.
  - Pectus & brachia argentea significetur. Monarchia videlicet Persica, Babylonica aliquantò inferior, sicut argentum inferius est auro. Hæc Monarchia habuit Reges decem, & regnârunt annis circiter 228. sed plerunque grauissimis infœlicibusq; bellis fuerunt impliciti.
  - Aereum ventrem & latera ærea significetur. Alexandri videlicet, vel Græcorum Monarchia, quæ Persicâ fuit inferior. Propheta tamen dicit, quòd vniuersæ terræ sit imperatura. Potissimas enim habitati orbis partes Alexander occupauit, & regnum reliquit moriens suis Ducibus, Philippo Aridæo, qui tenuit Macedoniam: Ptolomeo Lagi filio, qui regnauit Alexandriæ, in Aegypto: Antigono, qui Asiæ præfuit, & Seleuco Nicanori, qui Syriam recepit; mox etiam Asiã deditione accepit, & regnum Græcorum constituit.
  - Pedes ferreos intelligatur: videlicet Romanum Imperium, de quo quatuor commemorat. Quòd sicut
    - Ferrum forte ac durum est, & omnia comminuit: Ita Romanum Imperium durum ac forte sit, quòd regna omnia mundi comminuat & opprimat. Quæ enim natio est sub Sole, quam non vexârint arma Romanorum?
    - Pedes & digiti partim è testa figuli vel luto, partim è ferro constabant: Ita regnum hoc diuisum fore, & tamen retenturum de ferreo robore aliquid, quemadmodum testæ mixtum erat ferrum. Vt enim pes vnus in digitos pedis varios distinguitur, ita Romana Respublica vna quidem fuit, sed scissa est sæpius in factiones, per seditiones & bella ciuilia, quibus tamen non redacta est in lutum penitùs, sed retinuit non nihil ferri in se: id est, firmitatis. Subinde enim vires receperunt Cæsares Romani, & compositionibus factis, redierunt in concordiam.
    - Digiti pedum partim ferrei, partim lutei: Ita Romanum Imperium partim robustum, partim fragile fore. Etenim nunc victores fuerunt Romani, nunc victi.
    - Ferrum luteæ testæ mixtum non satis cohæret, ita miscendos & copulãdos quidem inter se Romanos, humano semine: nimirum connubijs affinitatibusq;, sed non cohæsuros mutuò. Exponunt hoc de Iulio Cæsare & Pompeio. Iulius enim Iuliam suam filiam Pompeio ad retinẽdam necessitudinem in matrimonium collocauit: quo tamen nihil Cæsar ipse effecit.
- Exponit quæ, & seq. Vide literam A.

A.

Exponit quæ antè de lapide commemorauit. Atq; in hac parte veræ sapientiæ præcipua cognitio versatur: propter hoc enim totum somnium, Regi à Deo est reuelatum. Explicat autem hic

Vnde sit lapis ille, quia ex monte. Cùm autem lapis hic Danielis Christum significet, vt ex alijs locis apparet, & Christus geminæ sit naturæ, verus Deus, & verus homo, rectè intelligimus per montem: partim quidem locum excelsum, ipsum cœlum, si diuinam naturã consideres: inde enim Christus ad nos descendit: partim verò populum Dei, è quo sumpsit carnem, natus ex Maria virgine filia Abrahæ atq; Dauidis.

Tempus quo lapis, id est, Christus, è monte, id est, cœlo venerit in mundum, regnum sibi constiturus: In diebus, inquit, Regum istorum. Reges sanè fuerunt Romanorum primores. Negari ergo non potest venisse Christum sub Monarchia illa Romana, ferrea, sicut & Lucas. cap. 2. ostendit.

Quod hic lapis factus sit mons magnus. Quod significat Christum amplissimum habiturum regnum per vniuersum orbem, quod æternum sit, huius & illius sempiterni seculi. Nam & in interpretatione dicit Daniel: Deus cœli regnum condet, &c.

Quòd lapis omnia regna mundi comminuat, propter falsos cultus, quos Ecclesiæ obtrudere voluerunt, & in fine seculi omnes hostes eius subijciantur pedibus eius.

Dispositio Capitis & Actus 3.

De vera & falsa religione. Vbi describũtur.

- Falsæ religio, quæ simulachra extruit, & colit, vt hîc vides. Describitur autem hoc loco
  - Persona, quæ iussit erigi statuam, Regis videlicet Babylonici, omnium clarissimi. Idola enim authoritatem accipiunt. Primùm à suis fundatoribus, id est, Regibus & personis eximijs: deinde à materia, ex qua fiunt, vt ex auro, sicut & hæc statua multis, ob auri præstantiam, miraculo fuit. Item ab arte.
  - Locus, vbi erectum est simulachrum: videlicet in campo Dura, amœno & singulari loco, quo statua commendatior habeatur.
  - Finis, in quem Rex statuam erexerit: Religionis scilicet gratiã. Nam adorationem palàm requirebat.
  - Dedicatio, seu festum, ac celebritas maxima simulachri.
  - Conuocatio omnium Principum ad dedicationem. Authoritas enim fere omnibus rebus accidit ex eo, si hoc vsurpetur & honoretur à pluribus, & maximè à Principibus & Sapientibus.
  - Prompta Principum Magnatumque obedientia in idolatria ac errantium multitudo. Consensus enim Principum & multitudo hominum confirmabant idolatriam, sicut & hodie confirmant.
  - Edictum regium sub pœna incendij, nisi colatur statua. Permultum enim authoritatis accessit semper ex decretis & mandatis Regum & Principum, mandantium colere idola, & sequi falsos cultus.
  - Adoratio & cultus simulachri.
- Collatio veræ ac falsæ religionis. Vbi describuntur
  - Falsæ religionis Ministri. Hic proponitur
    - Delatio Sanctorum Martyrum per idolatras apud Regem. Idolatræ enim Chaldæi acerbißimè accusant viros tres Iudæos. Ita & nunc deferuntur Sancti apud Regum tribunalia.
    - Inquisitio in fideles per iuridicum processum. Vocantur hic tres viri ad examen & iudicium, vt ex eo intelligas, quomodo quouis seculo vera religio impetatur à falsa.
    - Irrisio fidei Martyrum. Vides hîc trium virorum fidem eleuari, ac extenuari à Rege: Quis, inquiens, ille Deus, qui posit vos eripere de manu mea?
  - Veræ religionis, & seq. Vide literam A.

A.
Veræ religionis ministri, & eorum sors & conditio. Vbi proponitur

- Confeſsio prudens, religioſa, perſpicua, ac liberrima trium virorum, in qua mirificè prædicāt Dei potentiam, & deſtinguunt inter ipſos deos ac deorum imagines. Diſertè enim fatentur, ſe nec deos regis velle colere, nec ſimulachrum eius adorare.
- Delectus fortiſſimorum virorum, qui deliguntur à Rege, vt pios Martyres in fornacem ignis proijciant.
- Horrendum ſupplicium Martyrum propter liberam eorum confeſſionem.
- Mira celeritas virorum delectorum ad inferendum ſupplicium à Rege iniunctum. Perſecutores enim veritatis moras nectere neſciunt, ſed celerrimè accelerant pedes eorum ad effundendum ſanguinem innoxium.
- Conſumptio Miniſtrorum ſcelerum per flammam ignis. Vtitur enim Dominus creaturis ſuis ad ſalutem ſuorum, & ad interitum hoſtium ſuorum.
- Miraculum ingens: Quòd videlicet ſancti Dei Martyres firma fide Deo adhærentes, illæſi mirabiliter, & corporibus & veſtibus in igne perdurauerint, ſaluique per diuinam potentiam permanſerint.
- Affectio Regis erga miraculū, cuius omnes partes recenſet.
  - Fatetur vinctos iam eſſe ſolutos.
  - Fatetur vinctos ambulare in medio ignis. Magnum certè eſt expeditè ambulare in igne, ſeu ſpatiari in loco amœno.
  - Adijcit tribus his quartum quoque adiunctum, ſimilem Filio Dei: nempe Angelum,
- Quid egerit Rex cum Martyribus, & quòd exire iuſſerit, honorifica eos appellatione compellans.
- Quomodo gerant ſe Martyres ad mandatum Regis exire iubentis. Regis mandatis parent ſimpliciter, & egrediuntur, nec miraculi inſolentia inflantur, non garriunt, ſed rem ipſam, ac rei magnitudinem, experientiamque loqui ſinunt, exhibentes ſe omnibus ſpectandos, ſumma cum humilitate & modeſtia.
- Amplificatio miraculi per teſtimonium publicum. Producuntur enim teſtes miraculi omnes ordines, regni proceres, ac Regis conſiliarij.
- Pœnitentia Regis, quam fructibus quibuſdā pœnitentia dignis declarauit, vt ſunt
  - Doxologia, qua gratiam Dei commendat, & Martyres à fidei ſynceritate & conſtantia laudat.
  - Edictum promulgatum pro gloria Dei contra conuitia & blaſphemias. In hoc edicto.
    - Exponit, quibus hoc decretum denunciatum ſit: nationibus ſcilicet & linguis, quibus dominabatur.
    - Prohibet conuitium in verum Deum, peruerſum contumelioſumq́; verbum.
    - Proponit pœnam blaſphemis, vnà cum ſubiecta ratione.
  - Reſtitutio Martyrum in integrum, honorq́; ampliſſimus in Martyres ſanctos & glorioſos collatus.

Diſpoſitio

Dispositio Capitis & Actus 4.

- **De humilitate contra superbiam, id quod Epistola Regis Babylonici, illiusq; exẽplo proponitur. Cuius Epistolæ.**
  - Scopus est expositorius. Exponit enim Epistola denunciatoria, ad omnes gentes scripta, quid ipsi propter superbiã euenerit, & quam grauiter à summo iustissimoq; Deo punitus sit. Restitutus autẽ per Dei gratiam, Deum glorificauerit. Suo autẽ exemplo admonet omnes, ne superbiant, efferanturq; rebus fœlicibus, sed modesti sint perpetuò & humiles coram Deo suo, qui nullo negotio omnes arrogãtes in ordinem redigere, deijcereq; de fœlicitate possit. Id ꝙ ex fine capitis huius facilè colligi potest.
  - Partes quæ sunt
    - Subscriptio epistolaris. Rex enim Nabuchodonosor profitetur se esse authorẽ huius Epistolæ. Hunc Deus nobis singulari gratia doctorem hac in re proponere voluit, Regem vtiq; gloriosissimum, habentem authoritatem maximam, vt doctrina ac exemplo potentissimi Regis discamus & nos superbiam fugere, ac humilitatem sectari.
    - Inscriptio, vt quibus hæc Epistola destinata sit: Omnibus videlicet populis. Etsi verò Nabuchodonosor suis subditis hanc Epistolam scripserit, pertinet tamen etiam ad nos omnes, vt ex hac discamus moderationem animi, fugiamusque, vt certissimam pestem generis humani, arrogantiam & fastum.
    - Salutatio, qua precatur illis multiplicationem pacis: id est, collationem omnis boni, & depulsionem omnis mali. Principum enim est populis suis procurare pacem.
    - Exordium, quo exponit, quid ipsum ad scribendum impulerit: Quòd nimirum æquum sibi videatur, & pulchrum admiranda Dei opera, quæ in ipso Rege exercuit, prædicare, ad gloriam Dei, multorumque hominum emolumentum. Et additur ratio. Prædicatio ergo operum Dei non dedecet maximos Principes, imò illis maximè præcipitur, vt narrent opera Domini miranda.
    - Somnii Regis. Vbi proponitur
      - Tempus somnij, quando videlicet illi sit oblatum somnium. Obuenit enim Regi somnium, cùm in domo sua esset quietus & fœlix: denique florens & abundans omnibus bonis in Babylonico suo palatio.
      - Terror Regis. Deus enim præuidens hominum peccata in statu fœlici, admonet homines maturè iudiciorum suorum, vt sibi caueant, ne cadant, & collidantur.
      - Conuocatio Sapientum Babylonicorum ad explicationem somnij. Prudenter verò facit Rex, quòd Sapientes in re obscura consulit. Verùm hic errat turpiter, quod in re graui illos adhibet in consilium, qui pridem declarauerant, quales toti vera essent, iactatores & arrogantes, sed interim rerum diuinarum imperiti.
      - Danielis productio in conspectum Regis, eiusque encomium. Præfertur enim Daniel omnibus mundi sapientibus. Rex enim Spiritum Dei in Daniele agnoscit, & prædicat. Vult enim Deus Doctores Ecclesiæ authoritate & honore à Principibus ornari propter doctrinam, ne contemnantur, sed in precio habeantur magno.
      - Narratio historica sõnij ab ipso Rege. Vbi proponitur
        - Descriptio arboris amplissimæ. Dicitur enim fuisse.
          - In medio terræ.
          - Magna, robusta.
          - Eximiæ proceritatis.
          - Conspicua vndiquaque.
          - Frondosa, ferax.
          - Præbens victum & vmbram animantibus, & auiculis nidos.
        - Excidium arboris ad truncum & radicem vsque quam conseruari vult Angelus huius rei nuncius. Vbi tandẽ ab arbore desilit ad personam, quæ dicitur constringenda esse catena ferrea & ænea, & habitatura in agro, vbi rore, id est, pluuijs & niuibus, sit tingenda, & pabulum ex herba campi sumptura, vna cum feris. His verbis videtur insania describi. Furiosi enim catenis constringuntur, & si elabi queant, erumpunt in syluas & agros, in quibus beluarum instar oberrant. Sic enim postea sequetur. Humana ratio illi eripiatur, & sensus indetur beluinus.
        - Moderatio iudicij Dei, non vult hoc illi esse perpetuum, sed ad certum tempus impositum.
        - Certitudo iudicij huius, de eo quod Dei decretum sit ideoque certum. Nam Angelorum decretum, Dei decretum vocat, vt postea exponitur.
        - Scopus & finis vniuersi somnij: vt videlicet intelligant omnes, quòd excelsus imperitet.
        - Conclusio narrationis, qua petit hoc sibi explicari à Daniele, quòd Sapientes nihil hic præstare possint.
  - **Affectio, Vide literam A.**

Affectio Danielis ad infœlix Regis somnium. Primùm silet, vt pro facultate interpretandi somnium, Dominum oraret. Neque enim potuerunt serui Dei, Prophetæ & Apostoli, quoties ipsis libuisset, aut mysteria abscondita aperire, aut signa ac prodigia edere: non enim plus possunt Sancti, quàm ipsis concedat Deus. Deinde tristitia afficitur graui, ac infortunio Regis condolet. Hac verò locutione cùm dicit, Domine hostibus tuis hoc eueniat, non docet mala imprecari inimicis nostris, sed infœlicissimam Regis sortem significat, quam quis, vt vulgò fieri solet, hostibus suis optet.

Somnij expositio, cuius tres sunt partes. Quid

- Per arborem significetur: videlicet Rex, qui regnum consecutus est amplissimum, gloria, potentia, maiestate in toto orbe gloriosum, fœlix & incomparabile. Atque hîc officium Principum describitur. Sicut enim arbor vmbram & hospitium præbet animantibus & auibus: ita omnes Magistratus subditis suis, imis æquè ac summis refugium, adeoque tectũ esse debent, sub quo tuti, & pacificè regant. Ac sicut ex fructibus huius arboris comedunt vniuersa animantia: ita Principum est cibare pauperes, præcipuè verbi Ministros, prohibere otium, ne quisquam panem gratis comedat.
- Significetur per vigilem sanctum, iubentem vastari arborem, denunciantemq́; Regem vinculis ferreis colligandum, in campo rore cœlesti tingendum: id est, habitaturum sub dio, interque feras ritu beluino victurum per tempora septem. Hic vigil Angelum significat. Mandatum vigilis decretum est Dei contra Regem pronunciatum. Regem enim adigendum esse ad insaniam & furorem. Quo nomine pellendus sit à suis, eijciendusque à consuetudine hominum. Hic verò & moderatio, & finis castigationis proponitur. Septem verò tempora alij aliter exponunt: alij septem annos, alij septem menses. Sunt qui septem annos pro longo temporis spatio positum putant. Simplicius est, si intelligamus per tempora anni partes. Scimus enim annum distingui in quatuor tempora, Ver, Aestatem, Autumnum, & Hyemem. Itaq; iuxta hanc rationem biennio, parte anni quarta minus, Regis durauit insania.
- Significetur per radices relictas. Significat enim regnum Regi exuli & vesano conseruandum, vbi ad mentem rediens, Deo iustissimo omnem gloriam exhibuerit.

Consilium Danielis, quomodo malum impendens fugiat, & pacem consequatur, quod quidem consilium ad omnes omnium temporum homines pertinet.

A. Peccatum Regis. Vbi describitur

- Tempus peccati. Post duodecim enim menses, nimirum à somnio somnijq; expositione, adeoque à fideli Dei per Prophetam admonitione, in peccatum maximum incidit: superbiæ scilicet.
- Occasio peccati. Otiosa videlicet deambulatio Regis in palatio regio, ædificiumque magnificum & splendidum.

Pœna peccati Regis, quæ solenniter pronunciatur à tribunali Dei contra Regem. Sumitur autem de Rege supplicium horrendum & inauditum.

Mutatio formæ corporis, vel qualitatis potius corporis. Pilus enim ita creber & densus succreuit, vt non impar videretur nigricantibus Aquilæ plumis. Et vngues manuum ac pedum eius copiosè excrescebant, instar vnguium volucrium rapacium, vt figura sua Rex feram beluam propiùs exprimeret, quàm hominem. Tenendum enim est, Regem corporis sui substantia non fuisse mutatum in bestiam, vt superiori corporis parte bouem, inferiori Leonem referret, sicut quidam de eo fabulantur. Substantia enim & forma Rex manet homo, mens verò eius humana, qualitasque substantiæ atque formæ in corpore mutatur. Id quod ex sequentibus colligitur. Nam principio erepta est illi mens, vel ratio humana, inditaque illi opinio, qua se bestiam esse putauit. Mania enim homines reddit tales, vt se omnino existiment esse, quod non sunt, vt Reges, vel Monarchas, vel equos, vel alias quoque formas sibi affingant, quas non habent. Deinde verò inclementia cœli reddidit corpus Regis planè squalidum, ita vt cutis hispida facta sit, vngues indurauerint, & adunci facti sint, vt forma propè accederet ad feram beluam.

Pœnitentia Regis.

Confessio Regis, qua tria potissimùm in Deo extollit.

- Prouidentiam gubernationemque Dei in omnibus.
- Omnipotentiam: Quia nemo est, qui illi resistere possit.
- Sapientiam modis omnibus absolutissimam. Tam enim sapienter instituit omnem suam gubernationem, vt nemo illam iure culpare possit.

Restitutio Regis in integrum. Pœnitentes enim Deo plenè reconciliantur, & restituuntur.

Clausula Epistolæ, seu edicti Regij, docens vsum & finem historiæ, vel edicti vniuersi Regij. In hac docet, timendum, laudandum, ac inuocandum esse solum Deum, qui superbos ferre non possit, humiles & contritos amet.

Dispositio

Dispositio Capitis & Actus 5.

De conuiuio luxurioso Regis Baltazaris filij Euilmerodach, filij Nabuchodonosoris Regis. Vbi proponitur.

Ebrietas Baltazaris & omnium conuiuantium. Inde verò æstimari potest, totius regni status, fœdus scilicet, desperatus, impurissimus, & corruptissimus, vt non immeritò euersum sit regnum Babylonis.

Sacrilegium Regis & conuiuarum. Ex ebrietate enim infinita enascuntur mala, & in præsenti quidem luxuriosum Regem reddit etiam sacrilegum. Iubet enim afferri vasa sacra Hierosolymis è Templo in Babylonem allata, quæ alioqui instituta erant, olim à Deo ad sobrietatem, ad religiosum vsum, Deique cultum, & ad mysteria Christi maxima adumbranda, eaque porcis, id est, ebrijs & combibonibus, ac scortis suis substerni, vt essent instrumenta libidinis & luxus.

Prędicatio & laus deorum aureorum, ferreorum, & ligneorum. Quoniam enim allata erant illa vasa à Nabuchodonozor patre, id est, auo Baltazaris, Hierosolymis è Templo, conuiuæ cernentes iam coram vasa illa Templi, à victore cũ triumpho allata, cœperunt haud dubiè victoriam illam non tantùm extollere, sed eam quoque tribuere dijs suis, quasi hi vicerint, & subiugum miserint Deum Israelis. Suam ergo illam vanissimam religionem, veram esse religionem: Iudæorum vanam & falsam, Israelis Deum impotentem esse, vt qui nec Templum, nec populum suum asserere vel voluerit, vel potuerit. Suos deos fortes esse deos, & veros, qui suis cultoribus victoriam concedant, & vasa huiusmodi preciosa donent. Fuerunt hæ meræ blasphemiæ, & intollerandæ in Deum, quas & protinus iusta Dei ira puniuit.

Vindictæ diuinæ euidens relatio & celeritas. Simul enim ac impij pertinaciter ac impudenter pergunt in sua impietate & sacrilegio, Deus quoque in illo momento erigit manum suam, percussurus. Manus hic potentiam Dei significat. Scriptura significatur iudiciorum Dei certitudo, & quòd sententia iam scripta, & quasi lata sit contra impiam & sacrilegam Babylonem. Albarium parietis ex aduerso candelabri, significat velle Deum sua iudicia esse quàm maximè conspicua, & innotescere illis, contra quos eduntur cœlitùs.

Affectio Regis ad diuinam illam manus scribentis visionem. Concidit ille derepentè, animoque angitur miserè, & toto cohorrescit corpore. Vbi imago nobis proponitur hominis impœnitentis & impij, qui iam incipit ab irata Dei manu affligi.

Conuocatio Sapientum & Magorum Babyloniorum. Impij enim in suis difficultatibus non confugiunt ad Deum, & ad preces fideles, sed ad Magos potius, ad malas artes & seductores, arbitrãtes se promissis suis & muneribus omnia effecturos. Verùm nihil præstare poterunt. Nam & hic Sapientes & Magi Scripturam ne legere quidem, nedum interpretari possunt.

Consilium Reginæ matris Baltazaris, quæ teste Herodoto in Clio, Nithocris vocabatur. Atque ita sternit Deus viam ad sui iudicij iusti luculentam declarationem, per illustrem hanc personam, eamq́; vt Herodotus testis est, sapientissimam. Quouis enim tẽpore deligit sibi Deus accommoda media, per quæ reuelet suam voluntatem, & iudicia contra hostes.

Oratio Reginæ matris ad regem, in qua

- Salutat Regem more consueto, imprecans illi longæuitatem cum fœlicitate, docens vtique suo exemplo, non malo, Magistratui debitum honorem impendendum esse, etiam ab illustribus personis, non modò à vulgaribus.
- Hortatur Regem, ne vir & vxor ita turpiter & muliebriter se in desperationis barathrum demergat: ac ita se gerat, vt omnes alios in desperationem secum abripiat.
- Rationem superioris assignat: quòd videlicet sit vir in vrbe Sapiens, qui & explicare possit Scripturam illam prodigiosam & difficilem, & dare consilium salutiferum: vbi Danielem magnis laudibus extollit, cui tribuit spiritum diuinum.
- Suadet vt aduocetur Daniel.

Productio Danielis, & seq. Vide literam A.

Productio Danielis in conspectum Regis.

Oratio Regis ad Danielé superba. Cótemptim enim loquitur de viro dei, in qua

- Obijcit illi captiuitatem & seruitutem, & quòd Iudæus esset, religionis vtique, vt ipse indicat, vanissimæ.
- Iactat victoriam paternam, calamitatemq; gentis miseræ refricat.
- Audita à matre de Daniele, commemorat ferè ijsdem verbis.
- Intertexit narrationem rei gestæ, quæ ipsum reddiderat anxium, & miserè affligebat.
- Petit Danielem, vt si possit, legat & exponat Scripturam.
- Promittit Danieli præmia, si Scripturam explicet.

Oratio Danielis cuius duæ sunt partes,

Inuectiua est, quam orditur ex abrupto, non sine indignatione. Vbi

- Reijcit constanter munera Regis, iubetq; vt sibi illa retineat, & cupidis munerum largiatur, ipsum munera eius nihil morari.
- Exponit quid factum sit cum auo suo Nabuchodonosore, propter fastum & superbiam, licèt Rex omnium clarissimus fuerit. Quo exemplo cum nihil sit emendatus Balthazar, imò factus sit de[...]rior, prouocasse Dei grauissimam manum in seipsum.
- Exponit per partes, quàm multis partibus insolentia impijssima superauerit auum: Aduersum Dominũ, inquit, cœli extulisti teipsum. Mandasti vasa Domus Dei importari in symposium, ex pateris illis bibisti, &c.

Expositoria, vbi primùm Scripturam legit patria vel Chaldæa lingua exaratam. Vult enim Deus manifestè sua intelligi iudicia. Quòd verò neq; Rex, neq; Magi Regis hanc Scripturam legere ac intellegere potuerunt, pauori ac crassissimæ cæcitati, qua à Deo percussi erant, tribuendum est. Dei enim iudicia non intelligunt Sapientes huius seculi. Et certè Dominus statuerat hanc Scripturam per singularem seruum suum Danielem, explicare. Sunt autem quatuor verba Chaldaica in pariete descripta. Primum est, MENE, id est, numerauit, quod duplicatur vel propter certitudinem, vel celeritatem interitus Regis ac Regni. Vnde discimus prouidentiam Dei omnia habere in numerato, gubernare vniuersa, & regna suas habere periodos à Deo destinatas: denique vitam, afflictiones, persecutiones, suas habere metas. Quæ cùm ita sint, credamus nos & omnia nostra Deo, facientes nihilominus quæ nobis mandauit, & obedientes mandatis eius per omnia. Secundum verbum est, THEKEL, id est, appendit. Quod plenius exponens, dicit: Appensus es in bilance, vel libra, & depræhensus es minus habere, nimirum ponderis, aut valoris, precijq; quàm videlicet iustitia, æquitasque Dei requirebat, ac in te esse debuerat. Hac figura adumbratur iudicij Dei æquitas. Vnde colligimus Deum nostrum non tãtùm in numerato omnia habere, & ad finẽ destinatũ omnia ducere, sed sub finem omnia ad librã iusticiæ & æquitatis reuocare, & à quouis mortaliũ rationẽ vniuersæ vitæ exactè requirere, & iuxta eandem mox iudicare. Tertium verbum est, VPHARSIN, vel PHERES, id est, diuisit, quo pœna Regis ac regni Babylonici significatur: Regnum tuum, inquit, diuisum est, &c. Vnde colligimus regnorum diuisionem, translationem, conculcationem, Regum quoque deiectionem & exitium, pœnam esse iustam impietatis, sacrilegij, superbiæ, temulentiæ & luxus, aliorumq; fœdissimorum facinorum.

Quomodo se gesserit Balthazar ad hanc interpretationem & nuncium acerbissimum Danielis. Non legitur se conuertisse ad Dominum, peccata agnouisse, culpam esse deprecatum, implorasseq; Dei misericordiam, sed iussisse tantùm Danielem indui purpura, ornarique torque aureo.

Arcani diuini veritas & certitudo. Nam illa ipsa nocte, qua festum peragebatur Babylonij, qua vino Rex se ex sacris perluerat pateris, Rex Chaldæorum trucidatus est à Ducibus Cyri, Guddatha & Gobnya, teste Xenophonte. Deinde regnum quoque ipsum Chaldaicum potentissimum & superbissimum ad Medos & Persas est translatum.

Dispositio Capitis & Actus 6.

COLLATIO veræ & falsæ religionis: altera, habita in monarchia Persica sub Dario, vt prior illa in monarchia Babylonica sub Nabuchodonosore. Vbi describitur

- **Falsa religio in Principibus Persarũ. Hic proponitur**
  - Dispositio regni Darij pulcherrima: Nullum enim Regnum, nulla Respublica diu incolumis stare potest sine ordine. Constituit ergo Rex centum & viginti Satrapas. His superimposuit tres rationales, quorum vnus erat Daniel, qui antecellebat alios rationales Darius enim relicto Cyro in Babylone, ipse reuersus est in Mediam: nimirum in celebrem Orientis vrbem Ecbathanam, vel castrum Susorum, ac duxit secum Danielem, in direptione vrbis Babylonicæ mirabiliter, Dei gratiâ seruatum, qui ei innotuerat ex suis virtutibus, & egregiè factis, ac propterea alijs præfecerat. Quæ res magnam inuidiæ occasionem illi peperit apud Præfectos, qui subdola & exitialia consilia in illum excogitabant.
  - Liuor, æmulatio & inuidia Principum Medorum & Persarum, artesque ipsorum prauæ, quibus ipsum obruere conabantur. Vnde liquet virtutem comitem habere inuidiam & varia pericula. Dum enim omnes quæ sua sunt quærunt, sibique quilibet melius esse velit, quàm alteri, fit vt liuore contabescant qui cernunt fœlices esse, & in precio haberi virtute præditos.
  - Innocentia odiosa Danielis inculpatè se gerentis, in medio liuidorum hostium suorum. Vnde discamus & nos ita vitam instituere in omnibus, ne inuidi inueniant in vita nostra culpandum quicquam, vtcunque diligenter palàm & occultè in illam inquirant, quod iurè ac verè possint impingere in nostram perniciem, vel ignominiam.
  - Quomodo Principes Persarum liuidi, prauam suam contra Danielem practicam in effectum Regis opera perduxerint. Vbi astutiam illorum obserua. Primùm enim non pauci, sed multi regem accedunt. Copia enim & multitudo in huiusmodi causa non parum valet, & mouet homines huius seculi. Deinde numerant ordine gradus vel ordines regni, quorum omnium vnam esse sententiam aiunt: vt videlicet promulgetur lex a Rege. Adhæc, vrgent Regem, ne lex illa semel lata mutetur. Ad quod adducunt Persarum ac Medorum legem inuiolabilem. Faciunt hæc omnia, vt Danieli insidias struant. Vnde discimus quantum odium sustineat vera fides, & vera religio apud filios huius seculi.
  - Assensus Regis ad legem illam promulgandam. Rex quidem apparet non malus fuisse Princeps, ambitiosus tamen erat. Dicebatur enim ab istis Principibus hæc lex factura pro Regis authoritate, maiestateque amplificanda & confirmanda. Ita enim facilè deprehendi, qui Regem in nouo suo regno contemnerent, regiamq; ipsi maiestatem inuiderent.
  - Actio iuridica Principum coram Rege contra Danielem, quem accusant tanta verborum vehementia, vt rex ipse ceu coactus condemnârit Danielem ad Leones.
  - Exitus falsæ religionis seu repentinum idolatrarũ & delatorum Danielis exitium.
- **Vera religio in Daniele proposita. Vbi proponitur**
  - **Quomodo se gesserit Daniel sub insidiatoribus suis, & sub lege impia.**
    - Redit ad ædes suas. Cùm enim audisset malis artibus legem perniciosam compositam, ac euulgatam esse, non putauit sibi amplius in Aula esse perseuerandum, sed domum venit.
    - Aperit fenestras cœnaculi: non enim ignorauit aduersarios suos obseruare ipsum, & tamen aperit fenestras, vt quid faciat, videant. Nec ea re prærer necessitatem vllam temerè malum sibi cõsciscit. Ita enim & hactenus facere consueuerat.
    - Totus ad Deum conuertitur, qui solus est omnipotens, & omnia mundi consilia, quæ homines vel declinare, vel auertere nequeunt, dissipare potest, & ad nihilum redigere. Huius inuocat consilium & auxilium. In hoc acquiescit totus, & suam illam religionem legi Medorum & persarum contrariam minimè abrogat, aut contegit.
    - Ter quotidie orabat: manè scilicet, meridie & vesperi. Nam circa diei initium inuocatur & à nobis Deus, vt illo nobis die gratia sua adesse velit. Meridie rursus adoratur, quia ipsius est progressus rerum omnium, ipseque solus dirigit res nostras ad bonum finem. Sub vesperam laudatur Deus & aguntur illi pro beneficijs gratiæ, ac commendat se homo per noctem subsequentem Deo, &c. De his orationum temporibus vide & Psal. 54.
    - In genua procumpit. Vbi gestus & habitus orationum notatur.
    - Adorat conuersus versus Templum, secundùm verbum, quod extat 1. Reg. 8.
    - Confitebatur coram Domino, Est autem hic confiteri verbis & factis, quoties res ipsa postulat liberè profiteri fidem tuam, quam habes ex verbo Dei.
  - Quomodo se Rex, & seq. Vide literam A.

- Quomodo se rex, audita calumniosa illa accusatione, gesserit.
  - Opponit se modis omnibus Principibus suis, verùm nullo cum fructu: timore enim nimio, respectuque personarum impeditur.
  - Præter & contra conscientiam suam regendum se præbet impijs nebulonibus, creditque tandem illis, ac innoxium ad Leones damnat, quod in eo laudandum non est.
  - Beneprecatur Danieli.
  - Ianuam foueæ, in qua agebant Leones, curauit aduoluto lapide, & confirmari, & obsignari, suo & Principum suorum annulo: ne videlicet alia perimeretur morte ab insidiatoribus, quàm quæ ei publico Regis iudicio erat imposita.
- Quomodo se rex, in casu tristi Danielis gesserit.
  - Tristatur & luget, cuius rei argumenta sunt, ieiunium & nocturnæ curæ, præ quibus dormire nequiuerit.
  - In aurora surgit Rex, & festinanter accurrit ad foueam Leonum. Ita enim oportet expeditè exequi pietatis officia.
  - Gestu & voce testatur sibi hoc negotium curæ esse: nam lamentabili voce alloquitur & vocat Danielem.
- Responsio Danielis ad Regem benigna. In qua
  - Non imprecatur Regi dira, sed voto amabili vitam ipsi optat, & diuturnam & fœlicem.
  - Exponit Regi quomodo seruatus sit à Leonibus: per diuinam vtique potentiam. Vnde colligimus Deum cultores suos mirabiliter seruare.
  - Asserit ac tuetur coram Rege innocentiam suam, quod facit, vt religionis veritatisque causa, quæ cum sua ac aliorum docentium persona coniuncta est, ab omni suspitione & labe purgetur.
- A. Gaudium Regis de salute Danielis. Pij enim Principes exultant ad victoriam piorum, & veritatis.
- Præceptum Regis de educendo Daniele è fouea Leonum. Nam Principum est innocentes tueri, & innoxios asserere, & si vim iniustam patiantur, liberare, & quidem citò & incunctanter.
- Quomodo Rex depræhensa Danielis innocentia, se erga Danielis accusatores gesserit, & quomodo Deus illos repentino exitio punierit per Regem, qui nullo personarum respectu habito, omnes condemnat ad Leones. Magistratus enim est punire flagitiosos, eò quòd non frustrà gerat gladium, defendere verò bonos.
- Decretum, seu Epistola Regis ad omnes subditos suos. Cuius partes sunt,
  - Salutatio: Pacis videlicet incrementum.
  - Status vel propositio Epistolæ: Vt omnes timeant ac colant verum Deum, quem Daniel profitetur, & colit.
  - Rationes propositionis,
    - Quòd sit Deus vnus, habens vitam à semetipso, & viuificans omnia.
    - Quòd sit Deus æternus & immortalis.
    - Quia regnum Dei non destruatur vt regna huius mundi.
    - Quia est liberator & seruator Danielis & aliorum.
    - Quia Deus verus multa signa & miracula edit in cœlo, & in terra.
  - Authoritas Danielis apud Darium & Cyrum, potentissimos orbis Monarchas.

Secunda

Secunda pars Operis Danielis, de Visionibus, non alijs, sed sibi exhibitis à Deo per reuelationes diuinas.

Dispositio visionis primæ generalis ex capite 7.

Prima visio, in qua describitur:

- Tempus visionis huius primæ. Exhibita enim est hæc visio à Deo anno primo regni Baltazaris.
- Modus visionis. Exhibetur enim hæc visio per somnium.
- Locus in quo exhibetur illi hæc visio. Videlicet in lecto.
- Summæ vel compendij visionis exceptio per manum seu scriptum Danielis.
- Visio ipsa, in qua proponitur.
  - Qua temporis parte exhibita sit visio hæc Danieli. Videlicet per noctem: nox autem in Scriptura nō rarò tribulationem significat. Colligimus itaq; visionem hanc propositam fuisse de rebus tristibus: id est, de maximis huius mundi turbinibus & grauissimis fidelium persecutionibus.
  - Vnde prodierint animalia. Videlicet ex mari commoto & perturbato per ventos. Mare typum mundi habet, quo nihil est instabilius, subinde faciem mutās. Venti persecutionem significant, Animalia quatuor, Monarchias quatuor. Dicuntur hæ oriri ex conturbato mari, quod quantum ad secundas causas attinet, exoriantur ex Principum turbis & prælijs. Imperia autem dicuntur animalia, vel bestiæ, quia maior Principum pars in imperijs bestiarum instar sæuit.
  - Expositio visionis per Angelum. Vbi docemur quid per
    - Leonem significetur, aquilinis alis instructum. Leo & Aquila animalium reges dicuntur. Præstantissima ergo inter Monarchias significatur, hac figura: videlicet Babylonica. Vt enim Leo belua est generosa, fortis, ferox, nihil agēs per insidias, sed ingenua; Aquilæ verò celeres sunt: ita & Monarchia Babylonica præclara fuit, & pleraque fœlicissimè perfecit. At sub hac gemuerunt captiui Sancti. Euulsio alarum Leonis, significat lacerationem regni Babylonici, per Darium & Cyrum sub Baltazare, in quo nulla fuit virtus heroica. Bestiam illam eiectam esse è terra, significat non diutiùs imperaturam Babylonem in terris, & regnum suum amissuram. Ac tunc tandem Babylonij, qui antea, dū florerent, velut dij quidam sibi esse videbantur, intellexerunt se esse miseros mortales, & nō deos. Hoc est quod dicit: Cor humanū illi datū est.
    - Vrsum significetur. Videlicet Monarchia Persica. Qualis verò hæc sit futura, breuibus in hac imagine ostenditur. Dicitur.
      - Esse similis Vrso, qui generositate ad Leonem non accedit. Animal enim est tardum, crassum, ineptum, crudele, carniuorum. Tale fuit & regnum Persicum, ignauum, crudele, &c.
      - Stetisse ad latus. Cùm enim obscuri essent primùm Persæ, coniunxerunt se Medis, & ita clari sunt facti, his illis se seu ad latus coniungentibus, & fortiter iuuantibus. de quo & Esaiæ 13 & 21.
      - Habere tres bolos in ore suo. Quod significat copiam carnium, quam consumptura sit illa bestia Persica, id quod ex sequētibus colligi potest. Significat ergo regnum Persicum futurum immane, atrox, quòd infinitam hominum multitudinem sit confecturum & perditurum. Id quod prouidentia Dei & iustissimo iudicio factum est, Cœlitùs enim iussi descendit, armauitq; Reges in excidium.
    - Pardum significetur. Monarchia videlicet Græcorum, quæ qualis sit, hac imagine exprimitur. Dicitur.
      - Esse similis Pantheræ vel Pardo. Nam Panthera animal est crudele, sanguinis humani auidum, insidiosum, varium, & maculosum, ac velocissimum. Ita Alexander Macedo celerrimus erat in expediendis rebus bellicis, sanguinarius, varius, insidiosus. Ac Græci moribus suis probè expresserūt hanc beluam.
      - Habere alas volucris quatuor in dorso. Quod & ipsum velocitatem Alexandri & aliorum quorundam Regum in hac Monarchia significat.
      - Habere quatuor cornua. Quod significat mortuo Alexandro regnum in quatuor Reges fore diuidendum, vt suprà cap. 2. dictum est.
    - Bestiam quartam, & seq. Vide literam A.
- Quomodo affectus sit Daniel ex hac visione. Animatus enim est, & perturbatus spiritu, & cupit de his doceri per Angelum. Opus enim nobis est interpretatione oraculorum per Angelum, alioqui mysteria Dei intelligere non possumus, nisi Deus reuelet.

A. Bestiam quartam significetur. Vbi obserua,

Cur tempus noctis notetur. Vt videlicet significet imperium hoc cæteris omnibus amplius redundaturum periculis & terroribus. Sancti enim Dei sub nullo imperio grauius oppressi sunt, quàm sub Romano imperio.

Cur de nomine quartæ bestiæ taceat Propheta. Vt videlicet formidabilem nobis faceret bestiam illam: id est, Romanam Monarchiam, vt quicquid ferocius cogitauerimus in bestijs, hoc Romanos intelligamus.

Cur hoc animal quartum, id est, Romanum regnum, robustum vocetur. Quia deuictis omnibus Principibus, occuparunt Romani pleraque mundi regna.

Quid per dentes grandes & ferreos significetur. Notatur hac figura ferreum & ingens robur imperij Romani, maximaq; vis nocendi, & crudelitas. Sequitur enim quid fecerit dentibus suis ferreis. Quòd verò dicit, reliquias etiã pedibus suis proculasse, sumpsit locutionem à petulantibus bestijs, quæ saturæ, quod deuorare non possunt, pedibus suis petulanter proterunt. Significatur autem hac imagine libido Romanorum ingens, & tyrannis contra omnes homines valida.

Cur dicitur hæc bestia diuersa ab omnibus alijs. Alia enim regna perpetuò per Reges sunt administrata: at imperium Romanum ab initio Reges ordine habuit septem, fuitq; regnum alijs nõ dissimile. Mox eiectis Regibus, crearunt sibi Consules, mutataq; prorsus administrandi ratione vniuersa, fecerunt ex Regno vel Monarchia, Democratiam vel Rempublicam. Lecti sunt postea Decemuiri. Rursus reuocati sunt Consules, factaq; est gubernatio partim Aristocratica, partim Democratica. Successit temporis progressu Dictator, ex quo factus est mox Imperator, diuersus & hic per initia à Regibus, & tamen Rex, cum quo in authoritate erat & Senatus Romanus.

Quid per cornua decem significetur. Per cornua Angelus interpretatur Reges, id est, regna. Per denarium verò numerum pluralitatem intelligimus. Significat ergo Romanum imperium dilapsum tandem & discissum esse in regna plurima. Exorta enim sunt varia regna in Oriente, Persarum, Græcorum, & Saracenorum, ac aliarum gentium. In Occidente, Francorũ, Gotthorum, qui in Hispanias vsque penetrârunt, Hunnorum, Longobardorum, &c. Ita sanè regna illa ex destructo imperio Romano consurrexerunt, & singula ferè arma sua in Romam sanguinariam conuerterunt, & miserrimè dilacerârunt.

Quid per cornu paruum significetur. Intelligunt multi regnũ Mahumeticum, at rectiùs competit in regnum Papæ Romani, quod quidem ortũ est exinitijs modicis, in immensum verò propagatum. Hic discas,

Cur regnum Papæ cornu paruum vocetur. Videlicet quòd Papa per initia Romanæ Ecclesiæ Minister humilis fuit, nemo ipsum Principis loco habuit, sed ascendit tandem, nimirum in thronum, succrescendoque in authoritate magna esse, & pro cornu vel capite haberi cœpit, & vsurpauit sibi potestatem in cœlo & in terra.

Quid agat hoc cornu

- Tres Reges humiliabit, quos hic tria cornua appellat. Exarchum videlicet Romani Imperatoris, tempore Gregorij II. Regẽ Francorum Childericum, quem Pontifex Zacharias deiecit, Pipino euecto in regnum, & Desyderium Regem Longobardorum, quẽ per Carolum Magnum occidi iussit.
- Grandia loquetur. Quo significatur velle illum talem haberi, qui sit, & stet & loquatur à partibus Dei, vt infrà exponit Angelus id est, ea quæ sunt sancta, iusta & diuina, nõ volet videri is, qui est aduersarius Dei.
- Putabit se posse mutare tempora & legem: id est, vsurpabit sibi potestatem in religionem, instituet pro suo arbitrio ferias, Sanctos canonizabit, instituet ieiunia, ordinabitq; tempora, voletq; hoc esse sacrum, illud prophanum.
- Prælium facit cum Sanctis & fidelibus, & præualet eis.

Quale sit cornu.

- Diuersum à prioribus, quia priores seculares fuerunt Reges. Hic noster non Regem propriè, sed Pontificem & Papam se nuncupat, potestatemq; sibi vendicat in animas & corpora.
- Oculos habens in cornu velut oculos hominis. Qua re significatur admirandam fore astutiam calliditatemq; in hoc regno.

Quantum sit. Magnificentius enim alijs videbatur. Insidet eum hominum humeris, in quibus gestatur, adoratur ab hominibus, procumbunt omnes ad eius benedictionem.

Quousque dominetur hoc cornu. Ad tempus videlicet, & tempora, & dimidium temporis: id est, ad ea vsque tempora, quæ Dominus in sua potestate habet, ac solus nouit: ad ipsum, inquam, vltimum iudicium vsque. Propterea dicit: Donec veniat Antiquus dierum. Item, Iudicium consedit, & dominatum ei ademerunt.

Quomodo conteratur, & seq. Vide literam B.

B. Quomodo cōteratur, quia per iudicium vltonum. Hîc describitur

- Apparatus Iudicij diuini, idque humano more: Posita, inquit, sunt subsellia. Thronus Iudicij typum habet.
- Iudex, qui Antiquus dierum vocatur, Pater vtique: vt sub persona huius ostendatur iudicium Christi futurum fore diuinum, & iustissimum. Nam pater alioqui non iudicat, sed mox omnem potestatem iudicandi filio hominis tradit Hac verò locutione . Antiquus dierum, significatur exactissima prudentia, alienissima à iuuenilibus alijsq; ineptis affectibus.
- Vestis Iudicis, qua significatur iudicatorum integritas, veritas, ac puritas.
- Rota Throni: Ignis scilicet, quo significatur omnipotentia, immensaque Dei virtus. Ignea sunt omnia.
- Magna Ministrorum Iudicis multitudo.
- Forma iudicij: Proferuntur enim libri in medium, & secundùm eos iudicantur iudicandi . Allusio est ad iudicia terrena, in quibus recitantur ex charta testimonia contra accusatum, & confessio accusati.
- Iudicium & condemnatio impiorum in corpore bestiæ connexorum. Item modus pœnæ, incendium sempiternum.
- Executio sententiæ iudiciariæ: Bestia, inquit, sublata est.
- Gemina natura Iudicis Christi, diuina & humana. Diuinam notat, cùm dicit: Ad antiquum dierum peruenit, vel accessit: id est, Filius coæqualis Patri, eiusdem cum eo naturæ, potentiæ, gloriæ, &c. Patrem enim Antiquum dierum appellat. Humanam naturam, cùm dicit, Filius hominis.
- Potestas, regnum, & gloria Christi Iudicis & Sanctorum eius.

Dispositio visionis secundæ de Regno Græcorum & Syriæ, ex Capite 8.

DESCRIBITVR in hac visione

- Tempus, quo videlicet hæc visio illi sit exhibita; Anno videlicet tertio Baltazaris Regis Babylonij.
- Locus, in quo videbatur sibi esse: In arce scilicet Susiana in Perside.
- Visio ipsa, quæ exponitur
  - Qualis sit futura Persica, Monarchia Hic proponitur
    - Cur per Arietem bicornem Monarchia Persica significetur: videlicet quòd ex Medis & Persis constabat, vt Angelus exponit. Quòd verò cornu alterum altero eminebat, seu vt Propheta loquitur, altum ascendebat in postremo tempore, significat initio Medos illustres fuisse, sed temporis processu Persas clariores factos esse , ita vt & regnum à Persis nomen obtinuerit.
    - Cur Aries ad flumen stetisse dicatur: videlicet quòd Reges Persarum multis præfuerint gentibus . Aquæ enim populos significant. Apocal. 17.
    - Quid egerit hic Aries . Cornibus impetebat versus occasum, & aquilonem, & meridiem , quod significat bella Persica, & Cyri maximè, qui multas subegit gentes, nec vlla se potuit asserere ab eius virtute, magnusque tandem euasit, sicut & eius successores.
  - Qualis sit futura Macedonica Monarchia, per Hircum significata, quæ Persicā Monarchiam dissipauit. Vbi disce,
    - Quid per cornu grande significetur. Primus videlicet Macedonum Rex, Alexander, vt exponit Angelus.
    - Vnde venerit Hircus, id est, Alexander ad constituendum regnum: videlicet ab occasu, nimirum ex Macedonia ; ac furens ruit in regna orbis terrarum.
    - Quid egerit. Init enim prælium Alexander cum Dario Rege Persarum, quo Monarchia Persica confracta & proculcata est. Hoc est quod dicit: Vidi etiā illum peruenire prope Arietem.
    - Quomodo hoc cornu fractum sit, & inde quatuor enata. Mortuo enim Alexandro, diuisum est regnum vnum in quatuor regna, non ita ampla, vt fuit regnum Alexandri.
  - Res Antiochi, & seq. Vide literam A.

A.

Res Antiochi Epiphanis octaui Regis Syriæ, filij Antiochi Magni. Vbi exponitur

- Conditio Epiphanis vilis ab initio. Propterea enim Cornu modicum appellatur, quia vilis & contemptus fuit ab initio. Etenim fuit Antiochus Princeps quidem ab initio, sed sine regno, adeoque obses, & quasi captiuus Romæ cum fratre suo Demetrio illuc missus à patre Antiocho Magno, quem Romani multis magnisque prælijs vicerant. Primùm quidem in Græcia: deinde etiam in Asia, & ad pacem recipiendam compulerant, adempta ipsi florentissima regni parte: postremò receptis simul filijs eius, vnà cum alijs obsidibus.
- Incrementum Antiochici regni. Dicitur enim creuisse regnum versus Ortum, Meridiem, & Terram sanctam. Nam mortuo patre, Roma clàm fugiens, regnum Syriæ occupauit, eiecto Demetrio, fratris sui Seleuci filio: mox vsurpauit sibi Aegyptum, & inde redeundo in Syriam, Terram sanctam etiam inuasit.
- Tyrannis maxima Antiochi in Sanctos Dei. Hi enim comparantur exercitu cœli & stellis. Sunt enim Sancti lumina quædam totius orbis, quamuis impijs videantur faces & probra.
- Blasphemia Antiochi contra Imperatorem exercitus: id est, Deum verum.
- Quid præcipuè agat. Abrogabit enim veros cultus, & substituet cultum gentilitium: affliget veritatem, & persequetur fideles, & perimet.
- Successus Antiochi in persequenda veritate, & eius successoribus.

Quandiu malum hoc & tyrannis Antiochi duratura sit. Per sexennium scilicet, & paulò ampliùs, pauculis diebus ad sexennium accedentibus. Dies enim 2300, conficiunt annos sex & dies 110. Supputatio verò annorum istorum incipit ab anno regni Græcorum 143. quo Antiochus vrbem Hierosolymorum ingressus, & Templum & vrbem diripuit, cæsis fidelibus quàm plurimis, sicut testatur lib. 1. Machab. cap. 1.

Quomodo sit affectus Daniel ad hanc visionem.

- Velut admirabundus petit erudiri de hac visione.
- Accedente Angelo perterresit.

Angeli institutio. Hic ostenditur

- Quis sit Interpres huius visionis. Nempe Christus, qui hic dicitur Viro similis, quia incarnandus erat. Is mandat Gabrieli, vt visionem Danieli exponat, qui paret præcipienti.
- Quo tempore regnaturus sit Antiochus. In nouissimo regni eorum: scilicet Macedonici.
- Causa, cur Deus talem Principem voluerit suo imperitare populo. Talem enim scelera populi merebantur.
- Qualis futurus sit Antiochus. Videlicet impudens, astutus, callidus: calliditate enim, non sua virtute, creuit regnum eius, &c.
- Interitus Antiochi. Morbo enim occulto & diuturno est consumptus: diuina videlicet vindicta.

Confirmatio visionis huius. Angelus enim magna asseueratione affirmat visionem hanc, quæ pertineat ad matutinum & vespertinum tempus: id est, seruiat tam præsentibus hominibus, quàm posteris, multa post secula futuris, veram ac certissimam esse, vnde iubet hanc obsignare.

Affectio Danielis, audita expositione visionis ab Angelo. Doluit enim illi vehementer miserabilis Sanctorum sors, & prospera illa filij perditionis fortuna.

Dispositio visionis tertiæ de Vrbe sancta & Messia, sub *Monarchia Romana, ex Cap. 9.*

In hac visione pronunciatur.

- Tempus, quo hæc sunt facta. Anno videlicet Darij Prisci primo, non regni Medorũ, cui præfuerat fortè iam annos circiter tredecim, sed Chaldæorum: quando videlicet interfecto Baltazare, vnà cum Cyro Babylonem subegerat. de quo Daniel. 5.
- Occasio visionis: oratio videlicet, & confessio prophetiæ. Vbi describitur.
  - Occasio orationis, Impletio videlicet annorum septuaginta, de quibus captiuitatis annis Hieremias capite 25. & 29. vaticinatus fuerat. Nam tantò magis incenditur Propheta ad confitendum & orandum, quantò propius esse intelligit liberationem.
  - Ad quem orauerit. Non ad Hieremiam, vel alios Sanctos, sed ad Deum, qui eos in captiuitatem coniecerat.
  - Quo ritu se ad orandum præparet. Coercet enim carnem ieiunio, sacco & cinere asperso, vt ipsam spiritui subderet, minusq; contra spiritum ferociret.
  - Forma orationis, in qua
    - Confitetur sua ac populi peccata, quæ non imminuit, sed exaggerat potius.
    - Prædicat Dei iusticiam, qui ipsos iustissimo punierit iudicio.
    - Precatur peccatorum suorum & populi veniam, populum liberari & reduci, Templum quoque, cultum Dei & vrbem restitui. Et commemorat rationes varias, cur exaudiri debeat.
    - Concludit petitionem suam vehementissimo affectu, vrgens Dominum vt audiat, reducat, atque eos in integrum restituat.
  - Tempus quando sit exaudita oratio, vel quando significatum sit exauditam esse. Tempore videlicet sacrificij vespertini: quo videlicet tempore dum domi essent, vesperi sacrificare solebant. Ac mysterium habet, quod sub vesperam annunciatur Prophetæ Christus. Nam & propter Christum exauditus est, & idem in fine demum seculi venire incarnariq; dignatus est.
- Visio, seu reuelatio potius, vel doctrina allata Danieli ab Angelo. Vbi describitur.
  - Angelus Gabriel, qui
    - Dicitur fuisse vir, quòd in specie viri apparuerit.
    - Dicitur aduolare ad Danielem non quòd auium instar volitent Angeli Dei, sed datur hoc assumptæ speciei.
    - Tangit Danielem, prensando nimirum, vt solent qui contactu familiari promptam beneuolamque mentem indicant.
    - Indicat cuius rei gratia missus sit ad Danielem: videlicet vt veram conferret Danieli, imò & nobis intelligentiam.
    - Exponit causam quandam reuelationis mysteriorum Dei: Quia, inquit, vir desideriorum es, id est, rerum expetendarum cupidus es. Ideò Deus desiderium tuum, quod ei placet, satiare instituit. Desiderabat autẽ Daniel reparationem vrbis, restitutionem cultus & politiæ, adeoq; aduentum Christi.
    - Hortatur vt diligentissimè attendat ad sermonem, quo visionem & prophetiam allatam ab Angelo, rectè possit intelligere.
  - Vaticinium Angeli, & seq. Vide literam A.

Prædicit has septuaginta hebdomadas præfixas ac definitas esse. Quæ enim Daniel petijt à Deo, illa Angelus dicit præstanda intra annos illos 490. si ab eo supputentur termino, quem Angelus præfigit mox. Inde discimus decretis Dei certis,& prouidentia diuina gubernari omnia.

Prosequitur quod in hac causa est præcipuum : quod videlicet ad Christum pertinet, vt quid mundus per ipsum consequatur. Affirmat autem aduentu Messiæ per mortem & resurrectionem eius remittenda, expianda & abolenda fore peccata mundi,& conferri nobis iusticiam & vitam.

Explicat quis & qualis sit Dominus noster Christus: nimirum maximus ille Propheta, de quo loquitur Moses Deut.18. in quo omnia complentur, quæ dicta sunt à Prophetis omnibus. Ideò dicit, Ad implendam visionem & Prophetas,&c.

Vaticinatur Angelus Sanctum Sanctorum, id est, Christum, in istis annis esse vnguendum,id est,ordinandum,declarandumq; orbi,quod sit Propheta,Pontifex,& Rex,&c.

Præfigit terminum,vnde incipiamus 70. hebdomadum supputationem : Ab exitu,inquit,vel progressu verbi ad habitandam & ædificandam Hierusalem. Quod verò fuerit hoc decretum, & à quo,& quando promulgatum,non conuenit Interpretibus. De hac re nos infrà pluribus tractabimus.

A. Vaticinium Angeli de septuaginta hebdomadibus, quæ complectuntur annos 490. Vbi

Distinguit hebdomades inter se in tres ordines, vt quam sigillatim in his futura sint, significanter exponat.

Commemorat septem septimanas, quæ faciunt annos 49. quas hebdomadas propterea segregauit, quòd hæ præcipuè concernant reparationem Vrbis, factam sub regno Persarum.

Subiungit septimanas 62. quæ faciunt annos 434. quibus si addas priores septem conficiunt simul annos 483. in his venturum in mundum, prædicit per Prophetam Angelus Domini,Christum.

Vnius hebdomadæ seorsim facit mentionem,quæ habet annos septem:hanc si prioribus addas, habebis annos 490. finitis verò his annis, proximo insequente anno mortuus est Christus. In hanc hebdomadem collocat ipsum etiā Vrbis excidium. Non quòd vltimum Vrbis excidium, & Iudaicæ gentis repudium perfectum sit intra 70. illas hebdomadas, aut in earum veniat supputationem, sed quòd interitus causæ ex his dependeant, & reiectionis Iudaicæ gentis & interitus illius horrendi causam contineant. In hanc hebdomadem refert etiam fœderis,seu Testamenti noui confirmationem,vocationem gentium, & abrogationem Legis & sacrificiorum. Hæc autem abrogata sunt in medio,vel in dimidio vltimæ septimanæ. Nam anno illius vltimæ hebdomadis quinto, qui erat Tyberij 15. annus, Lucæ 3. cœpit prædicare Euangelium. Inde verò anno mox tertio crucifixus est Dominus noster. At per prædicationem Euangelij,& mortem Domini nostri Iesu Christi constat Legem esse abrogatam. Nam ipse Dominus de Ioanne loquens, Omnes Prophetæ,inquit, & Lex ipsa vsq; ad Ioannem prophetauerunt. Ioannes verò ipse est Helias, & hic quidem Ioannes manifestè de Christo testificans,declarauit hunc esse ipsum, qui per sacrificia fuerit præfiguratus. Quòd verò de Messia loquens ait, Et non sibi, vel nihil ei, explicat causam & fructum mortis Christi. Nulla enim in ipso fuit causa,vel culpa,ob quam mortem mereretur,sed pro nostris peccatis passus est,& mortuus.

Vaticinatur de Templi & Vrbis gentisq; Iudaicæ excidio, ac repudio. Vbi

Prædicit Vrbem reparatam sub Persarum regno vastandam fore, nec Vrbem tantùm,sed & Sanctuarium,id est,Templum.

Exprimit per quem sit & Templum & Vrbs euertenda. Vtique per populum Principis aduenientis,id est,per Romanos.

Describit modum excidij. Excidium enim Vrbis simile facit diluuio celerrimè venienti,& vastanti omnia. Per parabolam enim diluuij, atrocitatem,horrendamque faciem excidij oculis spectandam proponit.

Innuit vastitatem Iudæorum consummatissimam, horribilissimamq;, finalem & irrecuperabilem. Hoc est quod dicit : Ad finem belli consummata vastitudo.

Repetit excidium & interitum gentis Iudaicæ. Vbi ala Templum significare videtur, in quod imponendum sit vastationis signum. Vt enim ala tegit, ita Templum erat populo Iudæorum velut ala contegens,asylum ac refugium. Fidebat enim Templo & sacrificijs. Abominatio verò significat signum aliquod vastationis,desolationisque,vt Aquila per Pilatum, Iudææ Præsidem,in Templum illata Hierosolymitanum. Significat autem hoc loco populum Iudaicum propter contumacissimam incredulitatem,& odium fidei Christianæ prorsus à Deo fore repudiandum,& reliquias repudiatas (quas hîc vastitatem appellat) omnibus seculis perpetuis atterendas calamitatibus,& miseriam illius nullo terminandam esse fine,sed vrgeri eos perpetua & consummatissima consumptione,prout iustissimus Deus iustissimo suo iudicio contra eos decreuit.

De

De termino vnde incipienda sit supputatio 70. hebdomadum.

Vaticinio Hieremiæ. cap. 25. à quinto videlicet Zedechiæ Regis anno, & inde progrediuntur ad natiuitatem vsque Domini. Ceterùm supputantur ab hoc anno vsque ad natiuitatem Christi anni 611. redundarent ergo anni 121.

Temporibus. Primo videlicet anno Cyri, & inde progrediuntur ad natiuitatem vsq; Domini. Verùm ita colligũtur anni 544. Redundabunt ergo sic etiã anni 54. & perit rursus septimanarum distributio.

Trigesimo secundo anni Darij Hystaspis, quo Vrbs muris extructis & portis adhibitis plenè restituta esse fertur à quibusdam. Inde verò si supputando progrediare, inuenies exactè 70. septimanas annos videlicet 490. ad natiuitatem vsque Domini. Verùm hac etiam ratione septimanarum distributio perit, & interuenient alij etiam scrupuli.

Secundo anno Artaxerxis Longimani, & inde progrediuntur ad prædicationem Christi: verùm & hæc ratio redundantes annos habet, licèt non multos.

INCIPIVNT supputationẽ 70. hebdomadũ alij à

Septimo anno Artaxerxis Longimani, & progrediuntur ad ipsum vsque passionis Domini annum. Hæc probabilior est supputatio propter has rationes. Quia

Eusebius in Chronicis, & Iulius Aphricanus de Temporibus affirmant Esdram venisse Hierosolymam ad extruendam Vrbem, anno Artaxerxis Longimani septimo. Quos secutus Beda, idem testatus est, sicut & plerique alij Chronographi.

Pulcherrimè congruunt principium & finis 70. septimanarum, si ordiaris a septimo anno Artaxerxis Longimani. Rectè enim peruenitur ad Christum, & manent incolumia discrimina septimanarum, vt in supputatione inclarescit.

Non à Dario Hystaspe, sed ab Artaxerxe Longimano missus esse videtur Nehemias in Iudæam ad reparandam Vrbem Hierosolymorum.

Angelus hic non loquitur de huiusmodi decreto, quale Cyrus & Darius promulgârant: vt videlicet liceret Iudæis Templum extruere, & suis vti sacris. Neque enim isti duo Principes aliud priuilegium contulerunt, aut si cõtulerunt, hactenus tamen per vicinos & Præfectos, qui erant trans fluuium, non licuit eo vti. De huiusmodi ergo verbo, vel decreto loquitur Angelus, quod erat nõ solùm de Tẽplo extruendo, sed & Vrbe reparanda, & liberè inhabitanda. Tale edit edictum Artaxerxes Longimanus, & pœnã illis etiam irrogat, qui sese opposuerint. Deniq; iura ciuitatis restituit. Id quod Angelus significasse videtur, dum dicit: Ab exitu verbi ad habitandam & ædificandam Hierusalem. Etenim in libro Esdræ 7. sic loquitur Rex: Tu autem Esdra secundùm sapientiã Dei tui, quæ est in manu tua, constitue Iudices & Præsides, vt iudicent omni populo. Sed & imperitos doceto liberè, & omnis qui non fecerit Legem Dei, citò de eo fiat iudicium, &c. Deniq; tredicimo ab hinc anno mittitur in Iudæam Nehemias ad extruendum etiam mœnia.

Ad mortem Christi, non ad natiuitatem pertingit septimanarum finis.

Dispositio Cap. 10. quod habet præparationem quandam ad visionem subsequentem, quæ protrahitur ab imperio Cyri ad finem vsque seculi.

IN hac visionis quartæ præparatione.

Summam contexens, affirmat sibi patefactum esse verbum, per quod totum visionis negotiũ intelligit.

Commendat visionem à veritate, quòd alienissima sit ab omni fuco & mendacio.

Commendat viosionem à præstantia sua, quòd res vtiles scitu necessarias, graues atque maximas nos doceat.

Prædicat Dei gratiam, qua illuminatus optimè intellexerit, quid ipsi à Deo per Angelum in visione sit propositum. Vnde & rectè potuit visionem hanc Ecclesiæ proponere. Quod enim quis non rectè intelligit, alijs certè non potest rectè & commodè tradere.

Exponit quo tempore illi visio hæc sit exhibita. Tertio videlicet anno Cyri, vigesima quarta die mensis primi, qui nostro respondet Martio, altera die à ferijs Paschæ peractis. Celebrabatur enim Pesa, die mẽsis primi 14. extrahebaturq; celebritas ad 21. vsq; diem mẽsis, qui erat dies festus. Atqui cùm non licuerit Pesa celebrare, iuxta Legem Deut. 16. nisi vno in loco, nempe ad Templum Domini, certum est Danielem Pesa in terra Chaldeorum vel Persarum non celebrasse: memoriam tamen solennis diei & beneficij maximi sine ceremonia, precibus & sanctis cogitationibus peregisse, vero non est dissimile.

Exponit per quam occasionem hæc visio sibi sit exhibita. Lugebat enim Daniel, atq; hic luctus incidit in solenne populi gaudium: id est, quo alioqui gaudere solebant, rebus ipsorum non infœlicibus. Porrò luctus causa erat, quòd cùm populus, qui ex Babylone Hierosolymã redierat, anno Cyri primo, Templum extruere conaretur, impediebatur ipsorum conatus anno eiusdem tertio, sicut commemoratur Esdræ 1. 4. 5. In hoc luctu abstinuit Daniel ab omni cura, cultuque corporis sua sponte, non coactus, & in hac abstinẽtia perseuerauit tres septimanas. Liberum enim est tempus, quod pro ratione rebus ac temporibus adaptatur.

Attingit, Describit, & seq. Vide literam A.

Attingit locum, in quo exhibita est visio, qui est ripa fluuij magni, qui dicitur Hiddakel, aliâs Tigris, Rarum verò non est, ostendi visiones Prophetis ad flumina.

Describit Angelum, per quem visio exponitur à
- Vestitu. Vestis erat linea, candida, pura, qua significatur purissima esse omnia, quæ hic traduntur.
- Cinctura. Femora enim Angeli accinguntur baltheo aureo. Lumbi affectionum sedes sunt. Significatur ergo hac figura, Angelorum reuelationes nullis corruptas esse affectionibus prauis.
- Forma corporis. Corpore enim referebat gemmam, quæ dicitur Tharsis, coloris cyanei: alij Chrysolitum, alij Hyacinthum esse putant, quod significat immortalitatem, gloriam, & incorruptibilem essentiam Angelorum. Facies fulguri similis erat, quia Angelorum nuncia terrent, & illuminant. Brachia & pedes (quæ opera vocationis & conuersationem significant) similia sunt Chalybi politissimo. Opera enim Angelorum placent Domino, quòd Deum glorificent.
- Voce. Nam vox Angeli erat instar vocis multitudinis, vel aquarum, vel hominum. Nam doctrina Angelorum est sonora, clara, &c.

Explicat quomodo & ipse & socij, seu comites eius affecti fuerint. Comites enim Danielis, qui non viderant Angelum, vocem autem illius audiuerant, audita Angeli voce diffugiunt, territi, relicto illic Daniele, qui perstat, sed vehementi terrore corripitur.

Ostendit quid sibi ita perterrefacto egerit Angelus Domini. Angelus enim manu sua apprehendit Danielem, & erigit, ita vt manibus nitendo in genua consurgeret.

A. Indicat quid sibi Angelus dixerit. Vbi
- Iubet vt in statione sua consistat, id est, erectus, & eo modo consistat, quo constiterat prinsquam in terrã erat prolapsus. Vnde discimus Deum gratia ac verbo suo erigere eos, qui se coram eo humiliauerunt.
- Consolatur Danielem in terroribus.
- Attexit cuius rei gratiâ missus à Deo venerit: videlicet vt significet ipsum à Deo esse exauditum: deinde, vt exponat, quæ consequentibus seculis per tempora multa, seu longa euẽtura sint populo, vel Ecclesiæ Dei, sicut circa finem capitis ex verbis Angeli patebit.
- Indicat Angelus quare post vigesimum primum diem dederit responsionem Danieli, finitumque tempus ieiunij & luctus, & non primo protinus die, quo precari cœpit, & quo exaudita esse dicit verba Danielis: Quia, inquit, Princeps Persarum toto illo tempore mihi restitit, vt venire non potuerim, nunciatum ea tibi, quæ nunc denuncio. Mihi verò cum eo certanti, Michael auxilio mihi venit. Detinuerunt ergo me per 21. dies Reges Persici, vt ad te venire non potuerim. Per Principem verò regni Persici, alij Angelum Persiæ Præsidem intelligunt, alij Cambysem, in Scriptura etiam nuncupatum Assuerum, qui ædificium Templi impediuit, & de quo verisimile est credere vlterius ipsum progressum fuisse, edictis tyrannicis & facinoribus contra miserum Dei populum, truculentis, nisi Deus illi obstitisset per Angelum suum, fortè Gabrielem, qui frequenter missus est ad Danielem. At constat Deum vti opera Angelorum in defendendis suis fidelibus. Quòd verò vnum Angelum alteri suppetias tulisse scribit Daniel, vel per anthropopathiam, more huius seculi, vel ratione & modo, qui beatis Spiribus congruit, dixit. Porrò Angelus Michael nominatur vnus de primarijs Principibus, quòd virtus eius Angeli fuerit insignis.

Ostendit quomodo ipse affectus sit ad colloquium huius Angeli, vt inde colligamus, quomodo Sancti afficiantur Dei eloquijs. Pudore suffunditur Daniel, & oculos deijcit in terram, horret totus, & vox faucibus hæret. Mox tamen medetur Angelus Domini Prophetæ languenti. Angelus enim in specie hominis ad Danielem accedens contingit labia eius, facultatemq; loquendi dat obmutescenti.

Exprimit Daniel ad Angelum desiderium suum in discendis mysterijs Dei.

Commemorat Angeli, & seq. Vide literam A.

A. Commemo-

Angelus Dei exponit, quid, vbi visionem hanc Danieli exhibuerit, & res eius ex posuerit, facturus sit: Quòd videlicet reuertatur ad pugnam, id est, proficiscatur contra Persarum Regem, vt eius furores, tyrannidemq; truculentam iterum coerceat, ne videlicet longius erumpat quàm salus populi Dei flagitat. Quibus verbis significat Reges Persarum multa tentaturos contra Iudaicum populũ, sed non effecturos quod instituerunt, cohibente eos Angelo Domini.

Narrat se egrediente, vt ad Danielem veniret, aduenisse in conspectum Dei Principem Græciæ. Id quod videtur dici per anthropopathiam. Nec aliud his verbis significatur, quàm Deum nũc etiam consultare incipere de Græcis cum Persis committendis, & Persis euertendis. Quare futurum sit, vt Persæ implicati bello Græco minùs persequi & affligere possint populum Domini.

A. Commemorat Angeli orationem, in qua

Perstringit compendio quid dicturus sit: Indicabo tibi, inquit, quod est expressum in Scriptura veritatis; Decreta videlicet Dei, velut inscripta in effabili Dei prouidentia. Dicit hoc more hominum qui habent in Curijs suis decretorum, legum, rerumq; suarum libros authenticos.

Significat se absque omni alieno auxilio perfecturum hoc, quod antea de pugna dixit, & populũ Dei contra Persas assertuum: Nemo, inquit, mihi suppetias fert, nisi vnus Michael, sicut & ego Michaeli suppetias tuli in primo anno Darij primi, Persici Monarchæ. Loquitur autem de Dario Prisco, cuius mentio facta est Daniel. 6. & attingit euersionem Babylonis. Darius enim & Cyrus Babylonem euerterunt. Ergò si virtute Michaelis & Gabrielis, quæ Dei est virtus, subuerti potuit Monarchia omnium potentissima Babylonis, nemo certè dubitare debet, virtute eadem Domini & Iudæos seruari posse per hos duos Angelos à tyrannide Persarum. Claret ex his perperam discerpi versum hunc à fine capitis 10. & poni in principium capitis 11.

Dispositio visionis quartæ, vel vaticinij Angelici, quod videtur esse historica quædam & perspicua narratio, ex Capit. 11.

Præfigit narrationi seu expositioni exordium, in quo affirmat ea, quæ dicturus est, veritatem esse.

Texit breuem quandam narrationem rerum Persicarum, vbi commemorat Reges quatuor, ne cernentes & sentientes calamitates calamitatibus cumulari, desponderent animos Iudei, sed firma potius fide crederent, in medijs difficultatibus facillimè ipsos seruandos à Deo, bellaq; illa extera in causa esse, quòd minùs persecutionis inferatur eis. Primus Rex Cyrus est, visio enim hæc anno tertio Cyri exhibita est. Secũdus est Cyri filius Cambyses, qui Templi ædificationem prohibebat. Subrepsit post hunc in regnum Smerdes quidam, sed qui mox interfectus, inter Reges Persiæ minimè est supputandus. Tertius ergo Rex numeratur Darius ille Hystaspis, cui filius Xerxes successit, quartus ille Rex Persarum. De hoc Propheta dicit, quod omnium Regum fuerit opulentissimus: quippe qui patris immensas opes acceperat, vnà cum copijs ex toto Oriente contractis. Stare autem dicũtur hi Reges, id est, gubernare, rebus regni nihil dum deficientibus. Ac regnârunt quidem post Xerxem Reges Persarum potentissimi adhuc sex, Longimanus, Nothus, Mnemon, Ochus, Arsames, & Darius Arsami filius, in quo pœnitùs defecit regnum: sed tamen non in authoritate & existimatione orbis tanta, quanta primi illi regnârunt.

In hac visione Angelus

Subiungit quædã de Alexandro Magno, qui initium dedit regno vel Monarchiæ Græcorum. Vbi

Alexandrum vocat Regem fortem, dominationem & imperium eius amplissimum, & qui pro arbitrio fecerit quod voluit: id est, qui, quæ voluit, secundo successu perfecit.

Addit regnum Alexandri mox esse scissum in partes, vel regna quatuor, quæ hic quatuor ventos cœli appellat, id est, plagas: Orientem videlicet, Occidentem, Meridiẽ & Septentrionẽ. In Aegypto enim regnauit Ptolomeus Lagi filius, id est, ad Meridiẽ. In Macedonia Philippus, qui Aridæus, frater Alexandri, id est, ad Occidentem. Syriæ & Babyloni præfuit Seleucus Nicanor, id est, ad Orientem. Asiæ & Ponto, cæterisq; in ipsa plaga prouincijs, Antigonus, id est, ad Septentrionem.

Prædicit Alexandri posteris nihil prorsus cessurum ex regno, & additur ratio: Quia extirpabitur regnum eius, & alijs extraneis cedet, præter istos, scilicet hæredes Alexandri: vniuersa enim illius familia est trucidata.

Vaticinatur Principes hos quatuor, vel Reges, non dominaturos pari cum Alexandro potentia.

Vaticinatur de regno, & seq. Vide literam A.

Regem Austri,id est,Aegyptium: Ptolomeum videlicet Lagi filium, dicit potentem futurum,qui,teste Iosepho,Iudæos afflicturus sit,plurimosq; Iudæorum captiuos in Aegyptum abducturus.

Opponit Seleucum Nicanorem vnum ex Ducibus Alexandri Ptolomeo Lagi,dicitque Seleucum factum esse potentiorem,& obtinuisse imperium amplißimum. Etenim trucidatus est ab hoc Seleuco Lysimachus. Interfectus est ab eodem & Antigonus.Idcircò addita est ad regnum Seleuci, ad Syriam,inquam,& Babylonem,Asiæ pars à Tauro monte vsque ad Ioniam.

Prædicat post aliquot annos Reges Aegypti & Syriæ per coniugium amicitiam contrahere conaturos. Nam Ptolomeo Lagi successit Ptolomeus Philadelphus.Seleuco autem surrogatus est Antiochus Soter,& huic Antiochus Theos.His crebris incursionibus Philadelphi regiones deuastauit. Philadelphus ergo cùm pacis esset studiosior quàm belli, instituit Antiochum sibi deuincire, pacémque sancire,tradita filia sua Bernice Antiocho in matrimonium, &c. Hoc est quod dicit: Et filia Regis Austri,id est, Aegypti,deducetur sponsa ad Regem Aquilonis,id est,Antiochum Theos: sed non retinebit fortitudinem brachij,id est.hæc res successu carebit,& hoc connubium non erit firmum.Nam Antiocho per venenum sublato,Bernice tradetur in potestatem Seleuci Callinici,filij Antiochi ex Laodice,qui ipsam cum filio & omnibus denique ipsam ex Aegypto secutis ex consilio matris trucidauit. Atq; ita consilium Philadelphi infœliciter cessit.

A Vaticinatur de regno Aegypti & Syriæ. Vbi

Describit alterũ bellum Syriacum, inter Euergetẽ Bernices fratrem,Regem Aegypti, & Seleucum Callinicũ Antiochi Thei ex Laodice filium. Vbi

- Loquitur Angelus de germine & successione Euergetis, cùm dicit: Et stabit de germine radicum eius in gradu suo,id est,dignitate & maiestate regia, id est, succedet patri Regi filius, Bernices frater, vtique de genere radicum,id est,parentum eius, nimirum Bernices.
- Describit apparatum & copias Euergetis, quas duxit in Syriam contra Callinicum, vlturus necem sororis Bernices,& Syriam adiuncturus Aegypto.
- Exprimit qua fortuna vsus sit Euergetes
  - Callinicum vincet.
  - Syriam in potestatem suam rediget.
  - Deos Syrorum & Principes captiuos ducet in Aegyptum obsidum loco.
  - Diripiet vasa preciosa,in quibus erant & illa, quæ Cambyses capta Aegypto vnà cum dijs Aegyptiorum in Persiam asportauerat.
- Significat diutius regnaturum Euergetem,quàm Seleucum Callinicum.
- Concludit hanc partem prophetiæ,innuens saluum ac victorem, spolijsq; onustum in terram suam, regnum videlicet Aegypti, rediturum.

Describit bellum tertium Syriacum,inter Ptolomeũ Philopatorem Euergetis filium, parricidã, & filios Callinici,Seleucũ Ceraunium & Antiochum Magnũ. Vbi describitur

- Causa belli: Filij enim Seleuci irritati sunt ad bellum,ob ademptã patri Syriam.
- Copia ac multitudo exercitus filiorum Callinici.
- Celeritas Antiochi Magni.Nam in ipsa expeditione Ceraunus frater à Nicanore quodam & Apaturio est interfectus.Solus ergo Antiochus ex multis præclarisque facinoribus, Magnus cognominatus, exercitum celeriter duxit in Syriam.Hoc est quod dicit,Veniendo veniet.
- Agendi fœlicitas,studiumque assiduum Antiochi, & vis siue copia militum, qua Syriam adobruit,cùm dicit: Inundabit,id est,pertransibit diluuij instar.
- Successus Antiochi Magni,cùm dicit: Et reuertetur, id est, per quæcunque Syriæ loca volet, peruadet,nemine ipsi obstante. Neque hac fortuna contentus,ipsam etiam Aegyptum aggredietur. Descendet enim cum exercitu suo vsque ad munitißimam vrbem Raphiam. Ad Raphiam verò castra posuit Antiochus.
- Expeditio Philopatoris contra Antiochum,conflictus & victoria.
- Superbia Ptolomei Philopatoris,ob victoriam,& tyrannis contra Iudæos potissimùm.Horum enim aliquot coniecit in vincula, aliquot crudeliter iugulauit, aliquot in spectaculis elephantorum pedibus obterendos proculcandosque obiecit. Verùm Deus suo non defuit afflicto populo, sed auxilijs eum eripuit mirabilibus,ex truculentæ bestiæ vnguibus.Vnde Daniel disertè dicit, Ipsum non præualiturum. Id quod consolationis gratiã adiecit. De hoc lege lib. 3 Machab.per integra capita septem.

Describit,Attingit,Vaticinatur & seq.Vide literam B.

- **B.**
  - Describit bellum Antiochi Magni cōtra Ptolomeum Epiphanem, filium seu hæredem Philopatoris. Vbi describitur.
    - Expeditio Antiochi Magni, magna varia & sumptuosissima, diuersis temporibus contracta.
    - Societas & fœdus Antiochi Magni initum cum alijs, vt Philippo Rege Macedonum, &c. quo plures Aegypto arma inferrent, ipseque Aegyptijs terrori esset maximo.
    - Iudæorum factio in his bellis Syrorum & Aegyptiorum. Scissi enim Iudæi inter se, partes factionum sunt secuti. Quin multi, Onia duce, qui sacerdos erat, profugerunt in Aegyptū, & Templum extruxerunt, prætexentes Scripturæ authoritatem, velut impleturi quæ olim prædixerat futura Esaias, cap. 19. Aram videlicet in media Aegypto extruendam: Sed corruent hi, inquit Daniel.
    - Prælium graue, multo cum sanguine gestum, inter Scopam peritissimum rei bellicæ Aegyptiorum Ducem, & Antiochum Magnum. Venit autem Antiochus probè instructus exercitu, & vrbes captas à Scopa Aegyptijsque oppugnauit, & cœpit, Aegyptijs illi resistere non valentibus. Quin fractæ sunt vires Aegyptiorum vniuersæ, Antiocho cuncta pro animi sententia perficiente. Hoc bello in potestatem suam redegit Antiochus & Iudæam, cum vrbe Hierosolymorum. Hanc terram amœnam vocat Propheta & desiderabilem.
    - Consilium seu astus Antiochi Magni. Cùm enim adiecisset animum ad occupandum etiam Aegyptum, & videret bello hoc se efficere non posse, ad dolos & artes reuertitur, ac filiam suam Cleopatram, puellam optimam & formosissimam, matrimonio locat Ptolomeo Epiphani. Atque hac ratione & pacem componit Antiochus, & Ptolomeum sibi fœdere coniunxit, in hunc finem, vt filio marito suo perniciem, siue veneno, siue alio modo pararet, atque hac ratione & maritum suum, & semetipsam perderet. Successu tamen caruit nefarium hoc Antiochi consilium. Etenim Aegyptum obtinere non potuit. Nam Cleopatra parente suo integrior, maritum amauit, & viri partes impensiùs, quàm parentis fouit. Ac Ptolomeus Epiphanes, ac Duces Consiliarique eius, dolum & astutiam sentientes, cautiores fuerunt.
  - Attingit bellū inter Antiochum & Romanos. Vbi describitur.
    - Causa belli. Rex enim Antiochus multa in Romanos eorumque auaritiam & insolentiam iecerat probra, quæ Consul Romanus Scipio, quem hic Principem appellat, absterſit, & in hostis reiecit caput, absque suo dedecore, imò cum summa sua laude. Hoc significat Propheta, cùm dicit: Et Princeps Consul, inquam, Romanus Scipio, compescet eius probra, retorquens in eum, videlicet Antiochum, absque omni suo, Scipionis & Romanorum dedecore.
    - Antiochi successus in capiundis Insulis. Cœpit enim insulas Eubœam, Phoceam, Samum, Cyprum, Rhodum & Colphonem, & alias. Traduxit etiam exercitum in Græciam, incitante Hannibale, summo Romanorum hoste, qui victus in Africa à Scipione, profugerat in Asiam ad hostem populi Romani Antiochum.
    - Repentinus Antiochi Magni interitus. Nam cùm in terram suam venisset, & adhibito exercitu, nocte templum Dindymæi Iouis aggressus esset, re prodita, concursu incolarum cum omni militia interficitur: Redibit, inquit, in munita loca terræ suæ, atque ibi impinget, & cadet, &c.
  - Vaticinatur de filijs Antiochi magni. Videlicet
    - Seleuco Philopatore, qui regnauit annis duodecim. Vbi
      - Significat successionem eius: illi succedit, inquit, in Regno. Patri Antiocho succedet filius Seleucus Philopator.
      - Explicat quæ sint illius studia futura. Auarus enim erit, rapax, crudelis, & in exigendis tributis durus.
      - Innuit quo mortis genere interierit. Veneno scilicet, fratris Antiochi Epiphanis arte parato. Hoc est quod dicit: Non aperta pugna.
    - Antiocho Epiphane, & seq. Vide literam C.

Conditio vilis Antiochi Epiphanis ab initio. Hunc enim Despectum vocat, quia coram Deo, & omnibus bonis, propter nefaria scelera despectissimus erat, nullas boni Principis dotes habens. Et quòd Romæ obses, seu captiuus diu fuerit retentus, minimeque habitus pro Rege.

Modus seu ratio, qua regnum obtinuerit. Malis enim artibus & blanditijs in Syrorum amicitiam se insinuauit: deinde aperta etiam vi regnum rapuit. Hoc est quod dicit: Blanditijs obtinebit regnum, & brachia inundationis obruentur ab eo. Brachia inundationis vocat copias maximas Demetrij fratris Antiochi, filij Seleuci Philopatoris, qui patre per venenum sublato, illi successerat: quas quidem copias Antiochus superbè oppressit, sed & principem fœderis Aegyptium, nimirum Regem Ptolomeum Philometorem, filium Ptolomei Epiphanis ex Cleopatra sorore Antiochi. Hic Ptolomeus Philometer auxilia suo consobrino vel patrueli Demetrio miserat, quæ Antiochus oppressit Hic Ptolomeus dicitur Princeps fœderis, quòd propinquitate, vel sanguine coniunctus esset & Antiocho & Demetrio.

Dolus & astus Antiochi Epiphanis. Simulauit enim se, quia Ptolomei Philometoris auunculus erat, tutorem fore adolescentis, nondum idonei ad gubernationem. Collectis ergo copijs non magnis, ne res suspiciosa foret, tanquam tutor, non vt hostis, proficiscitur in Aegyptum, sed aget hæc dolo malo. Ascendit enim & præualebit in paruo populo. Nam cum modico exercitu Aegyptum ingressus, obtinuit illam, quam & spoliauit, congestis ex ea facultatibus opibusque immensis. Duabus autem artibus hic vsus est Antiochus, vt regnum ad se pertraheret. Primùm prædas, spolia, opesque ex Aegypto collectas, rursus sparsit: id est, profudit in Aegyptios, vt muneribus largitionibusque corruptas in suam pertraheret factionem, per quam postea adiutus, regno pelleret Philometorem sororis suæ filium, sicut antea Syria eiecerat Demetrium fratris sui filium. Denique contra munitiones cogitauit cogitationes, id est, dolosè & perfidè consultauit de præsidijs suis collocandis in firmas quasque Aegypti munitiones.

C.
Antiocho Epiphane. Vbi describitur

Secunda eius in Aegyptum profectio. Inuadit iterum Aegyptum, & pugnat cum Ptolomei Philometoris Ducibus, & fœliciter rem gerit. Profligantur enim ab Antiocho Aegyptij maxima clade accepta. Causam autē huius infœlicitatis refert ad proditiones Aulicorum, Consiliariorum & Ducum Regis Ptolomei, qui corrupti largitionibus ab Antiocho, eius partes fouerunt, & dominum suum prodiderunt. De hoc bello vide 1. Machab. 1.

Simulatio Antiochi. Nam parta victoria, multis vndique spolijs collectis, conuiuia agitauit in Memphi, in quibus blanditur Regi Ptolomeo, cùm tamen vterque de alterius pernicie cogitaret. Sed non succedent ea consilia, & additur ratio: Non enim nunc perire debuerunt, sed in aliud tempus vtrique suum exitum diuina prædestinauit prouidentia.

Reditus ex Aegypto in Syriam, & quomodo in itinere diuertens in Iudæam, venerit Hierosolymam. Vnde magna suffarcinatus præda, saluus & incolumis redierit. De hoc libro 1. Machab. capite 1. & 2.

Tertia eius in Aegyptum profectio, quæ quidem sit dissimilis priori. Priore enim ditatus, victor cum gloria ex Aegypto in Asiam redijt. Posteriore verò, Romanorum minis territus, summa cum ignominia in Syriam recessit. Hanc profectionem in Aegyptum instituit Antiochus post biennium à superiore. Porrò naues Cithim vel Cyprias, Italas vel Romanas intelligit, vel Græcas à Romanis contra Antiochum missas, vt Antiochū coercerent. Alij putant Græca naui, adeoque Cypria aduectum Legatum Romanorum Popilium, qui Antiochum compescuit.

Alter eius aduentus in Hierusalem & posterior. Hic longè quidem fuit crudelior, magisque funestus populo Iudæorum, quàm fuit prior. Communicauit enim consilia cum Menelao Pontifice, & proditoribus miseri populi, quorum opera & consilio Vrbem occupauit, & oppressit. De hoc vide librum 1. & 2. Machab.

Prophanatio Templi, & seq. Vide literam D.

D.Propha-

Prophanationis Templi ratio. Prophanârunt enim Templum, dum sustulerunt ex eo instituta & legitima Dei, & intulerunt res prophanas & impurissimas, Idola & Aras, &c. Vide de hoc 1. Macha. 1.

Quid facturus sit populus sub Antiocho in tanta rerum omnium perturbatione. Significat autem duo hominum genera futura in hac perturbatione sub Antiocho. Alterum eorum, qui cùm instabiles sint, nec firmi in fide, sustinent se seduci, imò & alios seducere conantur blanditijs. Alterum genus hominum est syncerorum in vera religione, & verorum Dei cultorum, de hoc vide 1. Machab. 1.

Dei prouidentia erga fideles. Deus enim in graui ista rerum omnium perturbatione non deserit suam Ecclesiam, sed dat illi Doctores & monitores fideles, ne quid contra Legem Dei peccet.

Sors docentium in Ecclesia. Rectè videlicet monentium, abstrahentium populũ ab impietate & idolatria Antichristi. Vide 1. Machab. 1. & 2. Machab. 6. 7. &c. Corruent, inquit, per gladium, &c.

Consolatio, cùm dicit populum paruis copijs à Deo mirabiliter asseri ac defendi. Nam parua fidelium manu & copijs modicis Iudæ Machabæi, pugnantis contra Appollonium, Seronem, Gorgiam, aliosque Antiochi duces, asseruit Dominus populum suum afflictum, de quo in libris Machabæorum copiosiùs. Rebus autem fidelium secundis cõiungunt se multi hypocritæ fidelibus, qui aduersis iterum ab eis refugiunt, imò & hostibus fidelium se adiungunt.

Causa cur Deus populum suum subdat cruci. Deus enim subijcit suos cruci, non vt cruce eos perdat, sed vt purificet magis. Ac vtitur in hac causa similitudinibus tribus. Prima quidem petita à metallarijs: secunda à fullonibus, vel abluentibus vestes: tertia ab his, qui purgant frumenta. Metallarij metallum, vt argentum imponunt igni, non vt perdant argentum, sed vt purgent à scoria. Fullones quoque lintea abluunt, tingunt, contorquent, & variè exercent, non vt lacerent & corrumpãt, sed vt mundent & dealbent. Facilis est applicatio.

D. Prophanatio Templi, per Antiochũ & Principes eius, seu præsidia Hierosolymis in arce relicta, quæ hic brachia: id est, robusta auxilia Antiochi vocat. Vbi proponitur

Modicum vel præfinitum afflictionis tempus. Significat enim afflictiones fidelium non fore perpetuas, sed suo fine circumscriptas esse. Deum enim omnibus rebus constituisse suos terminos. Deinde Deum etiam aliud tempus, nimirum vitæ æternæ constituisse, cuius gratia fideles libenter temporariam hanc, breuem & miseram vitam relinquant, vt consequantur æternam.

Fastus & superbia Antiochi, ac in eo velut typo Antichristi: Extollet enim se & magnificabit, &c.

Blasphemia Antiochi in Deum.

Prosperitas Antiochi, at non ex gratia, sed ira Dei. Quia enim Deus iratus est Iudaico populo, idcircò Antiochus prosperitate vtitur tanta, neque euertit praua eius consilia & facta nefaria, eò quòd mendacio potius quàm veritati populus deditus esset.

Impietas Antiochi, quòd Deum verum non curat.

Libido. Nullo enim afficitur honesto mulierum desiderio, deque mulieribus eum, quem Deus voluit honorem impendit, amat eas amore turpi, à Deo prohibito, & perdito, Deoq; abominabili.

Religio & cultus Antiochi. Colet enim Deum Maizim, id est, fortitudinum seu munitionum, qui is deus propriè dicitur, qui creditur inhabitare fortalitia munitionesq;, id est, angusta illa templa, basilicas & delubra. Honorabit autem hunc Deum suum, auro, argento, &c. sicut & Antichristus.

Largitio, quid videlicet præstet illis qui cultũ suum recipiunt.
- Cumulabit eos honoribus.
- Dominari faciet eos in multis.
- Terram illis diuidet pro pretio, id est, pro obsequio, mutuisq; officijs.

Expeditio eius & pugna contra Regem Aegypti, successus & prosperitas. Vbi commemorat qui manus eius euaserint, Idumæi videlicet, Ammonitæ, & Moabitæ, vbi principium pro præcipuè accipitur. Item Lybici & Aethiopes. Hi enim maturè se Antiocho coniunxerunt, ac societatem cum eo contraxerunt. Deinde recenset & eos qui non euadent manus eius, Iudæi scilicet & Aegypti.

Sedes Antiochi, quæ figatur inter duo maria, Adriaticũ & Tyrrhenum in monte illo sanctitatis: id est, quæ sit munitissima.

Interitus Antiochi. Vbi enim finis eius aduenerit nemo ipsum è manibus iusti Iudicis eripere poterit. Exitum verò sortitus est suis dignum moribus. Fœda enim fuga ex Perside elapsus, mœrore cœpit contabescere, tandem & phthiriasi, lentis, infandisq; cum doloribus consumi. Describitur horrenda eius ægritudo & mors elegantissimè ab authore 2. Machab. 9. Apparent in morte eius iusta Dei iudicia, quæ omnes homines absterrent, ne cum Deo & Sanctis eius bella suscipiant. A morte verò Antiochi hujus perditi, continuis calamitatibus familia regia est afflicta & conscissa. Reges ipsi inter se commissi sunt, mutuisque cecidêre parricidijs: regnum verò ipsum fœdissimè laceratum, tandem Romanis est subiectum.

Dispositio Cap. 12. quod post doctrinam de Iudicio & resurrectione, visionem etiam quintam complectitur.

Partes Capit. 12. De

- **Iudicio extremo. Vbi proponitur**
  - Tempus Iudicij: In tempore illo, inquit: id est, nouissimis diebus & fine seculi.
  - Descriptio Iudicij. Vbi describitur
    - Preco Iudicij. Angelus enim Dei excitat omnes ad Iudicium. Nominat hunc Angelus cum Daniele colloquens, Michaelem, & vocat Principem magnum. Nam & Apostolus ad Thess. Archangellum appellat: Principem, inquam, inter Angelos. Huius mentio facta est & cap. 10. Dicitur autem ille staturus, id est, egressurus ad ministerium Dei perficiendum. Stant enim Angeli, cum suo funguntur munere corã Deo. Sic consurgit Michael, quando missum à Deo Christum præcedit descendentem de cœlo tubamq; inflat, & omnes euocat ad Iudicium Dei.
    - Impiorum hominũ affectio. Quomodo videlicet afficiendi sint homines impij illo hortatu & citatione Archangeli ad Iudicium: Erit, inquit, tẽpus angustiæ. Collatione verò adhibita, quanta illa afflictio & angustia futura sit, ostendit. Tanta, inquit, erit, quantam nulla vnquam secula ad finem vsq; seculi senserunt.
    - Affectio hominum piorum illo Iudicij die. Hi enim cùm videant Christum, salutem, spem, & gaudium ipsorum, lætabuntur.
- **Resurrectione. Vbi proponitur**
  - Vnde resurgent corpora. Quia ex puluere ex quo initio cõdita erant. Per multos, vniuersam multitudinem intelligit.
  - Qualitas corporum resuscitatorum. Alij enim excitabuntur ad vitam, & quidem æternam: alij verò ad opprobria, in contemptum sempiternum.
  - Clarificatio corporum resuscitatorum. Doctorum autem & iustificantium peculiariter meminit, eò quòd antea monuit Doctores populi persecutione graui & tormentis varijs fore excarnificandos. Ne igitur despondeant animos, confirmat eos amplissimis his promissis, sicut alios quoq; homines plurimùm laborantes in gubernandis hominibus, eadẽ ampla promissione cõsolatur. Per iustificantes enim intelligit eos, qui alios ad iusticiam adducunt, & in officio retinent, vt sunt Principes, Magistratus, parentes, puerorumq; & adolescentum Magistri.
- **Præcepto angeli, quo clauditur visio quarta. Vbi**
  - Præcipit verba hæc claudi, id est, agnosci hæc absoluta & perfecta esse, nullaq; amplius additione indigere.
  - Præcipit librum hunc visionum obsignari, id est, agnosci hæc esse certissima & indubitata, singulaque certò euentura ad finem vsque seculi.
  - Assignat rationem, cur Angelus illa à se proposita claudere ac obsignare iusserit: Plurimi, inquit, discurrent & oberrabunt velut canes famelici, & multiplex erit in mundo scientia: id est, opiniones & sectæ erunt in orbe innumeræ. His infecti multi, nihil certi de salute & rebus postremi seculi habebunt. Ac propter miseriam & infœlicitatem postremi seculi oportuit hanc visionem tam diligenter confirmari.
- **Visione quinta, quę velut auctarium quoddã & declaratio est visionis quartæ & tertiæ, de abrogando iugi sacrificio. Vbi proponitur**
  - Quæstio alterius Angeli: Vsquequò, inquit, finis mirabilium? Mirabilia vocat mysteria hactenus commemorata de Antichristi sæuitia, crudeliter Ecclesiam deuastantis, deque Sanctorum calamitatibus, de fine seculi, de aduentu Iudicis Christi, de mortuorum quoq; resurrectione, deq; vita & morte sempiterna.
  - Responsio Angeli Gabrielis ad quæstionem alterius Angeli. Respondet autem
    - Facto. Primùm enim eleuat manum suam in cœlum, & iurat per viuentem in æternum, contestans vtique vniuerso mundo, finem vtique futurum: id est, calamitates sanctorum fore terminandas, impietatem omnem euertendam: ideò & Sanctos certò liberandos è malis omnibus. Eleuatio manuum, gestus est iurantium.
    - Verbo. Dicit enim tempus illud finis certissimum quidem esse apud Deum & numeratum, sed nobis incertum & incognitum. Hoc enim est, quod dicit: Ad tempus & ad tempora, &c. Significat autem non venturum finem rerum omnium, nisi manus, id est, exercitus populi Dei, id est, Ecclesia fidelium instructa ad pugnam contra Satanam, Mundum, & Antichristum, probè & sæuissimis priùs modis fuerit afflicta, lacerata & contrita: & nisi Ecclesia prius in plurimas fuerit dissecta factiones, hæreticorum vtique, Iudæorum, Gentium, Mahumetanorum & Romanistarum, à quibus omnibus ipsa media seu ouicula inter lupos constituta, lacerabitur, donec liberatori eam per aduentum suum in Iudicium liberare placuerit. Lege de hoc 2. Thess. 2. 1. Tim. 4. Apocal. 6. qui locus ad hunc Prophetæ locum illustrandum, plurimùm facit. In summa, ostendit Angelus Dominum ad Iudicium non venturum, nisi priùs consummatus fuerit numerus electorum, qui conterendus ac dispergendus sit in hoc seculo ab Antichristo.
  - Explicatio responsionis, & seq. Vide literam A.

Explicatio responsionis ad interrogationē Danielis, non satis intelligentis verborū sensum, præsertim de temporis determinatione. Vbi

Repellit quæstionem propositam de fine seculi: quasi dicat, non respondebo tibi ad quæstionem propositam. Abi, inquit, Daniel: quo dicto iubemur abstinere à curiosis quæstionibus. Nam nos etiam curiosi sumus in indagando fine seculi, cognoscendisque rerum ac temporum articulis. Tales erant initiò Apostoli.

Rationem subiungit, cur sic reijciat interrogantem. Quoniam clausa & obsignata sunt verba vsque dum finis aduenerit rerum omnium. Nihil amplius dicetur quàm quod antea est dictum, neque adijcietur his quippiam. Reuelatum est tantum quantum ea de re reuelari potuit & debuit. Clausum iam est negotium hoc, vt ei nihil possit vel debeat addi. Obsignatum etiam est, quia indubiè & certissimè complebuntur hæc quæ dicta sunt, in fine seculi: venietque Iudex, ac singulis rependet pro eo quod quisque vel dixit, vel fecit.

Significat quales sint futuri homines postremi seculi. Alij enim erunt iusti, alij iniusti. Iusti norunt Deum ac filium eius, ac propterea cruce premuntur, non vt perdantur, sed vt probentur, & purgentur: quod similitudinibus explicat. Iniusti verò pergent in sua impietate, eò quòd nullam prorsus Dei cognitionē habēt.

A. Tempus finis sacrificiorum, politiæ, gubernationisque Iudaicæ, adeoque belli Iudæis à Romanis inferendi. Hic declarat Angelus quæ cap. 9. de abrogando iugi sacrificio vaticinatus est. Dies verò 1290. conficiunt annos paulò plus tres cum dimidio. Quanto sanè tempore protractum & confectum est horrendum illud bellum Iudaicum cum Romanis, quod mox insecutum est & gentis & vrbis abominanda vastatio. Significat autem à capta vrbe miserum populum acerbissimis diuexandum esse tormentis, finienda tamen illa & finiendum bellum, vastitate horrenda, in medio execrabilis terræ inducta. De hoc dicit Angelus: Qui superstes manere & attingere potuerit dies. 1335. beatus est.

Conclusio orationis Angeli. Vbi

Requirit vt omnes cum Daniele pergamus in via, non seculi huius, sed Dei, & perseueremus in ea ad finem vsque.

Addit promissionem splendidam, ad consolandum perseuerantes: Et quiesces, inquit: anima scilicet & corpore, in hoc & futuro seculo. Anima enim Danielis per mortem separata à corpore, collecta est ad Patres, in sinum Abrahæ, in quo quies est & refrigerium. Corpus verò eius sepultum est ad quietem, ad resurrectionem vsque quietis perfectionem. Addit & alteram promissionem: Et stabis in fine dierum ad sortem tuam, id est, recipies in fine temporum portionem vel sortem tuam, id est hæreditatem, gloriam, & vitam sempiternam.

FINIS LIBRI DANIELIS.

DISPOSITIO VATICINIORVM Ezechielis Prophetæ: ac primùm de summa seu argumento libri Exechielis.

Denunciat vltimam cladem populo, iusto Dei iudicio imminentem.

Causas assignat, cur Deus statuerit tam seuerè agere cum populo suo: quòd videlicet multis superstitionibus & peccatis essent contaminati.

Dat interea sparsim gustum aliquem misericordiæ Dei, ne desperent.

Vaticinatur contra exteras gentes sicut & Ieremias, præsertim contra filios Ammon, contra Moab, contra Tyrios, & Aegyptios, & Assyrios.

Vaticinatur de restitutione Templi & Vrbis.

Dispositio Capitis 1.

Loci duo.

- De vocatione sua, vbi & vocationis suæ circumstantiæ explicantur, vt
  - Tempus quo ad munus docendi vocatus sit. Anno videlicet tricesimo à Iubilæo. Nam apud Iudæos numerabant annos à Iubilæo. Item captiuitatis Regis anno quinto.
  - Locus vbi ad munus prophetandi vocatus sit. In medio videlicet captiuitatis: id est, inter captiuos Iudæos in Babylonia iuxta fluuium Chabor. Hic dicit apertos sibi esse cœlos & vidisse se visiones Dei: id est, propheticos, quibus ad docendi munus instructus sit. Aperiuntur autem cœli seruis Dei, vbi discussis omnibus obstaculis, fidelium oculi vsque ad gloriam Dei cœlestem penetrant.
  - Mandatum seu verbum Dei ad Ezechielem: Et manus, id est, virtus Dei super Ezechielem, vnde constaret ipsum electum esse Prophetam.
- Visio in qua formidabilis Dei forma proponitur, vt hac imagine populi arrogantia subigatur, Prophetæ doctrina reuerentiùs suscipiatur, & Propheta in sua vocatione cõfirmetur. Hic disce,
  - Quæ sit summa visionis. Est autem hæc, prouidentiam Dei dominari in mundo & diffundi per omnes mundi plagas, non in Cœlo tantùm, vel templo, vel in Iudea, vt tum Iudæi putabant. Mutationes autem in mundo, quæ hîc rotis comparantur, non temerè aut fortuitò oriri, sed à Deo pendere, etiamsi omnia temerè ferri videantur.
  - Partes visionis, vt visio
    - Tempestatis, in qua rat.
      - Ventus procelsus Aquilonaris: Deus verò, cõspectus fuit in solio, vt infrà dicetur, vt significetur Deum illius procellæ authorem esse, & tempestatem hanc illius præsentiam significare. Venti impetus Dei iudicium repræsentat. Voluit enim Dominus Iudæis terrorem incutere, ne ita torperent in sua securitate.
      - Nubes magna & ignis splendidus in circuitu & aspectus Hasmal in medio ignis. Atque hic imaginibus Dei maiestas describitur. Hasmal colorẽ insignem significat, diuersum ab igne, vt inde colligat. Propheta ignem hunc esse cœlestem.
    - Quatuor animalium, & seq. Vide literam A.
  - Quomodo se gesserit Ezechiel ad hanc visionem. Dicit se prostratum fuisse. Quibus verbis docet se fuisse certò persuasum de manifestata gloria Dei, & solam Dei cognitionem esse, quæ nos verè humiliat.

A. Visio

A. Visio quatuor animalium. Vbi disce,

Quid quatuor animalia significent: Cherubin seu Angelos, vt infrà cap. 10. exponitur.

Cur hæc animalia quatuor fuisse dicuntur: Quia Deus per Angelos virtutem suam diffundat per quatuor mundi plagas. Ergo Propheta non tantùm in cœlo Deum regnare docet, sed res omnes terrenas moderari.

Cur singulis animantibus quatuor capita attribuuntur: Quia virtus angelica in cunctis animantibus, imò in omnibus creaturis demonstratur. Ergo perinde est ac si Angeli gestarent capita omnium animalium: hoc est, in se comprehenderent palàm omnia elementa, & omnes mundi partes: non quòd ipsi propria virtute quicquam moueant, sed quatenus sunt manus Dei.

Quid quatuor alæ significant: Defensionem & arcanum Dei instinctum in quatuor mundi plagis mirabiliter sese exerentem.

Quid per pedes rectos designatur: Rectus progressus in vocatione.

Quid planta pedis rotunda vel vitulina: Hoc ad agilitatem & varietatem cursus spectat: quasi dicat, pedes eorum non fuisse directos in vnam tantùm partem, sed ita vt quocunq; Deus impelleret illa animalia, facilè ipsis esset progredi, quia pedes rotundi erant. Quia verò vidit Propheta pedes rutilantes, non carneos, factum id est, vt vates mentem suam vehementius applicet ad hanc visionem.

Quid manus Angelorum significet: Agilitatem in ipsis, vt possent exequi quicquid mandabat Dominus. Manus enim cùm instrumenta sint actionum, ipsas actiones designant. Manus verò sub alis absconditas esse, est non moueri Angelos intrinseca sua virtute, vt vocant, sed aliundè impelli, nempe Dei ipsius virtute: deinde non ferri temerè huc & illuc, sed Deum moderari omnes eorum actiones.

Quid significat alas animalium duas simul coniunctas fuisse sursum, vt posteà planiùs exponet: Nihil aliud quàm opera Dei, etsi pugnare inter se videntur, rectè tamen congruere, si quis oculos attollere velit.

Quid est duabus alis corpora animalium regi: Est non iactare Angelos opera suæ vocationis, sed tegere, ac coram Deo humiliari. Hoc & infrà repetet post descriptionem rotarum.

Quid est animalia non reuerti cùm incederent: Est cursum Angelorum esse rectum, ita vt non aberrent, neque ad dextram, neque ad sinistram. Hoc & posteà repetet, & tandem reuerti dicuntur, cùm videlicet Domini iussa exequuti sint. At non reuertuntur donec ad metam perueniant.

Quid quatuor facies significant: Humana facies significat sapientiam, vigilantiam, & agendi facilitatem: Leonina, fortitudinem: Bouis, laborem: Aquilæ, pernicitatem.

Quid per carbones ignitos significatur: Item lampades & fulgura: Vigor seu potentia Dei in omnibus actionibus suis. Item Dei opera tremenda, ac terrifica esse significat.

Quid est (vt postea sequetur) similitudinem firmamenti coloris cristallini super capita animalium fuisse: Significat hoc Deum Angelis ipsis præcedere, & eorum actiones moderari, vt nihil ipsis debeat adscribi tanquam proprium.

Cur dicit alas animalium fuisse vocales instar sonitus ingentium aquarum, tonitruum, quam hic Dei vocem appellat, vt Psal. 29. Item castrorum seu exercituum, vbi sonitus, confusus ac terribilis auditur: Significat hac imagine vegetari cœlum & terram motu angelico, & quæcunque accidunt, parére Dei imperio. Vox enim hic Dei imperium significat, cui rotæ omnes, ac si imperium Dei intelligant, cedere coguntur, & obediunt. Obedientia enim non potest concipi nisi vox præcedat.

Quid est remittere alas cùm starent animalia, an quiescunt animalia cùm Deus semper per Angelos operetur: Hoc non significat Dei virtutem esse ociosam & quiescere Angelos à ministerio, sed Deum non eodem & æquali modo per Angelos operari.

Visio quatuor rotarum, & seq. Vide literam B.

Visio quatuor rotarum. Vbi disce,

Quid sint rotæ ? Significant rerum conuersiones seu mutationes. Conditio enim mundi est quædam versatio continua, quemadmodum si rota curreret. Neq; enim aliquis in mundo firmus status est, sed assiduæ conuersiones cernuntur.

Quid sit prope Angelos stare rotas ? Est arcana Dei inspiratione gubernari mundum. Videntur quidem temerè & cæco impetu ferri omnia, Deus tamen habet Ministros suos, qui temperent motus omnes, vt nihil in illis sit turbulentum vel incompositum.

Quales fuerint rotæ ? Colorem habuerunt lapidis preciosi qui Tharsis appellatur, vt disceret Propheta non esse vulgares rotas, sed cœlestes, & sciret patefieri sibi cœlorum arcana. Fuerunt item pares rotæ, vt vna ab aliis non differret. Hoc est quod dicit: Similitudo vnius ad quatuor. Hæc igitur æqualitas ostendit in omnibus Dei operibus esse summam moderationem & rationem, sic dispositam, vt nulla linea possit melius dirigi.

Quid sit rotam in rota esse ? Non esse continuum rerum cursum, sed vbi Deus aliquid cœpit agere, videatur retrocedere. Docet hac imagine Dominus conuersiones sic esse implicitas, vt tamen pendeat omnis agitatio ab Angelis, quos ipse pro suo arbitrio moderatur.

Quid sit ad quatuor latera sua ambulando ire rotas ? Nihil hoc aliud est quàm rectum cursum tenere.

Quantæ fuerint rotæ ? Amplæ seu altæ, & propterea formidabiles, vt Propheta ad visionem magis attenderet.

Quid sit non reuerti ? Sine intermissione pergere, donec ad scopum perueniant.

Quid est rotarum circumferentias plenas fuisse oculis ? Nihil fieri in mundo nisi certa ratione & consilio. Per oculos enim prouidentia Dei intelligitur, quæ nunquam errat.

Quid sit rotas incedere cum animalibus ? Est Deum pro incomprehensibili sua sapientia sic omnia dirigere, vt nihil accidat nisi ex arcano instinctu, quem nos oculis non perspicimus, & agitare omnia pro motu superiore: id est, prout mouentur animalia seu Angeli, qui sunt velut manus Dei. Hoc idem postea pluribus repetet.

B.

Quid sit spiritum animalium fuisse in rotis ? Est Deum transfundere virtutem suam rebus omnibus per Angelos, vt ne passer quidem cadat in terram sine eius prouidentia.

Visio imaginis & throni, hic disce, quid

Solium significet ? Regnum videlicet & maiestatem diuinam Regis nostri Filij Dei.

Similitudo hominis super solium ; Deus videlicet qui apparuit Prophetæ in persona Christi, quia neq; Pater, neq; Spiritus vnquam induti fuerunt carne humana. Hoc autem præludium fuit eius mysterij, quod tandem exhibitum fuit, quod Paulus. 1. Tim. 3. manifestè explicat, & magnum mysterium esse dicit, quòd videlicet Deus sit tandem manifestatus in carne. Huc refer visionem Esa. 6. quæ etiam ad Christum refertur Ioan. 12.

Est quod dicit Hasmal, id est, colorem insignem ac splendidum, instar ignis apparuisse supra & infra lumbos hominis ? Hac imagine significat Deum quidem se nobis patefacere, aciem tamen mentis nostræ vsq; ad Deum penetrare & totam eius gloriam excutere non posse. Habitat enim Deus lucem inaccessam. 1. Tim. 6. Id etiam significat, cùm splendorem hunc arcui cœlesti comparat.

Est quòd dicit hanc visionem fuisse similitudinem gloriæ Dei ? Significat his verbis sic conspectam ab ipso fuisse Dei gloriam vt Deus non apparuerit qualis sit, sed qualis aspici poterat ab homine mortali. Tenendum igitur est quoties Deum viderunt Prophetæ & sancti Patres, vidisse quasi similitudinem gloriæ Dei, non autem vidisse gloriam ipsam. Huc pertinent locutiones, quæ alioqui duræ videntur, Vidi Dominum facie ad faciem, Gen. 32. Aspectus enim hic referri debet ad certitudinem & familiarem notitiam, quasi dicat, sibi non fuisse oblatum aliquod spectrum, in quo hallucinari posset, quemadmodum Diabolus nos deludit.

Dispositio

Dispositio Capitis 2.

Mandatum Dei vt sese erigat. Huic tamen mandato seu voci accedit Spiritus Dei, vt sciamus sermonem externum nullius per se momēti esse, nisi animetur Spiritus veritate. Docemur hic Deum prosternere quidem suos vt carnis superbia corrigatur, sed non relinquere iacentes in terra, verùm porrigere illis manum, & restituere quasi è morte ad vitam.

Loci duo.

Missio Prophetæ, in qua explicatur quorsum oblata fuerit visio: Nempe vt authoritate instructus posset liberiùs Prophetæ fungi officio. Hîc verò

- Ostendit Dominus Prophetæ, ad quos illum mittere velit. Videlicet ad filios Israel, quos hic proprijs coloribus depingit, quales ab initio fuerint & quales nunc quoq; sint. Quo ipsum admonet, quàm difficile munus Prophetæ suscipiendum sit.
- Hortatur ad inuictam libertatem loquendi: Tu, inquit, dices, Sic loquitur Dominus: id est, nihil Profero ex me ipso, sed fideliter trado quæ Deus præcipit.
- Explicat cur mittat Ezechielem ad Israelitas: cùm rebelles sint & voci Dei nō obtemperēt. Vt videlicet sciant, quòd Propheta fuerit inter eos. Deus enim vult Ministros suos pergere in suo officio, etiamsi insœliciter omnia cedant. Cæterùm ostendit aliquem fore laboris fructum, vtcunq; populus pro sua prauitate reijciat quicquid dictū fuerit, quia hoc modo tollitur omnis prætextus erroris, vt sint inexcusabiles, Ioan. 15. & detegitur eorū impietas, qui libenter integumēta captarēt. Deinde frāgitur eorū contumacia, quæ alioqui erat indomabilis. Cæterùm hîc nō singulos spectat, sed ad ipsum corpus respicit populi. Interea minimè dubiū est, quin semper semen aliquod Deus seruauerit, quamuis occultum.
- Hortatur ad cōstantiam, & armat Prophetam suum inexpugnabili fiducia cōtra minas populi & terrores, & contra omnes sermones, calūnias, conuicia, qualiacunq; sint. Vocat hic Iudæos spinas & scorpiones: oportuit enim eos pungi. Nec Propheta poterat asserere suam doctrinam cōtra improbos qui diabolico furore impulsi cum Deo ipso certabant, quàm hac ratione.
- Hortatur ad perseuerantiam: etiamsi experiatur domum Israel perdita esse contumacia, à cœpto tamen non desistat, sed mādato Dei obediat, nec populum in sua rebellione imitetur.
- Crasso quodā symbolo confirmat Dominus Prophetam in sua vocatione. Vbi
  - Iubetur Propheta aperire os suum, & comedere librū sibi oblatum. Non dubium autem est quin volumen illud comprehenderit quæcunque posteà Spiritus Dei dictauit Prophetæ. Significat autem nihil proferendum seruo Dei in medium, quod in libro Dei comprehēdatur. Porrò deuorare librum Dei, est ad vnguem discere tenere & alijs proponere.
  - Offertur liber è manu, quæ emissa fuit: quo symbolo ostendit Deus volumen hoc à Deo esse.
  - Aperitur liber ab vtraq; parte scriptus: quo significatur non breue aliquod mandatum sibi fuisse datum, sed longitudinem multi temporis sibi fuisse impositam.
  - Proponitur argumentum libri, vbi docetur doctrinam, quæ in libro continebatur, nō fuisse dulcem, aut iucundam, sed plenam tristitia: quia illic Deus proferebat signa iræ suæ, vt inde non possit concipi, nisi materia doloris & lamentationum.

Dispositio Capitis 3.

Loci septem.

Reperit Dominus pluribus,quod antè de volumine dixerat.Comedere librum , est sermonem Dei loqui ex intimo cordis affectu. Notatur autem qualitas libri,dum dicit, sibi fuisse dulce instar mellis.Per nomen dulcedinis nihil aliud significat quàm approbationem,quòd scilicet amplexus sit iniunctum sibi munus,& sic paruerit deo,vt obliuisceretur omnis tristitiæ, quæ in libro continebatur.Nam paulò antè retulit fuisse librum plenum maledictionibus.Videmus ergo in vno homine fuisse duos affectus, valdè diuersos & in speciem contrarios. Quòd indignatione fuerit repletus,& tamen lætitiam concepit ex verbo Dei.Simile quid de Ieremia cap.15,legitur.

Exaggerat populi impietatem & obstinationem comparatione quadam ad alias gentes . Summa est : Surdos fore Israelitas,quamuis Propheta vtatur apud eos vulgari & vernaculo sermone . Ratio est,quia nolunt audire sermonem Dei.Quo significat,nihil obstare Israelitis quò minus proficiant in doctrina Prophetæ, nisi suam malitiam & impietatem.Deinde gentes fore morigeras,si possent esse tãti beneficij participes.Nisi ergo lingua Prophetæ incognita fuisset prophanis gentibus,reperisset illic discipulos attentos & obedientes.

Confirmat Dominus Ezechielem ne despondeat animum , vbi viderit certamen sibi fore cum perditis hominibus.Armat autem eum Spiritus sui virtute,quia alioqui facilè fuisset succumbere difficultati. Hæc ratio est cur Deus subijciat, se dedisse illi frontem robustam . Quo ipso admonuit aliundè sperandam esse fortitudinem, ne vires proprias expenderet.

Repetit doctrinam superiorem , ac dicit se iussum fuisse loqui omnes sermones : sed priùs dicit se iussum fuisse corde accipere,& auribus percipere.

Narrat quid raptus per Spiritum egerit . Raptus verò dicitur per Spiritum,cùm nulla in eo esset agitatio, nisi ex cœlesti reuelatione seu inspiratione, vt nihil appareret in eo humanum. Raptus ergo Spiritu

- Audit vocem sonoram , quæ differret à cunsueto hominum sermone . Quæ illa vox fuerit. explicat: Benedicta , inquit , gloria Domini de loco suo.Hanc vocem opponit sacrilegis blasphemijs Iudæorum,quas solebant in Deũ euomere,ac si crudeliter cum ipsis ageret. Maledicunt enim eius gloriæ, quoties iustitiæ eius detrahunt & ipsum insimulant nimij vigoris. Locus Dei hic pro Templo ponitur. Sicut autem hac voce voluit Iudæos humiliare,ita voluit lenire aliquo solatio omnium dolorem,vt non desinerent benè sperare de restitutione promissi Templi & vrbis.
- Audit vocem alarum animalium & vocem rotarum,quæ voci priori succinebant . Vt enim Angeli,ita omnes actiones & motus gloriam Deo,modo quodam suo canunt.
- Proficiscitur amarus præ indignatione . Etsi enim Propheta se totum consecrauerit Deo, & nihil intermiserit ad diligentiam & alacritatem,retinuit tamen aliquid humanum. Verùm ita dominabatur virtus Spiritus Sancti in ipso, vt se abnegauerit, & omnes affectus humanos.Proinde dicit : Et manus Iehouæ super me fortis.
- Venit ad captiuos Iudæos : non quòd antea migrauerit in alium locum,sed per visionẽ fuerat abstractus ab hominum cõsuetudine.Deus enim se illi patefecit in ripa fluuij Chebor. Reuersus verò dicitur,quia euanuit illa visio,& ita versatus est de integro cum alijs captiuis.Hic dicit se sedisse septem diebus,vel admiratione,vel tristitia absorptũ . Quòd autem sedit quietus & tacitus per septem dies,non dubium est quin hoc modo Deus ipsum præparauerit,vt postea loqui inciperet cũ maiori admiratione totius populi,& efficacius posset exequi munus suum,quia eius sermo maiori reuerẽtia postea debuit excipi.Et certè Propheta expectare debuit certum sermonem & mandatum à Deo.

De Prophetæ onere,& seq. Vide literam A.

Mandatum Dei ad Ezechielẽ de

- Egrediendo in planiciem . Hic docetur
  - Prophetæ obedientia.
  - Quid Propheta viderit . Nempe gloriam Dei ad similitudinem visionis prioris circa finem capitis 1.vt videlicet hac ratione magis confirmaretur Prophetæ authoritas.
  - Quomodo ad visionem gloriæ sit affectus.
  - Quòd Spiritus Domini ipsum fulcierit sua virtute.
- Ingrediendo domum , vt domi se ad tempus contineat veluti mutus & captiuus . Hoc modo voluit Dominus probare obedientiam serui sui : deinde eius vocationem magis ac magis asserere. Nã si prima statim vocatione cœpisset loqui apud rebelles,poterat obijci nimia leuitas , sed vbi prompto animo se accinxit & interea obmutuit, quantisper Deo ita visum est , maior accessit grauitas eius doctrinæ . Redditur autem & hîc ratio cur voluerit Dominus Prophetam suum ad tempus cessare & manere domi quasi mutum : nempe quòd Iudæi nondum sint maturi ad discendum . Quia si statim Propheta mandata Dei proferret,similes essent Iudæi furiosis,qui inijciant manus & funibus ipsum ligent, sed & ipse retrocederet ac obmutesceret , nisi primum in silentio ipso Spiritus virtute animetur.
- Genere sermonis quo Propheta apud Israelitas vtatur:nempe,vt insultatione,minis,& obiurgationibus eos exasperet,eò quòd sint rebelles.

De Pro-

A. De Prophetæ onere, conditione & statu. Hic agitur de

- **Officio Prophetæ. Vbi**
  - Ostendit qualis esse debeat Propheta, quia Speculator & Episcopus. Doctores enim Ecclesiæ Christi constituti sunt quasi in specula, vt excubias agant pro communi omnium salute.
  - Præscribit regulam generalem omnibus Pastoribus & Doctoribus. Nempe vt sermonem audiant, & discant ex ore Dei. Qua particula Deus excludere voluit quicquid ex seipsis fabricant & cóminiscuntur homines. Deinde, cùm audiunt & discunt sermonem Dei, loquantur tandem, sed ex Deo, vt intelligat populus Deum solum esse doctrinæ authorem.
- **Difficultate muneris prophetici. Propheta enim ita præfectus est populo vt rationé redditurus sit, nisi diligenter incubuerit in suas vigilias. Vbi**
  - Ostendit reos esse Pastores qui non in viam reducunt eos, qui alienati sunt à Deo, & facti sunt impij.
  - Tollit cauillum multorum, quia interserit Deus perituros nihilominus, qui non fuerint admonitati, ne scilicet homines sibi blandiantur, reijciendo culpam omnem in suos Pastores, quòd perierint errore. Etsi enim quispiam non fuerit admonitus per Doctores, morietur tamen: & quamuis Pastor rationem redditurus est suæ negligentiæ, qui sibi ipsi pepercerit, non habebit tamen quicquam excusationis coram Deo.
  - Docet qua ratione animam suam liberet Propheta: nempe si suo officio probè satisfecerit. Etsi enim nihil prosit doctrina apud multos, hic fructus tamen ad Doctorem redibit, vt animam suam liberet. Vide de hoc Luc. 10. de salutatione.
  - Significat non tantùm reos fore Prophetas si non hortati sint ad resipiscendum, qui sese abduxerant à recta via: sed etiam si non continuerint in officio eos, qui iam ingressi erant rectum cursum, quos hic iustos appellat. Iusticiam verò hic vocat, quæ externam tantùm speciem habet, non autem radicem. Nam vbi semel vigere cœpit Spiritus ille regenerationis, manet perpetuò. Offendiculum autem vocat pœnam, cùm scilicet Deus vindictam suam demonstrat contra Apostatas.
  - Repetit quod antè dixit: Pastorem animam suam liberaturum, si officio suo in confirmandis iustis probè satisfaciat.

Dispositio Capitis 4.

Loci duo.

- **Externo symbolo obsignat Dominus quid per os Prophetæ proferri volebat. Mandat auté vt**
  - Accipiat Propheta laterem coctilem & pingat illic vrbem.
  - Admoueat machinas imaginarias, quibus vrbem oppugnet.
  - Opponat patinam ferream instar muri.
  - Obsideat picturam hanc vrbis. Hoc verò dicit signum esse domus Israel. Significat enim venturos esse Chalæos, qui non tantùm premant vrbem, sed tandem etiam oppugnent. Sustinet autem hîc Propheta personam Regis Nabuchodonosoris dum oppugnat vrbem latericiam.
- **Proponit Prophetæ visionem, qua ostédit Dominus non posse aliter fieri, quàm vt totus populus mercedem scelerũ suorũ recipiat. In hac visione**
  - Iubet Dominus Prophetæ vt super latus suum sinistrum cubet. Quod non fuit reipsa impletum, sed per visionem, vt scilicet deinde referret ad populum quod Deus manifestauerat. Per sinistrum verò latus domum Israel, seu decem Tribus intelligit, quia pari gloria non pollebat regnum Israel cum regno Iuda. Sicut autem antea in expugnatione vrbis Hierusalem Vates personam Regis Nabuchodonosoris sustinebat, ita hic alias personas sustinet: nempe decem Tribuum & regni Iuda. Iubetur autem cubare ad sinistrum latus diebus trecentis nonaginta. His diebus repræsentabantur anni, quibus domus Israel bellum gessit cum Deo, quia nunquam destitit peccare. Sed Deus constituit illi dies pro annis. Numerantur hi anni à defectione, quæ contigit sub Ieroboam vsq; ad expugnationem Ierosolymæ.
  - Præcipit Prophetæ vt ferat iniquitatem domus Israel per dies nonaginta & trecentos, quod significat voluisse Deum vt Propheta annunciet decem Tribubus, eas in exilium tractas esse, vt Deus pœnas sumeret de illis propter scelera trecentorum nonaginta annorum.
  - Præcipit vt cubet super dextrum latus diebus 40. Per dextrum latus regnum Iuda intelligit. Regnum enim Iuda semper pluris fecit Deus quàm regnum Israelis. Illic enim fulgebat lucerna Dei 40. annos intelligit eos qui captiuitatem decem Tribuum secuti sunt. Sustinuit enim Dominus vrbem Ierosolymam ad aliquod tempus, & tolerauit similem impietatem in illa Tribu, Atqui non resipuerunt Iudæi cùm debuerint terreri pœna regni Israel. Ideò præcipit Dominus vt Propheta ferat iniquitatem Iuda 40. diebus, id est, voluit Dominus ostendere populum Iuda nimis diu abusum fuisse tolerantia Dei, cùm ad annum vsq; quadringentesimum & tricesimum (tot enim efficient anni 300 90 & 40) non destitissent peccare. Quare pœnas de illis sumpturum esse propter tot annorum scelera.
  - Iubet vt intentus sit ad vrbis expugnationem, vbi & brachium nudare iubet, vt milites in expugnandis vrbibus facere solent, vt ad pignam expeditiores sint.
  - Addit picturæ, & seq. Vide literam A

Addit picturæ Prophetiam: alioqui sine verbo figura hæc veluti puerilis contemni potuit.

Significat Dominus decretum suum de expugnanda vrbe esse firmum & inuiolabile, quia Propheta erit quasi funibus ligatus ne se commouere possit. Hic enim gerit personam Iuda.

Docet qualis futura sit conditio vrbis Ierusalem tépore obsidionis. Miscellaneus enim panis inopiæ signum est. Vbi autem miscentur lentes, fabæ, milium, &c. arctior detegitur inopia. Iubet ergo Dominus Prophetam tenuius victitare, ne cibus deficiat & parum potare, ne aquæ deficiant. Quo significat fore magnam aquæ penuriam.

A. Significat domui Israel paratam esse suam mercedem, quia Deus iustus sit Iudex vtriusque populi. Iubetur ergo Propheta placentam, qui cibus delicatus est, coquere ex hordeis. Deinde coquere in stercore humano, quia loco carbonum iubetur accipere stercus humanum, eò quòd filij Israel coacti sint comedere panem suum pollutum. Docet ita reiectos esse Israelitas, vt nihil amplius differant à Gentibus pollutis, quia permixti sint inquinamentis omnium Gentium. Panis autem immundus complectitur sub se quamlibet immundiciem.

Propheta in persona populi orat, vt Deus remittat aliquid ex illo tā seuero mandato. Fuit enim abominabile comedere carnem coctam in stercore humano, non tantùm ob fœtorem, sed quia & religio vetabat. Per synecdochen autem designat hic omnes cibos immundos, quibus non erat fas vesci secundum Legis præscriptum. Hic ergo obtinet Propheta aliquam mitigationem. Cogitur tamen panem coctum in stercore bubulo comedere. Quod factum est per visionem. Sed interea Deus non mutauit quod statuerat de populo: nempe, vt comederet panem suum pollutum inter gentes. Placenta enim cocta in fimo bubulo fuit immunda etiam secundùm Legem. Itaq; ostendit Dominus fixum esse suum decretum, quia scilicet permixti sint Israelitæ inter gentes, ita vt contraherent pollutionem ex illis.

Redit Dominus ad ciues Ierusalem, & pronunciat ita fame confectum iri, vt redigantur vsq; ad vltimas angustias, imò vt inedia ipsos consumat, idq; duplici ratione: primùm quia conterat baculum panis, quod fit dum reddit homines famelicos, etiam si habeant satis bonam panis copiam. Baculus enim metaphoricè pro fultura ponitur. Dicitur enim panis habere baculum, quia innitimur alimento. Additur altera ratio, nempe quòd destituantur pane & aqua vt sint veluti attoniti.

Dispositio Capitis 5.

Loci quinque.

- Confirmat Dominus alia visione quod anteà de expugnatione Ierosolymæ docuit. In hac visione.
  - Iubet Prophetam abradere pilos capitis & barbam. Per pilos autem designantur incolæ Ierosolymæ, idq; propter multitudinem. Hac ergo pilorum abrasione significat non posse, vel vnum hominem eximi à clade.
  - Præcipit Dominus Prophetæ distribuere pilos in tres partes & appendere in trutina: vnam partem iubet proijci in ignem, aliam percuti gladio, tertiam spargi in ventum. Pars enim fame, peste & alijs malis, quæ per ignem significantur consumpta fuit antequam vrbs expugnaretur, pars gladio cecidit, postquam vrbs fuit expugnata, de quo 4 Reg. 25. Tertia pars dispergitur. Quidam enim latuerunt in terra Moab, alij in terra Ammon, plures in Aegypto, alij diffugerunt in obuias quasq; latebras. Fuit hæc dispersio ac si pilos abrasos quis proijceret in ventum. Sed Deus pronunciat hanc fugam ac dispersionem nihil illis profuturam, quia exeret gladium contra ipsos vt ad vltimum vsq; persequatur.
  - Iubet Prophetam sumere inde exiguum pilorum numerum & ligare, seu recondere in ora vestis suæ: quibus verbis significat paucos fore saluos in medio interitu totius populi. Ex illa tamen paucitate aliquam partem comburi: quibus verbis significat etiam vbi restabit duntaxat exigua portio, illam tamen similiter consumptum iri, vel saltem fore multos reiecticios in illa paucitate.
- Causam assignat cur Deus tam seuerè & duriter agere statuerit cū vrbe, quā elegerat velut regiam sedem. Vbi
  - Commemorat beneficia sua erga Ierosolymam exprobrandi causa. Hic verò
    - Dicit Ierosolymam positam fuisse quasi in sublimi theatro, vt vndique conspicua esset inter gentes eius dignitas.
    - Ostendit in circuitu eius fuisse gentes & terras non quaslibet, sed quæ excellebant tam fœcunditate quàm opulentia.
  - Exaggerat scelera eorum multis vrbis per collationem ad alias gentes. Nam gentes non possunt auelli à suis figmentis, sed populus Iuda temerario impulsu & absq; occasione aliqua perfidè à Deo defecit.
- Minatur illis, & seq. Vide literam A.

Minatur illis Dominus cladem maximam propter sua facinora: hic verò pœnam eorum exaggerat per collationem. Significat enim vindictam fore horribilem, quæ non habeat simile exemplum, quòd videlicet patres filios, & filij patres deuorent. De hac pœna horribili vide Ieremiam Thren. 4. & Mosen Deut. 28. Quòd autem semel exequutus est Dominus hác vindictam per Chaldæos, non fuit obstaculo quò minus iterum sæuierit eius vindicta simili modò, cùm scilicet punire voluit extremam defectionem illius populi.

A. Explicat quòd antè figuratè dixit de abrasione pilorum, vbi rectè conueniunt figura & applicatio: quòd scilicet totum populum absumet Deus, vel fame, vel peste, vel gladio, &c.

Repetit quòd de vindicta dixerat: Requies iræ Dei est perpetua continuatio vindictæ. Dicitur autem Deus consolationem accipere more hominum, in approbationem iusti Iudicij. Nam hæc consolatio significat Deum ferre non posse Legis suæ contemptũ, & quodammodo vindictam illi placere, vbi videt homines ipsos esse perditos & sic insanire, vt ad pœnitentiam aliter non possint reuocari. Minatur autem illis mala innumera, vt probrum, vastitatem, famem, bestiam malam, pestem, sanguinem, gladium, &c. Per sagittas mortiferas famis, intelligit terræ siccitatem: item bruchos, locustas, & alia Dei flagella, quæ famem inducunt.

Dispositio Capitis 6.

Loci quatuor

Conuertit sermonem ad regnum Israel, & dicit se diuinitùs missum fuisse ad montes Israel. Quamuis enim regnum Israel collapsum esset, probabile tamen est multos fuisse residuos. Plus autem vehemẽtiæ habuit vaticinium, cùm Propheta montes ipsos ex Dei mandato alloquitur, quàm si sermo fuisset ad ipsos homines directus; Nã obliquè ita significat Deus Israelitas esse surdos: deinde indignos, quibus docendis operam consumat Ezechiel. Deniq; in montibus & vallibus vigebant peruersi & impuri cultus, quos hic per altaria & excelsa significat. Hac ratione ergo voluit Dominus ostendere, se ita abominari omnes cultus ficticios vt non possit ferre locorum etiam conspectum: etsi enim loca per se impura non sunt, Mundus enim quatenus à Deo creatus est, retinet semper suam naturam; sed quantum ad homines spectat, loca ipsa polluta sunt, & contagio reddit quodãmodo Deo exosa. In detestationem ergo idolatriæ hoc positum est. Montibus autem & vallibus, cladem denunciat hominũ causa. Neque enim potuit quicquam gladius nocere montibus. Nam lapis vnus franget centum & mille gladios & tamen interea manet integer. Inde docemur quantoperè excandescat Deus contra omnes superstitiones, vbi non tantùm homines ipsos ad tribunal suũ citat, eò quòd prophanauerint verã pietatem, sed irascitur ipsis etiam externis instrumentis & lapidibus & lignis, & quodammodo inuoluit ipsa instrumenta idolatriæ cum authoribus. Denunciat ergo altaria redactum iri in vastitatem, & cadaueribus hominum occisorum prophanari. Altare enim polluitur contactu cadaueris, ac detestabile fuit in omnibus sacrificijs, vt victimis coniungerentur ossa vel cadauera hominum. De idolis & eorum clade ac Israelitarum, pluribus verbis hîc disserit, per expolitionem, vt magis eos expergefaceret, ac ad pœnitentiam reuocaret.

Addit promissionem, qua temperat acerbitatem tam tristis vaticinij. Etsi autem spem aliquam gratiæ suæ faciat Israelitis, simul tamen admonet ipsos non posse alio modo salutem consequi, nisi per exiliũ & castigationem. Ita enim aliquis profectus sperari potuit ex castigationibus, vt & Propheta hoc loco significat: Hoc modo pudefiunt & abominabiles sibijpsis erunt, non expectabunt dum ab alijs dãnentur, ipsi se damnabunt. Hoc enim est pudefieri in faciebus suis. Frangi autem dicitur Deus more humano, dum velut vincitur hominum malitia, postquam expertus est se nihil proficere patienter ferendo & tolerando hominum scelera.

Fructum pœnitentiæ commemorat, quòd tandem incipiunt Israelitæ tribuere prophetijs iustum honorem. Castigati enim dum pœnitentiam agunt, sentient Deum non frustra locutum fuisse per suos Prophetas. De ira ac vindicta Dei, intelligent sermones Prophetarum verè verbum Dei fuisse, non hominum.

Confirmat quod parte priore dixit de clade decem Tribuum, & adiungit signum. Sic enim agere solet cum præfractis ingenijs. Iubet ergo Prophetam plausu manuum ac crurum & pedum extensione ostendere maledictam esse terram. Sic enim solent homines, qui vel aliquid graue denunciant, vel flagrant indignatione, extendunt in diuersas partes crura. Huc spectat & complosio manuum. Non dubium autem est, quin ad efficaciam valere debuerit tam gestus iste quàm exclamatio. Pluribus verbis hunc locum tractat. Ad extremum autem dicit desertum Diblatha non esse tam vastum, solitariũ & squalidum, quàm futura sit terra Israel.

Dispositio Capitis. 7.

Sit finis, quem venisse aliquoties repetit? Respicit hac particula ad mediocres pœnas, quas iam sumpserat Dominus de regno Israel, quibus tamen non emendabantur, imò obliuiscebātur scelerū suorum & pergebant in illis adeò securè, vt facilè pateret ipsos Deum contēnere, nisi Dominus horribili sua potentia eos premeret: finem ergo venisse dicit, eò quòd posthac non vtatur ea moderatione pœnæ, qua antea, sed premat illos horribili interitu & clade.

Sint alæ quatuor terræ? Cunctæ scilicet habitationes Israelitarum, vt nulla pars terræ ipsorum sit expers cladis.

Sit ponere vias suas super eos? Est cōijcere in illos sua scelera, vt quæ antea latuerant, in apertum prodeant.

Sit abominationes esse in medio eorum? Est reipsa apparere, non impunè illis fuisse peccare contra Dominum.

Sit euigilare finem super aliquem? Est Deum festinare ad vindictam.

Sit venisse manè, quod alij regnum seu coronam vertunt? Est palàm fieri vindictam Dei Israelitis qui putabant se tutos esse in suis tenebris & superstitionibus, Erant enim filij tenebrarum, demersi in sua caligine, qui perpetuam sibi noctem pollicebantur.

Sit compleri indignationem Domini super populum? Est tolerasse hactenus impium illum populum, sed cùm abusus sit Dei tolerantia, nunc in solidum eos euertere.

Sit florere baculum? Per baculum Regem Babylonium intelligit. Comparat enim illum baculo, qui iam in altum creuerit, vt eo percuterentur dorsa Israelitarum.

Sit germinasse superbiam? Est non aliundè fuisse exortum baculum quàm ex Israelitarum sceleribus. Per superbiam in genere peccandi licentiam intelligit, quæ ex contemptu Dei nascitur. Idem est violentiam surgere in baculum impietatis.

Sit non fore luctum in ipsis? Est promiscuam fore eorum stragem, vt cesset omnis luctus, quod quidem fieri solet, dum pestis grassatur vbique & communis clades.

Sit ementem non lætari & vendentem non tristari? Est tantam fore confusionem in regno Israel, vt nulla sit materia tristitiæ ob pauperiem, vel lætitiæ ob diuitias.

Sit visionem super multitudinē non reuerti? Est Prophetiam contra populum impium non fore irritam.

Sit virum in iniquitate sua non roboraturum vitam suam? Est profectu cariturum contumaciam, vt iniquitatibus suis quispiam se tueri non possit.

Sit clangere tuba, omnia parare, nō esse tamen qui ad bellum egrediatur? Nihil quidem omittere, quod ad defensionem attinet, vbi tamen ad rem peruentum fuerit, omnem eorum spem vanam fore, & omnia subsidia nullius planè momenti futura.

Sit manus remittere & genua diffluere vt aquam? Est trepidare & ferè euanescere, ac si genua diffluerent.

Sit accingi saccis & caluitium facere in capite? Est mœrere more Gentium, tanquam homines perditos.

Sit argentum & aurum proijcere? Est tātam fore desperationem populi, vt obliuiscatur auri & argenti, & quarumlibet rerum pretiosarum, quibus acquirendis antea omnem locauerat operam.

Sit decus ornamenti ponere in superbiam? Est conuertere aurum & argentum & alia Dei dona ad superbiam.

Sit facere cathenam? Est citari populum ad reddendum scelerum suorum rationem & trahere ad iudicium Dei. Alludit autem ad reos, qui causam dicunt ex vinculo.

Sit iudicium sanguinum? Est materia mortis, cùm scilicet capitalis est causa, & reus ita conuictus est, vt non possit vltimam pœnam effugere.

Sit induere Principes desolationem? Est probrum illis fore instar vestimenti: vel Principes procedere laceris vestibus.

Sit iudicare Deum secundùm iudicia hominum? Est Deum iustum esse Iudicem, quòd vlciscatur eorum scelera, quæ hic iudicia impiorum appellat. Intelligit autem nomine iudicij, peruersos abusus, superstitiones & iniquitates quaslibet.

REPETIT eandem sententiam ijsdem ferè, aut parum mutatis verbis. Cum autem totum hoc caput iudicium Dei proponat, & vnius sit argumenti, phrases tantùm Scripturæ hic notandæ erunt. Quid

Dispositio Capitis 8.

Loci tres.

- Prophetica visio. Vbi Propheta visus est sibi abripi à Dei spiritu, vt cerneret pollutiones, quibus Templum Iudæi profanauerant. Hic cōsiderentur
  - Visionis circumstantiæ. Videlicet
    - Quo tempore sit visio sibi oblata. Nempe anno sexto, mense sexto ab exilio Regis. Interfuit ergo annus vnus & duo menses inter primam visionem & istam.
    - Vbi. Dicit se domi fuisse cùm oblata fuit illa visio.
    - Quibus testibus, Nempe Senioribus Iuda, non captiuis, sed his qui habitabant Hierosolymis. Horum propterea meminit, vt testes essent huius Prophetiæ, atque ita erepta illis esset omnis excusatio & erroris prætextus. Non autem fuerunt apud ipsum Seniores Iuda, sed visus est sibi abripi à Dei Spiritu, & Seniores visi sunt sedere coram eo.
    - Quibus auxilijs adiutus. Nempe maiestate Dei, quam opponit omnibus humanis facultatibus.
  - Partes, seu species visionis hic Prophetæ oblatæ. Est enim alia
    - Domestica, seu imaginis. Hic disce,
      - Quæ fuerit hæc imago. Non dubium est, quin figura hominis fuerit. Apparuit erga Dominus seruo suo sub aliqua imagine. Quòd si alia fuisset figura, Propheta non tacuisset, de hoc & cap. 1.
      - Quibus partibus hæc imago composita fuerit. Nempe duabus: nam à lumbis infrà quasi ignis, suprà autem erat splendor. In igne fuit ostensa Dei vindicta contra impios: in splendore Dei maiestas.
      - Quid cum eo egerit: Misit inquit, similitudinem manus. Vnde colligimus non fuisse corpus solidum vel substantiale, quod viderat, sed fuisse duntaxat oblatam figuram, quæ symbolum esset præsentiæ Dei. His ostendit, se transuectum fuisse Ierosolymam, vt illic conspiceret fœdas superstitiones, quibus Templum inquinauerant Iudæi.
    - Templaria, quæ illi in templo ostensa fuit. Hæc duplex fuit: Visio
      - Gloriæ Dei, de qua & capite. 2. Hæc erat quasi symbolum & confirmatio prophetiæ.
      - Abominationum multiplicium.
        - Videt Idolum in vestibulo, vel introitu atrij prope Altare. Scimus enim plures portas fuisse atrij, quò commodior esset populi ingressus. Quodnam hoc fuerit idolum nescitur, nisi quod Propheta dicit fuisse abominabile. Probabile est fuisse idolum hoc alijs nobilius, & habitum in summo precio & veneratione, sicut increduli habent deos maiores & minores. Propterea vocatur Idolum zelotypiæ, quòd Deum ad æmulationem accenderat.
        - Videt idola vulgaria, quorum magna erat copia, sed non tantus honor. Videt autem hæc in loco altero & secretiori, vbi depictæ erant imagines animalium in pariete. Populus enim Iudæorum appetiuit omnes deos, quorum nomina sciebat apud gentes prophanas celebrari. Nam bouem, canem, asinum, felem, &c. pro deo colebant. Vnde apparet, quam turpiter excæcati fuerunt Iudæi, qui Deo permiscuerunt bruta animalia cum reptilibus. Dicit autem septuaginta ex Senioribus vnà cum Iazania fecisse suffitum illis idolis. Quo significat populi Duces, qui alios consilio regere debuerunt, fuisse quasi antesignanos ad vitiandum Dei cultum. Suffitus autem ascendebat tanquam densitas nubis. Quo significat prodigos fuisse illos in sua dementia, vt nihil sumptibus parcerent. Videt verò hæc illos in tenebris facere. Vnde colligimus, locum illum remotum fuisse à vulgi conspectu. Nam erant prope atrium multæ cellæ, & multa cubicula, de quibus 3. Reg. 6. Cùm ergo haberent proceres illic sua sacella, non mirùm est si locus ostensus sit Prophetæ, quem ita inquinauerant suis picturis. Habebant enim arcana sua sacra, quemadmodam etiam apud prophanas gentes fuerunt mysteria, quæ non patebant nisi certis hominibus, qui fuerant initiati. Cùm ergo non promiscuè turba illis mysterijs digna censeretur, ideò probabile est etiam apud Iudæos fuisse locum illum, de quo hic Propheta loquitur: Instar sacelli, quod sibi retinuerint proceres, & qui pollebant authoritate in populo. Additur hic causa, cur illam Deorum congeriem sibi accersiuerint: nempe quòd putabant se non respici amplius à Deo.
        - Idolum videt mulierum Iudaicarum, quæ, vt Aegyptiæ mulieres Osiridem deflebant quotannis, ita & Iudaicæ mulieres Thammur. Aegyptus enim cùm Iudeæ vicina esset, mulros ritus Iudæi ab Aegyptijs mutuabantur. Scimus autem fuisse Osiridem apud Aegyptios defletum quotannis: imò accessit maior spurcitia. Nam partes pudendas gestabant, quasi ferculum in pompa, & vocabant phallum. Mulieres autem ostendebant etiam sua pudenda idolo, quasi se offerrent ad stuprum. De simili fœditate vide lib. 3 Reg. cap. 15.
        - Videt Idolum, & seq. Vide literam A.
- Querimonia Dei partim sparsa de sceleribus & impietate Iudæorum.
- Comminatio Dei contra Iudæos Idolatras.

A.

Videt idolum & adorationem Solis contra expressum mandatū Dei, Deut. 17. quod mutuati erant à Persis & Orientalibus. Vbi ostenditur

- Locus vbi Sol colebatur. Nempe inter Atrium & Altare, quod fuit signum nimię improbitatis, irrumpere in locum Sanctum, & Deum illic despicere.
- Qui adorauerint Solem. Primarij scilicet ciues Ierosolymæ, qui alijs etiam viam monstrare debuerant. Numerus autem certus pro incerto ponitur.
- Quomodo adorauerunt Solem. Obuertendo videlicet tergo Sanctuario. Scimus enim fuisse signum legitimæ adorationis, cum fideles oculos ad Sanctuarium & Arcam fœderis conijcerent. Vbi ergo terga vertebant, minimè dubium est quin ex professo voluerint gloriari in Dei & Legis contemptu.

Dispositio Capitis 9.

Loci quatuor.

- Iubet Dominus Ministros suos, quos præfecerat Vrbi perdendæ, appropinquare, vel se accingere, & præstò adesse ad opus implendum.
- Narrat Propheta non fuisse illud mandatū Dei irritum, quia statim apparuit effectus per visionem. Vbi ostendit
  - Quot venerint ad hunc Dei clamorem, vel clangorem. Oblati enim sunt sex viri, per quos totus exercitus Chaldęorum designatur.
  - Vnde venerint. A via scilicet portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem. Quibus verbis Babylonios significat. Nam Babylon ad plagam illam vergebat respectu Ierosolymæ. Babylonijs ergo rectum erat iter per illam portam, cùm à Septentrione ascenderent contra Ierusalem.
  - Quomodo instructi fuerint. Armis videlicet bellicis: quibus verbis significat imperium Dei non caruisse prompto effectu.
  - Vbi steterint. E regione scilicet Altaris æneι, vt significaretur Iudæos excindi propter contaminata sacra.
- Exprimitur in visione vindictæ modus, cuius antea facta fuit mētio. Vbi
  - Docet inter illos viros fuisse virum vnum veste linea, quæ vestis sacerdotum erat, indutum. Hic vir haud dubiè Angelum Dei significat. Tribuitur autem Angelis semper aliqua nota, quæ ipsos ab hominibus discernat.
  - Ostendit Propheta quorsum adiunctus fuerit Angelus Chaldæis. Nempe qui frenum illis injiceret, ne promiscuè & absque delectu sæuirent contra electos & reprobos. Inde discimus incredulos etiam militare sub Dei auspicijs, & regi eius nutu, & nihil agere nisi pro ipsius arbitrio, & Deum nunquam temerè exercere suam vindictam, quin parcet suis electis. Angeli enim hostibus fidelium coniuncti sunt, qui occulto freno coerceant eorum intemperiem, quibus alioqui nulla esset moderatio.
  - Dicit gloriam Dei Israel ascendisse à Cherub ad limen ædis. Gloriam Dei pro ipso Deo accipit: id est, visionem, quæ symbolum erat præsentię Dei. Cùm autem Deus inter Cherubim residere dicatur, narratur hîc inde ad limen Templi venisse. Quibus verbis ostendit Propheta, Deum non esse inclusum in Templo visibili, vt illic manere cogatur, quemadmodum Iudæi Deum Templo affigebant.
  - Iubet Dominus Angelo, vt signet frontes piorum. Inde discimus, vbi Deus licentiam promisit incredulis, ita vt videantur posse totum mundum euertere, Angelos simul emitti, qui prohiberent illorum libidinem, ne attingant filios Dei: propterea dicit eos signatos esse, id est, discretos à reprobis ne vna cum illis pereant. Ornat autem pios, quos hic à reprobis discerni iubet, varijs elogijs. Vocat eos gementes, & clamantes super abominationibus.
  - Iubet Dominus Chaldæos ad Vrbem venire post Angelum, vt percutiant omnes, sine discrimine, parcant tantùm signatis. Etsi enim signati etiam non erunt immunes ab omni molestia, vel incommodo, nihil tamen accidet illis, quod tandem non in illorum salutem cedat. Per nomen Sanctuarij, Sacerdotes & Leuitas impios intelligit, quorum etiam grauior erat culpa. Per domum, Templum intelligit, quod vult Dominus pollui cadaueribus hominum, eò quòd multiplici prophanatione sacrorum per Sacerdotes antea pollutum erat.
- Ostendit Propheta quomodo fuerit affectus ad hanc visionem, quòd ceciderit in faciem tanquam deprecator. Scimus enim fideles cùm simpliciter petunt veniam à Deo, in faciem suam procidere.
- Respondet Dominus Prophetæ, vt nimium feruorem eius compescat, & simul suam iusticiam asserat contra omnes falsas opiniones, quæ solent nobis obrepere, vbi iudicia Dei non respondent nostro arbitrio. Recenset autem breuibus cladis causam.
- Refertur Angeli obsequium, quod respondeat Dei voluntati, de seruandis signatis, & perdendis impijs.

Dispositio

Dispositio Capitis 10.

PROPONITVR in hoc capite visio prophetica similis priori, de qua cap. 1. Sed visionis huius alius finis est, quam prioris. In hac ostenditur

Formidabilis Dei maiestas, qui metum stupidis etiã Iudęis incutiat. Vbi

Dicit se vidisse super capita Cherubim solium, cuius color erat similis Saphiro. Pro animalibus, de quibus cap. 1. ponit Cherubim, quia nunc obijcitur visio in Templo, & Deus incipit familiarius patefacere seruo suo quod antè erat nimis obscurum. Significat autem hic Deum habere Angelos suos præstò ad obsequium. Ideò statuuntur sub eius pedibus, vt sciamus eos non esse sui iuris, sed Deo ita subesse, & semper ab eius nutu pendeant, & quocunque iusserit, ferantur.

Mandat Dominus viro, id est, Angelo, vt impleat volas suas carbonibus, & proijciat in Vrbem. Quo significat, se habere ignem occultum inter rotas, quæ erant prope Cherubim. De rotis suprà capit. 1. Cùm ergo Deus iubet Angelum suum accipere ignem è medio rotæ, quæ erat sub Cherub, tantundem valet, ac si diceret se habere rationes varias perdendæ Vrbis. Nam rotæ ferebantur in diuersas partes, vt volitarent per totum orbem. Vndè discimus incendium fuisse in manu Dei, & simul fuisse in Templo. Rotæ enim nunc non apparent Prophetæ iuxta fluuium Chebor, sed in Templo.

Narrat Propheta vbi fuerint Cherubim, cum ingressus est vir ille. Id quod tantùm ad certitudinem prophetiæ spectat. Et oportuit consensum esse inter Angelum, qui sumebat ignem, quem spargeret per totam vrbem, & inter Cherubim, qui referebant omnes Angelos. Quòd dicit Atrium interius fuisse repletum nube, significat auersam Dei faciem, quasi Templum plenum esset caligine.

Ostendit Propheta gloriam Iehouæ eleuatam è suo loco. de hoc cap. 9.

Dicit vocem alarum animalium auditam. Quo demonstratur insignis & insolita mutatio in Vrbe. ¶ Reliqua quæ de rotis & animalibus, seu Cherubim hoc capite per visionem dicuntur, pete ex cap. 1.

Finis visionis. Ostendit enim Dominus hac visione se ita residere in Templo, vt sit instructus vindicta contra Iudæos. & Cherubim, quos illi gratiæ Dei Ministros sibi esse putabant, esse illis quasi armorum Ministros, quibus tandem sint perdendi. Voluit certè Dominus testatum facere Iudæis, nihil amplius sibi fore cum illis commune, quia in animo habeat relinquere Templum: deinde totam Vrbem incendio consumere.

Dispositio Capitis 11.

LOCI sex.

Admonet populum, Duces peruersos, causam ipsis fore exitij. Vbi enim proceres scelesti sunt, trahunt secum totum populi corpus in eandem ruinam. Vbi.

Damnat prauitatem Seniorũ, qua iactabant, nondum propinquum esse tempus mali: ideoq; posse se velut per otiũ & rebus pacatis extruere domos Ierosolymæ, cum tamẽ instaret tempus vltimi interitus, & quicquid erat in Vrbe residuum, destinatum erat vltimo exitio. Hac ratione populum obdurauerant ad obstinatã malitiã, induxerant torporem illis, &c.

Damnat detestabilem contemptum Dei, & prophetiæ in Senioribus. Vbi alludit ad prophetiam Ieremiæ, cap. 1. Illi enim ostensa fuit olla. Ignis autem fuerat à Septentrione. Qua imagine docere voluit spiritus S. Venturos esse Chaldæos instar ignis, qui consumerent Ierosolymam, quemadmodum si olla admouetur ad ignem magnũ & continuum, etiamsi plena sit aqua & carnibus, consumitur tamẽ quicquid intus est, sed & succus carnis longa concoctione exuritur. Hoc Ieremiæ dictum deridebãt Iudæi, & facetè eludebãt, quod tamen non leuem metum ipsis incutere debuerat, nisi fuissent nimis socordes. Quasi dicerent Iudæi, Si Deus vult nos coquere vt carnes in Ierusalẽ, velut in olla, manebimus ergo intus, & ita licebit nobis ædificare domos, &c. Sic prophani homines captant argutias, quibus eleuant omnem fidem doctrinæ cœlestis. De olla vide & Ezechiel. 24.

Retorquet impiam scurrilitatem populi in alium sensum. Corruperunt enim quod dictum erat à Ieremia Propheta. Sciebant quid sibi vellet de olla & igni, sed putabant se auertere posse vindictam Dei, si ita luderent cum Deo. Refellit ergo impium illud dicterium, quo putabant se tenere Ieremiam illaqueatum, quòd scilicet non satis consentirent eius prophetiæ. Docet item alio modo impleri prophetiam Ieremiæ, quam ipsi imaginabantur: quòd scilicet Deus coquat Iudæos igne Chaldaico, quomodocunq; & vbicunq; hoc fiat. Quoniam autẽ peruertebant doctrinam Ieremiæ, Propheta hic non respicit quid præcisè voluerit Ieremias, sed ostẽdit eos nihil proficere dũ ita cum Deo tergiuersantur: quasi dicat, vos non estis caro, sed interfecti vestri fuerunt caro, repleuistis ollam carnibus: id est, vrbem interfectis, quos vos interfecistis. Ergo olla fuit plena carnibus, illæ carnes fuerunt coctæ. Iam vobis non est locus in olla. Necesse est igitur vos tanquam spumas eijci, vel tanquam carnes fœtidas, quibus non reperitur olla, in qua elixentur. Non coquet vos in olla, sed vbi profligauerit vos in longinquã terrã, illic vos consumet. Sub nomine cędis, vel interfectionis cõprehendit omnes iniustíciæ species, cùm miseris hominibus non pepercerunt, sed eos crudeliter afflixerunt. His vrbẽ plenam esse docet, & hanc causam esse cur illi velut spumæ eijci debeant, & quòd non sit his locus in vrbe.

Pœnam illis denunciat, & seq. Vide literam A.

Pœnam illis denunciat propter eorum scelera.

Videt mortem Phalaciæ: quod quidem erat velut præludium quoddam, quo Deus ostenderet maturam esse cladem vrbis. Phalatias enim vnus erat ex præcipuis gubernatoribus. Visa autem morte huius, conqueritur Propheta, & exclamat esse rem minimè consentaneam, vt Deus ita reliquias Israel consumeret. Oportuit enim aliquid residuum manere etiam in communi totius populi clade, ne fœdus Dei prorsus aboleretur.

A. Respondet Dominus querimoniæ Prophetæ. Vbi

Reuocat seruum suum ad exules & captiuos è quibus vnus erat ipse: quasi diceret, illos non ita exectos fuisse ad ecclesia quin adhuc essent aliquo numero. Summa est: Quamuis non tantùm Phalatias, sed omnes Regis consiliarij, ac omnes populi Duces intereãt, posse tamen Deum sub infirmitate operari, vt Ecclesia salua nihilominus maneat: atque ita admonet reliquias nõ esse quærendas in ordine illo gubernatorũ, qui tunc apparebat, sed potiùs in hominibus gregarijs, & contemptis captiuis. Docet ergo manere aliquas reliquias, etiam in Chaldæa.

Inuehitur in arrogantiam populi Iudaici, qui securus & quietus domi manebat. Refert autem verba ciuium Ierosolymæ: quòd scilicet præferrent se exulibus: imò iactarent illos esse abalienatos à populo sancto, quia extracti essent in exilium, vel spontè illuc migrauerant.

Pollicetur Dominus protectionem miseris captiuis, qui exilium & dispersionem patienter tulerant. Sanctuarium paruum opponit Sanctuario Dei magnifico, ad quod intenti erant semper Israelitæ, vbi fulgebat Dei maiestas. Etsi enim in Chaldæa non fuit erectum Altare captiuis, & destituti erant Israelitæ externo symbolo, admonet tamen illorum fuisse rem ipsam ablatam prorsus: quia scilicet Deus haberet alas extensas, vt ipsos foueret, & tueretur. Loquitur autem hic de electis.

Promittit restitutionem Israelis, seu reditum in patriam: quod quidem sanciat fœdus Dei.

Ostendit Israelitas restitutos fore synceros Dei cultores, qui non tantùm sacrificia offerant in Templo, sed purgent etiam terram omnibus inquinamentis.

Ostendit tale pietatis studium fore in Israelitis: postquam scilicet eos regenuerit Spiritu suo. Propterea dicit, Dabo illis cor vnum. Per nomen cordis, affectus intelligit: per spiritum, mentem ipsam, & omnes cogitationes. Quòd autem hic de corde lapideo & carneo dicit, exponit postea disertis verbis: Vt, inquit, in statutis meis ambulent.

Promittit Israelitis captiuis fauorem suum, & veniam gratuitam, qua Deus sibi reconciliet peccatores: Erunt, inquit, mihi in populum.

Comminationem subijcit, ne putent omnes promiscuè ad se spectare promissiones. Hæ enim ad electos propriè pertinent.

Pronunciat iam Deum ipsum loco suo migrasse, & Templum vacuum esse eius gloria.

Describitur Prophetæ reditus in Chaldæam in visione, & enarratio sermonum per Prophetam, quos Dominus illi ostenderat in visione, vt captiuis enarraret.

Dispositio Capitis 12.

Loci octo.

Instruit Dominus Prophetam fortitudine animi, ne, vbi videret frustra se consumere operam retrocederet à cursu suo. Exprimit autem quanta sit populi contumacia, & pronunciat Israelitas esse surdos & cæcos: sed ostendit voluntariam fuisse illorum cæcitatem.

Præcipit quid fieri à Propheta velit. Vbi iubet

Se parare ad longam perfectionem, imò ad exilium: de eo enim hic agitur. Repræsentat autem hic Propheta eorum personam, qui paulò pòst trahendi erant in exilium. Instrumenta transmigrationis vocat, quicquid fieri potest ab aliquo in exilium profecturo, vt sunt indusia, calcei, baculus, sumptus, &c.

Dominus Prophetã de vno loco trãsire in locũ diuersum, vt exilium populi significet. Hoc fieri interdiu, vt populus conspiciat quid agatur.

Perfodi parietem, per quem egrediatur. Qua imagine significat, non fore illis liberum egredi cùm optabant, nisi fortè furtim effugiant manus hostis per latebras, quemadmodum pariete fosso fugiunt fures.

Faciem occultare, nec terram respicere. Quo significatur trepidatio & anxietas. Qui enim accelerant, non audent oculos deflectere ad vnam vel alteram partem, sed feruntur ad locum, ad quem aspirant, & præueniunt oculis, quia pedibus non possunt tam citò festinare vt cuperent.

Refert, Ostendit, & seq. Vide literam A.

A. Refert

Refert Propheta se esse executum, quod Deus iusserat: etiamsi sciret hanc actionem multis probis & subsannationibus expositam fore.

Docet Dominus ad quos spectet hæc prophetia: nempe ad Principem, vel Regem, & Domum Israelis, quæ tum habitabat Ierosolymæ. Probabile enim est, quosdam, ne inciderent in manus hostium, Ierosolymam profugisse, quia tutum erat illis Ierosolymæ receptaculum. Huc spectat locus 4. Reg. 25. Significat autem Dominus fugam & omnia præsidia Regis & populi nihil omninò illis profutura.

Ostendit Dominus aliquos fore residuos, vt traducat illorum scelera inter gentes.

A Iubet Prophetam repræsentare famem, quæ manebat Iudæos tam in obsidione, quàm in exilio. Hic igitur Propheta imago est populi obsessi.

Inuehitur Dominus in crassum ludibrium, quod tunc regnabat passim inter Iudæos. Nam cum diu minati fuissent illis Prophetæ, tantùm absuit vt ipsa assiduitas illos tandem ad pœnitentiam adduxerit, vt magis obduruerint, ac si callum contraxissent. Quoniam ergo in eam obstinationem proruperant, vt iactarent se elapsos, & ita impunitatis fiducia magis ac magis proteruirent contra Deum, iubetur Propheta hanc eorũ audaciam compescere, & significare accendi magis ac magis iram Dei tali contemptu, vt quicquid locutus sit Deus, breui compleatur.

Inuehitur in eos, qui etsi non palàm, nec disertè iactabant Deum esse mendacem, reijciebant tamen procul effectum sermonis prophetici.

Dispositio Capitis 13.

Loci tres.

- Conuertit sermonem ad impostores, qui prætextu muneris prophetici populum fallebant. Promittebant celerem reditum populo, videlicet post triennium, atque ita fauorem vulgi sibi cõciliabant. Loquitur autem de Prophetis exulibus, ac eos describit.
  - Dicit eos ex corde suo prophetare: id est, ex seipsis, & non ex Spiritu Dei.
  - Vocat eos stultos, quòd ferociter insultarent veris Dei seruis, & inflati essent miro fastu.
  - Dicit eos ambulare post suum, & non post Dei Spiritum, cùm nulla sit illis visio data diuinitùs, etiamsi iactent reuelationes suas ficticias.
  - Vocat eos Vulpes in locis desertis.
  - Dicit eos non ascendisse ad rupturas. Rupturam vocat populi perfidiam & iniquitatem. Ascendere verò est reuocare populum à sua impietate. Etsi verò postea dicat eos ædificare, ac murum erigere, at hoc illis tribuit in speciem, vt ædificent ex arena sine calce, & propterea sint mali architecti.
  - Ostendit non sepiuisse eos sepem. Quod nihil est aliud, quàm minis Dei deterrere populum à suis sceleribus.
  - Ostendit eos non stetisse in prælio tempore vindictæ. Quod significat mira quidem pollicitos fuisse populo, at vbi seriò congressus est Deus, euanuisse omnes eorum prophetias.
  - Pronunciat illos fuisse vanos, & falsò obijcere populo Dei nomen, cùm Deus ad illos non sit locutus.
- Pœnam denũciat Pseudoprophetis. Vbi
  - Pronunciat in genere Dominus se illis esse aduersarium, & manum, id est potentiã Dei contra illos esse.
  - Dicit eos fore prorsus extraneos ab Ecclesia: quoniam Dominus ipsos abiecerit. Meminit autem catalogi, quia Iudices & alij ad quoduis munus selecti in catalogum scribebantur.
  - Ostendit pudefieri omnes Pseudoprophetas, & detegi ipsorum inscitiam, temeritatem & audaciam, quòd ausi fuerint quasi in eius persona afferre pacem reprobis & impœnitentibus.
  - Significat fore violentam concussionem, quæ desijciat omnia artificia Pseudoprophetarum, & fraudes discutiat. Cùm scilicet Dominus adducet Chaldæos, & vrbem illis tradet. Per lapidem ergo, & imbrem, & ventum idem intelligit: hoc idem statim repetet.
  - Confirmat quod dixerat: nempe Pseudoprophetas fore ludibrio apud omnes, vbi in nihilum reciderint eorum vaticinia & diuinationes: imò euentus ipse ostenderit ipsos esse mendaces. Nam capta vrbe, apparuit ipsos Satanæ ministros fuisse ad fallendum, cùm obtenderent Dei nomen.
  - Concludit hunc sermonem, & ostendit quid hactenus intellexerit per ædificium malè solidum: quia arena erat sine calce. Promittebant pacem, cùm nulla illis fuerit pax, & promittebant impœnitentibus & impijs.
- Taxat mulieres, & seq. Vide literam A.

A Taxat mulieres Pseudoprophetissas. Vbi

Docet quibus ceremonijs vsæ sint, vt faciliùs populum fallerent. Pseudoprophetæ enim immodici in externis signis ac ceremonijs. Mulieres ergo hæ consuebant puluinos super omnes cubitos: vnde apparet subiectos fuisse puluinos axillis eorum, à quibus consulebantur. Nec dubium est, quin voluerint repræsentare speciem aliquam somni, vt stulti, qui petebant oracula, putarent se esse extaticos, & raptos esse extra omnes cogitationes terrenas. Deinde habebant vela, vel pepla, quæ inijcerent capitibus. Et talis impostura viguit etiam apud Augures Romanos: nam caput velabant, cùm volebant exordiri suos exorcismos. Velabant autem fœminæ caput eorum, qui Deum consulere volebant, vt essent quasi separati à mundo, ne humanitùs quicquam respicerent, sed haberent spirituales duntaxat oculos, & putarent se raptos esse supra mundum, & depositis omnibus terrenis cogitationibus, se dormire arbitrarentur, vt exciperent oracula, & toti intenti essent ad spirituales illas speculationes. Per cubitos autem omnes & omnem staturam, quamcunque personam intelligit. Omnibus enim responsa sua prostituebant, à quibus lucrum expectabant.

Describit imposturas, Quòd laqueos tetenderint, vt deciperent miseras animas: deinde quòd prophanauerint sacrum Dei nomen propter lucrum.

Minatur mulierculis, fore tandem, & quidem breui, vt Deus illas non modò contemptibiles, sed etiam ridiculas toti populo reddat, vt satis appareat meris imposturis ipsas lusisse. Per volare, altas speculationes significat, quas mulieres illæ iactabant. Hoc postea alijs verbis repetet.

Dispositio Capitis 14.

Loci septem.

Narrat historiam, quod quidá ex Senioribus tāquam cósultandi causa ad ipsum accesserint. Vbi

Instruit Dominus seruū suum consilio, ne facilitate nimia labatur, vbi videt Senes istos venire tanquam discipulos, eò quòd hi addicti sint superstitionibus, vt idola summū gradū obtineant in illorū cordibus. Deinde offendiculum ponant iniquitatis coram facie sua. Quo significat crassum Dei contemptum, & quasi professam rebellionem.

Coarguit Dominus Seniorum impudentiam, quòd non dubitent sistere se coram seruo Dei, & simulare aliquam pietatis curam, quæ tamen nulla erat. An, inquit, quærendo quærar ab ipsis.

Pronunciat Deus se responsurum hypocritis illis & reprobis, sed lōgè alio modo, quàm vellent. Nam responsum hoc Dei nihil aliud continet, quàm formidabile Dei iudicium, quod imminet omnibus reprobis.

Finem ostendit, cur Deus nolit absq; responso dimittere hypocritas: qui tamen cū ipso impiè ludebant: videlicet vt deprehendat illos in corde ipsorum: vt scilicet impietas ipsorum omnibus manifesta fiat. Tunc enim Deus illis extorquet quod antè latebat in ipsorum cordibus, & quod libenter semper occultassent.

Hortatur per occasionem populum ad pœnitentiam, & abijcienda idola.

Minatur hypocritis impijs ac reprobis, & pœnæ grauitatem exaggerat.

Minatur Pseudoprophetis, quos se decepisse dicit. Non enim prodeunt aut errant Pseudoprophetæ, nisi culpa populi. Grassantur ergo mendacia Satanæ non temerè, nec arbitrio hominū, sed quia Deus iustam mercedem ingrato populo & perfido repēdit, sicut dicit Paulus efficaciam erroris diuinitùs immitti, vbi homines amplecti malunt mendacium, q̄ veritatem, nec se Deo subijciunt. Vide 2. Thess. 2. & 3. Reg 22. Sicut ergo cùm Deus lucē doctrinæ suę accendit, signum hoc est inestimabilis eius misericordiæ: sic cùm Ecclesiam suam turbari patitur, atq; etiam quodammodo discerpi, hoc imputandū est sceleribus hominū, ac iusto Dei iudicio. Nam neq; Satan posset verbum vnum proferre, nisi quatenus illi permissum est, neq; id modò, sed quatenus iubetur, dum exercet Deus vindictam suam cōtra reprobos. Atq; hac ratione vult Deus discernere synceros suos cultores ab hypocritis. Consilium autem Spiritus Sancti est, non debere tergiuersari Israelitas, si dubij pendeant inter varias opiniones, asserentes hoc non debere ipsis imputari in crimen. Quare ostendit Propheta populum vnà cum impostoribus iustè eadem pœna inuolui, quia volens & sciens errabat.

Addit rationē, cur populum suum & Prophetas eius falsos puniat: Ne errent, inquit, ampliùs. Restringit autem hoc dictum ad residuū populi cui Deus volebat parcere. Scimus enim semper relictum fuisse aliquod semen, vt maneret firmum & sanctum fœdus, quod pepigerat cum Abrahamo.

Minatur rursus populo Israelitico vltimū interitū. Dirigit autem sermonem ad corpus populi, non ad electos, & tollit falsam opinionem, quòd aliena iusticia seruet impios & impœnitentes. Enumerat autem quatuor pœnarū species, quibus Dominus solet vlcisci hominū scelera, famē, gladiū, bestiam malam, & pestem. Vtitur autem hic argumento à minori ad maius: quasi dicat, si vel zelum vnum protulero ad sumendam de hominibus vindictam, nemo obsistet quin exequar quod decreui: quantò magis si coaceruauero omnes pœnas, neq; tantùm immisero pestem, vel gladium, vel famem, sed quasi exercitus quatuor habuero paratos & instructos, quomodo tum vel vnus euaderet?

Alloquitur Israelitas captiuos, & significat causam vindictæ Dei, quam in Iudæos exerceat, perspicuā fore in illorum sceleribus: quasi dicat, vos Israelitæ etsi me nimis rigidum putetis, quod per seruos meos Prophetas prædicam vrbem Ierusalem deuastandam fore: at cùm ad vos in exilium abducti fuerint Iudæi conspectus scelerum illorum cogit vos fateri, vrbem illam dignam fuisse, quæ periret, & ipsos etiam dignos interitu. Nam verbum consolandi, quod addit Propheta, huc refertur: quod scilicet cognitio scelerum pacabit eorum animos, qui antè fremebant, & obmurmurabant Deo, quòd Deus non contentus ipsorum exitio, terràm etiam Iuda, vbi Templum erat, delere vellet.

Dispositio Capitis 15.

Loci duo.

- Similitudine ostendit Propheta Iudæos non excellere à seipsis, sed precariò duntaxat. Quoniã dignatus fuerit Deus eos præclaris beneficijs. Quod cùm ita sit, facilè refellitur eorũ arrogãtia, dum opponunt Deo suã præstantiam, quasi esset ipsorum propria, & nõ gratuitum Dei donum. Comparat autẽ eos viti. Si enim lignum ipsum vitis respicitur sine fructu illius, nulla est eius elegantia, est lignum deforme, non assurgit in altum, tenue est, gibbosum, & tortuosum. Sic & Iudæi ex seipsis nihilo sunt alijs nationibus meliores. Quòd si excellentiore sint, id nõ alia ratione fit, quã quod ab ipso Deo plantati sint, vt Esa. 5. dicitur. Vineã plantauit, &c. Lignum vitis euulsum ad nihil vtile est, nec aliud superest, nisi vt comburatur. Quòd si verò duæ partes extremæ vitis exustæ fuerint, & media exaruerit, multò minus vtilitatis erit in particula vstulata. Nam quoniam ignis penetrauit in ipsas medullas, quasi in puluerem solo tactu redigitur tale lignum, quod est quasi semiputridum. Sic & Iudæi inutiles reddunenr, in ignẽ proiecti. Nã integri etiã cùm essent, non erant vtiles. Tota autem regio in circuitu Ierosolymæ tum vastata erat, & regnum Israel excisum. Restabat Ierosolyma tanquam media portio vitis, quæ nullius planè vsus erat, & tamen contumaces erant, iactantes suam iusticiam, cultum Dei, & eximias dotes. Arbores syluæ vocat gentes, & significat Iudæos, si se conferre velint cum prophanis gentibus, non esse illis præstantiores aliqua dignitate, vel elegantia, quæ ex illis ex natura, vel ex seipsis proueniat. Etsi enim Iudæi excelluerunt eximijs dotibus, sed non naturã, neq; ex seipsis, sed gratuito Dei beneficio Scimus verò alias gentes floruisse tam artibus, quàm opulẽtia, multitudine hominũ, bellica virtute, & alijs omnibus Quare hic Propheta gẽtes arboribus frõdosis cõparat. Iam vbi confertur arbor cum ligno vitis laudabitur ob pulchritudinem: vitis autẽ spernetur tanquam lignum inutile & abiectum. Et in arborum præstantia facilè agnoscitur aliquid, quod vites omnes obruat.
- Colligit ex similitudine vitis eos exurendos, ac deuastandos esse, eò quòd dona Dei abiecerint, & sint palmites inutiles.

Dispositio Capitis 16.

Loci septem.

- Iubet Dominus Prophetæ, vt ciuibus Ierosolymæ indicet suas abominationes.
- Ostẽdit qualis fuerit illius gentis conditio, antequam cõplexus sit illã suo fauore, et dignatus sit ipsã ex maximis miserijs extrahere. Confert autẽ populũ puellę proiectæ in agro, & describit illum à
  - Natalibus: Dicit enim eos genitos fuisse ex Chananæis & Amorræis. Cùm enim nihil differrent à prophanis gentibus, vocantur progenies Chanaan, indigni qui vocẽtur Abrahæ semen. Respicit autem ad tempus, quo exigua horum manus mirabilibus incrementis emersit in gentem, quamuis miserè tum oppressi fuerint in Aegypto.
  - Neglectu officij obstetricij & educationis. Quòd
    - Vmbilicus eius non sit præcisus, vt facilè sanguis difflueret.
    - Non sit lotus, vt fœtor in matris vtero contractus abstergeretur.
    - Non fuerit salitus, vt caro duresceret.
    - Nemo illius misertus fuerit. Quo significat eos exitio addictos fuisse.
    - Non fuerit fascijs inuolutus. His omnibus significat, omnibus humanitatis officijs populum destitutum fuisse.
  - Iusta magnitudine, seu adolescẽtia. Iã enim menses patiebatur, vbera creuerãt & pili.
  - Nuditate turpi: Eras, inquit, nuda.
- Enumerat Dominus sua beneficia, quibus populum hunc ornauerit. Quòd
  - Viderit infantem fœdatum. Quo significat Deus sibi curam fuisse illius populi, etiamsi multis peccatis & miserijs esset fœdatus.
  - Dixerit infanti, Viue in sanguinibus. Quibus verbis significat esse in suo arbitrio mirabiliter suos seruare, etiam inter varias mortes.
  - Fecerit vt cresceret in iustam ætatem: Qua figura multiplicatio seminis significatur. Nam adolescentia & salus populi inclusa erat in illa voce, Viue in sanguinibus.
  - Populum illum, vt puellam iam coniugio aptam vestiuerit, & quidem splendido ornatu. Loquitur autem hic de tempore liberationis ex Aegypto. Hic iterum Deus puellam respexisse dicitur, eò quòd palàm apparuit eius liberatio. Per tempus annorum significat maturum liberationis tempus, quo voluit Dominus populum ex Aegypto liberare. Expansio alæ, id est, oræ vestis, comprehendit sub se omnes virtutes, quas exeruit Dominus in liberando populo suo. Tunc enim vindicauit populum suum à probris, quibus ab Aegyptijs deformatus fuerat.
  - Iureiurando populum suum in fœdus assumpserit, quod ad Legis promulgationẽ refertur, vbi Deus Lege data, populum sibi deuinxit, & præscripsit certã rationẽ, qua cõlẽdus esset. Etsi enim Deus pridẽ fœdus suũ pepigerat cũ Abrahã, & in fodere illo fũdata esset adoptio populi, tamẽ quia ex parte populi gratia illa ferè euanuerat, hic Deus pronúciat se quasi de integro adoptasse populũ illũ, vbi data lege populũ sibi deuinxit.
  - Mundauerit, & simul ornauerit eum eximijs donis, & sordes, quas ex matris vtero attulerat non imputauerit. Recẽset autem ornatus & cibi species, quibus significat Deum ita fuisse beneficum erga Israelitas, vt omnibus numeris beneficentiæ eos locupletauerit, siue spiritualia siue corporalia spectes.
  - Illũ celebrẽ reddiderit inter omnes gẽtes, & prouexerit ad summũ fœlicitatis gradum.
- Expostulat, Minatur, & seq. Vide literam A.

- A.
  - Expostulat cum populo suo quod
    - Confisus sit pulchritudine sua. Qua figura significat illum captasse materiam superbiendi ex donis, quæ tamen potius ipsum instituere debuerant ad pietatem & gratitudinem.
    - Scortatus sit: nempe cum suis idolis, & omnia Dei dona ad fœda idola converterit.
    - Mactauerit proprios liberos idolis.
    - Oblitus sit omnium Dei beneficiorum, & miseræ conditionis suæ prioris.
    - Innumera excelsa & Altaria extruxerit, in locis præsertim celeberrimis, quæ idolatriæ insignia erant.
    - Confugerit nunc ad Aegyptios, nunc ad Assyrios, nunc ad Chaldæos, & implicuit se illicitis & vetitis fœderibus, non contentus Dei præsidio. Vocat & hæc fœdera vetita scortationem. Deus enim simpliciter prohibuerat, ne quid electo populo negotij esset cum Aegyptijs & alijs nationibus, & voluit vt suo tantùm præsidio contentus esset. Per carnem Aegyptiorum partem pudendam intelligit. Manet enim in cœpta similitudine à scorto sumpta.
    - Ne castigatus quidem bonorum spoliatione & gladio Philistinorum resipuerit.
    - Fuerit distractus huc & illuc, & nihil in ipso fuerit firmum.
    - Scortatus sit, non vt meretrices lucri causa, sed cum suo dispendio: quia vt ad se pelliceret amatores suos, nullis sumptibus pepercerit. Alias meretrices quæstus impellit ad turpitudinem. Ipse verò se prostituat sine mercede, quia explendæ tantùm libidini studebant.
    - Longè deterior fuerit tam matre, quàm soribus suis. Vbi confert etiam peccata Sodomæ & Samariæ cum Iudæorum sceleribus. Viderant enim Iudæi quàm seuerè vltus esset Deus superstitiones regni Israel, tantùm autem absuit vt resipiscerent, vt potius se tunc adiunxerint illis socios, quasi vellent de integro iram Dei accendere.
    - Populus Iuda insultauerit fratribus suis, vbi vidit regnum Israel pessundatum & abactos fuisse à terra sua Israelitas.
    - Non intentus fuerit ad insigne illud iudicium, quod ediderat contra Sodomitas.
  - Minatur illis
    - Probrosum interitum Regni, vrbis, & excidium Templi: idque per Metaphoram. Amatores vocat Aegyptios, Assyrios, Chaldæos, ad quos velut socios calamitatis tempore confugiebant.
    - Direptionem & rapacitatem eorum, quibus priùs fidebant.
    - Tantam stragem, vt tota regio nudetur hominibus, perinde ac si lapidibus & gladijs hostes passim obuios quosque trucident.
    - Aedium incendia.
    - Pœnam coniunctam cum magno dedecore. Per mulieres, vicinos populos intelligit.
    - Idolorum subuersionem & populi consumptionem. Hoc enim significat quies indignationis Dei, id est, satietas: Quiescit, inquit, in te æstus meus.
    - Infamiam prouerbialem, quæ volitet in omnium linguis: nempe filiam esse similem matri & sororibus suis, imò peiorem. Matrem esse Hitheam, sorores Samariam & Sodomam.
    - Vltimam cladem, quòd ita addicti sint exitio, vt non magis fieri possit vt eripiantur, quàm vt Sodoma iterum resurgat, & Samaria restituatur in pristinum statum & dignitatem.
  - Dirigit sermonem ad electos, non autem ad corpus totius populi, ac promittit se memorem fore fœderis sui. Intelligit autem hoc de nouo fœdere, quod Deus pepigit per manum Christi. Hanc sententiam & postea repetet.
  - Admonet quid ab electis requirat: nempe vt incipiant cognoscere, quàm turpiter abnegauerint fidem datam, & vt alios etiam suo exemplo ad se alliciant. Id & postea repetet. Per sorores hic non Sodomam tantùm, & Samariam, sed cunctas gentes intelligit, quibus anteà similes erant. Loquitur ergo de vocatione gentium.

Dispositio

Dispositio Capitis 17.

Loci duo.

- Ostendit Propheta Iudæos valdè desipere, dũ putant se incolumes, cum tamẽ habeant Deum sibi aduersariũ, qui eos breui in captiuitatẽ Babylonicã abducturus sit, propter peccata. Hic
  - Describit Regem Babylonium, à quo in exiliũ abducendi erãt.
    - Vocat illum Aquilam magnam propter eius excellentiam.
    - Dicit alas eius esse amplas, plenas plumis. Quo significat regiones & populos, quibus præerat Rex Babylonis.
    - Dicit alas fuisse picturatas, seu discolores, eò quòd varijs in locis regnabat.
  - Ostendit quid egerit, quidq; acturus sit. Quòd
    - Venerit ad Libanum, id est, ad terram Iuda. Pars pro toto.
    - Decerpserit ramum ex cacumine cedri. Quòd Iechoniam abstulerit secum in Babylonem, quem hic ramo altissimo cedri comparat.
    - Cacumen ramorum decerpserit. Per hos ramos intelligit proceres, qui vnà cũ Rege abstracti sunt in exilium. Terram & ciuitatẽ Mercatorum vocat Babylonem, propter multitudinem hominum in ea existentium.
    - De semine terræ tulerit, &c. Semen terræ vocat Zedechiam.
    - Semen illud plantauerit iuxta aquas. Tolerabilis enim erat Zedechiæ conditio, quia nomen regium vnà cum dignitate & opibus relictum ei fuerat. Hic verò describit Zedechiam, quòd creuerit quidem, ita tamen, vt humilis esset. Quod significat Zedechiam ita fuisse Regem, vt tamen iniectũ fuerit ei frenum, ne auderet ampliùs contra Regem Babylonis tumultuari, sed ad illum respiceret.
  - Perstringit ingratitudinẽ Zedechiæ, & hoc primùm figuratè, deinde propriè. Hoc est quod dicit, vitem emisisse propagines: quia Zedechias mediocritate sua nõ contẽtus, desciuit à Rege Babylonis, fretus nouo fœdere, quod pepigit cum Rege Aegypti, quem hic aliam Aquilam magnam appellat. Taxat ergo Dominus ingratitudinem Zedechiæ, quòd cum iureiurando pepigerit fœdus cum Rege Babylonis, qui illum Regem constituerat, perfidè ab eo defecerit.
  - Minatur Zedechiæ Regi interitum, propter ruptum fœdus, & alia illius flagitia: idq; primùm figuratis, deinde proprijs verbis, & subinde causas interitus repetit.
  - Explicat allegoriam multis verbis.
  - Minatur populo quoque, ac præcipuè militibus Regis Zedechiæ interitum & cladẽ.
- Disserit de restitutione gẽtis & regni, quæ sub Cyro & Dario: pleniùs verò sub Christo facta est. Vbi
  - Dicit se sumpturum de summitate Cedri proceræ tenerum ramum. Quo significat nullam fore fortitudinem in surculo, quem decerpet, & quem plantabit. Ostenditur ergo hic contemptibile exordium regni Christi.
  - Pronunciat surculum, quem plantabit, fore in cedrum excelsam & elegantem. Quibus verbis significat incrementa regni Christi sic fore mirifica, vt superent communem rationem naturæ. Quod tamen adumbratum fuit in persona Zorobabelis, Aggæi. 1. qui ex tristi & ignominiosa captiuitate electus fuit ad populum reducendum. Montem excelsum Siona appellat, non quòd altitudine excelsus fuerit, sed dignitate & eminentia supra omnes montes excellat, quia in eo eminuit Dei gloria, quæ conspecta fuit vsq; ad vltimos terræ fines.
  - Ostendit sub vmbra cedri huius tutam fore cunctis auibus quietem. Quo significatur regnum Christi fore in salutem & commune bonum totius populi.
  - Dicit omnes arbores sẽsuras in manu & arbitrio Dei esse, erigere quod erat abiectũ & deijcere ac prosternere quod elatum erat. Per arbores hic metaphoricè Reges intelligit, sicut per cedrum, quæ excreuit ex ramusculo, Christi regnũ significauit.

Dispositio Capitis 18.

Describit impietatem populi ex suis ipsorum verbis, quibus veluti cum Deo rixantes & obstrepentes eius iudicijs, volebant se eximere à reatu, quasi Deus iniustè persequeretur Patrum scelera aduersus ipsos. Cùm enim audirent instare iam Dei vindictam, eò quòd non cessarent eum prophanare, & id à multis annis, & Prophetæ colligerent Patrum quoque scelera: impij homines sua dicteria spargebant: Ergo nos luemus pœnam Patribus debitam: illi Deum prouocârunt. Nobis autem infligitur pœna, quam illi erant promeriti. Hinc apparet, quàm peruersi fuerint interpretes doctrinæ propheticæ, & quàm impiè calumniati fuerint sermonem Prophetarum, quo illi accusabantur, sicut & Patres eorum.

Loci quinque.

Coarguit improbitatem populi. Vbi

Refutat eorum dicterium

A manifestatione iniquitatis populi. Hoc enim est quod dicit, hoc illorum dicterium cessaturum. Deus enim eripuit illis omnem colorem tergiuersandi, vbi detexit eorum iniquitatem, vt palàm fieret omnibus iustam ipsos mercedem recipere suorum scelerum. Ostendit igitur non esse cur culpam aliò transferant, quia Deus iustè in eos exerceat suam vindictam.

Ab indigno. Nihil enim indignius quàm Deum trahi in crimen, quasi tyrannicè dominaretur in homines, cùm ipsos potius tueri velit, tanquam opus suum. Fieri enim non potest, quin Deus opus suum amplexetur, si ei obedire velit.

A iusto. Quia nemo innoxius moritur: Anima, inquit, quæ peccauerit, ipsa morietur. Quibus verbis significat eos, qui pereunt, non esse extra noxam, nec posse suam innocentiam Deo obijcere, vel conqueri de eius crudelitate, quia aliena scelera persequatur. Loquitur verò de adultis, qui vellent Deum substituere suo loco reum, vt ipsi essent innoxij.

A similitudine, vel dissimilitudine vitæ patris, filij & nepotis. Hîc docet Legem fideliter facientibus prosperè cedere omnia. Non facientibus malè cedere. Vbi primùm in genere loquitur: Si quis fuerit iustus, viuet. Sed postea designat quid sit esse iustum, & eligit quasdam species Legis, sub quibus & alias intelligit. Et producit exempla patris, filij & nepotis. Iudicium vocat, cùm defendimus quantum in nobis est, miseros fratres, qui miserè premuntur. Comedere in montibus, per synecdochen, offerre significat. Sacrificijs enim annexæ erant epulæ, tanquam appendices. Sic & Exodi 32. Sedit populus ad comedendum, &c. Cæterùm cùm Deus non exigat pœnam à filijs iustis de sceleribus patrûm, sequitur non modò futiliter, sed & impiè euomere Iudæos dicterium illud, quòd obstupescant eorum dentes, quia Patres illorum comederint vuas acerbas. Pluribus autem docet iustos absolui sua probitate, etiamsi ex patribus improbis progeniti sint, & quemque, vbi ad Tribunal Dei ventum fuerit, iudicatum iri pro suis operibus.

Hortatur ad pœnitentiam omnes Legis suæ transgressores. Vbi

Exigit conuersionem non dimidiam, sed integram: vt videlicet quisque sibi, ac cupiditatibus suis renunciet: deinde vt se Deo addicat: Si, inquit, auersus fuerit impius, &c.

Promittit Dominus obliuionem scelerum resipiscentis, ac vitam.

Ostendit nihil se magis cupere, quàm vt peccatores redeant in viam salutis.

Terret eos, qui ad tempus professi fuerant se puros Dei cultores, si deficiãt in medio cursu. Soli enim beati sunt, qui perseuerant, & nihil proderit temporalis iusticia Apostatis, qui posteà se à Deo auertunt.

Perstringit insolentiam, furorem, & blasphemiam quorundam, qui dicebant viam, id est, opus Domini, nõ esse iustũ, cùm absoluit eos qui resipiscunt, damnat autẽ eos qui deserũt cursum piæ ac sanctæ vitæ.

Hortatur iterum ad pœnitentiam, vt omissis querimonijs & dicterijs, agnoscant nullum esse remedium suis malis, nisi vt se reconcilient Deo. Addit autem rationem adhortationis, in qua reijcit falsum illud probrum, quo grauabant eum filij Israel, cùm dicerent se perire immodico eius rigore, nec reperire causam, cur ita seuerus in eos esset. Pronunciat ergo causam mortis esse penes ipsos: deinde ostendit remedium, vt vitam in melius mutent.

Dispositio Capitis 19.

- **Loci tres**
  - Sub Leonis similitudine admonet quicquid malorum contigit Israelitis, non posse alijs, sed sibijpsis imputari. Hic perstringit
    - Florem populi Principes & populum ipsum, quem describit
      - A parentibus: Matrem enim Leænam vocat. Considerat enim ipsam stirpem populi Israelitici. Hoc nomine significat Principes ac populum ipsum plenum fuisse truculentia. Cùm verò dicit matrem accubuisse inter Leones, alludit ad coitum, ac rectè significat fuisse illos permixtos gentium corruptelis, vt nihil planè ab illis differrent.
      - Ab educatione. Quòd Leæna educauerit catulos suos inter Leones. Quo significatur florem populi ac populũ ipsum esse degenerem, etsi duceret originem ab Abrahã, quòd ad carnem attinet.
    - Regem Ioachas Iosiæ filium.
      - A truculentia leonina, vel studio. Eius enim studium erat prædari & vorare homines. Amplificat autem eius sæuitiam, quòd & vicinæ gentes, audita eius fama, conspirauerint ad eum profligandum, de quo libro 4. Regum capite 23.
      - Ab interitu, seu clade. Nam abductus in Aegyptum, illic moritur.
    - Regem Ioiachim, & hunc describit à truculentia, & cæteris sceleribus. Item à clade. Captiuus enim abductus est in Babylonem.
  - Demonstrat qualis fuerit prima eorũ conditio. Vbi
    - Dicit populum initiò fuisse instar vitis frondosæ & fructiferæ, quæ in regione amœna & optabili plantata erat.
    - Ostendit conspicuam fuisse staturam eius. Quibus verbis significat fuisse omni genere bonorum ornatos Iudæos: quia illic fulgebant eximia Dei dona, cùm scilicet conspicua esset eorum dignitas: deinde opulentia & vbertas illis magna esset.
    - Docet fuisse illi virgas ad sceptra dominantium. Quibus verbis significat Propheta, sumptos fuisse Reges ex eo populo, sicut palmes decerpitur ex vite.
  - Admonet quorsum tandem reciderit populus. Vbi
    - Dicit eos redactos fuisse vsque ad extremas miserias, idque quasi subito impetu. Ostendit autem hoc similitudine euulsæ vitis.
    - Ostendit vbi nunc plantati sint: Quia in deserto. Desertum & terram aridam vocat Chaldæam, alioqui nobilissimam, & fertilem terram, non considerans terræ illius naturam, sed conditionem populi Israelis. Illic enim seruiliter oppressus fuit populus Israel, & contumeliosè tractatus.
    - Docet cladem vltimam non aliundè profectam fuisse, quàm à populo, & ipsos fuisse consumptos igne intestino, qui consumpsit fructum vitis. Virgulam vnam vitis, vnde ignis egressus est, qui consumpsit fructum vitis, Zedechiam appellat, qui sua perfidia accendit contra se Regem Babylonium, ac quod adhuc restabat, perdidit.
    - Ostendit non esse iam in vite virgam ad dominandum: id est, regnum illorum iam non esse firmum.

Dispositio Capitis. 20.

- Docet quosdam ex Senioribus Israel delectos fuisse ad ipsum interrogandum,
- Iubetur Propheta increpare Seniores illos, quanquam simularent pietatem cùm ipsum interragerent.
- Significat abigendos potius esse, quàm docendos. Iudicare hîc comprehendit omnes minas & obiurgationes, quibus hypocritæ, vt doceantur, digni sunt.
- Ostēdit Dominus vlcus profundum esse, & ideò non posse curari, nisi probè examinetur occultum virus, quod alioqui putredinem gigneret, ex qua tandem nasceretur inflāmatio. Cùm ergo sit occultum virus, nec possit facilè curari, iubet Deus exordium fieri ab ipsorum Patribus: Abominationes, inquit, Patrûm eorū ostende illis.
- Iubet Dominus refricari Senioribus beneficia Patribus exhibita, & vicissim Patrûm ingratitudinem.
- Ostendit filios fuisse prorsus similes Patribus suis: id quod in deserto manifestum fuit.
- Pronunciat se Deus vindictam sumpsisse de populo tam duro & obstinato: quòd scilicet permiserit subire aliud iugum: quia non sustinuerit regi Legis doctrina. Dedit ergo illis leges non bonas, quando passus est miseros illos trahi sub magnā congeriem errorum. De his statutis hic loqui Dominum ex consequentibus apparet.

Loci duo.

- **Narrat quid, & quando, non in visione, sed reipsa contigerit. Vbi**
  - Transit ad populi scelera, quibus prouocatus fuit Deus, postquam terra Chanaan potiti sunt: vtpote qui tam sedulò admoniti, Deum tamen contempserint.
  - Aggreditur rectà eos, à quibus consultus fuerat, & rogat an polluti ipsi sint in superstitionibus Patrûm.
  - Detegit Dominus quid habuerint in animo, tam senes illi, qui pretextu sciscitandi venerant ad Prophetam, quàm omnes captiui. Nempe ita desponderant omnes vt nihil sibi putarent vtilius, quàm prorsus à Deo deficere, & sese formare ad mores & ritus gentium, quibus omnia prosperè cederent.
  - Ostendit Dominus se illis dominaturum, sed alio modo quàm antea, cùm integri essent in terra Chanaan: nempe potenti manu, vt superioris clementiæ velut oblitus subigat eos tanquam peruersa mācipia, etiam cùm in terram Chanaaneos restituerit. Desertum verò gentiū non terram Chanaan vocat, sed statum populi metaphoricè disignat, in quo populus deget, postquam reuersus fuerit ab exilio. Summa est: Quemadmodum circumduxit Patres ipsorum tota vita in deserto, sic postquā educti fuerint è Chaldæa, fore tamen eorum vitā quasi solitariam, ac si essent relegati in angulum aliquem obscurum, & terram desertam.
  - Minatur hypocritis & sceleratis exitium. Quòd verò dicit, Ad terram Israelis non ingredientur, de rebellibus intelligit, etiam his, qui reuersi sunt, & habitârunt in patria. Et significat eos non pertinere ad Ecclesiam, etiamsi pijs permixti sunt.
  - Ostendit Dominus, malle se homines penitùs suis superstitionibus adiūctos esse, quàm simul dimidiam partem veræ pietatis miscere: quia scilicet hoc modo prophanatur sacrum eius nomen. Vult enim Deus verus discerni ab omnibus idolis. Vnde non mirum est, si frena laxet Israelitis, vt se in totum proijciant ad idolatrias.
- **Conuertit sermonē ad veros Israelitas, seu electos. Vbi**
  - Docet oblationes & cultus piorum placere Deo. Nam tota domus Israel hic restrictiuè intelligi debet.
  - Ostendit solidum suum beneficium erga fideles: cognitionem scilicet veram, quæ paterni amoris suauem gustum præbeat.
  - Demonstrat se tunc demum fore propitium suis electis, vbi resipuerint.
  - Pronunciat Deus gloriam suam in eo maximè conspicuam fore, quòd gratis, & quidē solo nominis sui respectu misertus fuerit eorum, qui desperati erant, ac perditi.

Dispositio

Dispositio Capitis 21.

Loci septem.

- Vtitur noua parabola, seu Propheta contra Iudam & Ierusalem, quam statim interpretatur. Ex sequenti ergo clausula facilè intelligi potest,
  - Quæ sit regio aduersus Meridiem, quam hic tribus nominibus appellat, Theman, Meridiem, & Syluam campi Australis. Sic enim vocat Ierusalem, Templum & Iudæam totam, quia vrbs Babylonijs à Meridie sita est, vt illi Babylon ab Aquilone.
  - Quid flamma, quæ syluam comburat: Quia gladius hostilis, etsi victor vrbem & Templum incenderit.
  - Quid viride & aridum lignum: Iustus scilicet & peccator, qui velut eodem contubernio deprehensi eadem ruina opprimuntur. Iustum vocat, qui sibi iustus esse videtur, iniustus apud Deum, vel qui alijs iustior sit.
- Iubet Dominus vt non solùm verbis, sed gestibus etiam loquatur, gemituque & gestu dolorem referat. Addit causam: Quia magna calamitas immineat.
- Nouo sermone eandem similitudinem gladij persequens, cladem venturam exaggerat. Vbi
  - Gladij hostilis acuti & politi visum ostendit, contra Iudam, Templum &c.
  - Perstringit Iudæos per interrogationem, quòd læti sunt aduersus decem Tribus in captiuitatem abactas.
  - Minatur Iudæ interitum, cuius sceptrum seu robur baculum filij sui vocat, qui præ se alia ligna, id est, regna fastidiat.
  - Iubet Dominus Prophetæ vt lugeat, more eorum qui ex femore laborant, & addit causam luctus: Quia probatio, inquit, est: id est, aduersitates imminent, quæ probant animos hominum.
- Iubetur Propheta in signum mœsticiæ manus suas cōplodere, more eorum qui repentino metu percelluntur. Vbi
  - Ostendit rursum gladij hostilis visum, vt non semel, sed iterum atque iterum feriat. Hoc enim est duplicari, vel triplicari gladium. Item, vt perterrefaciat & occidat multos.
  - Exclamat Propheta tanquam corám deformitatem cladis cerneret: Væ, inquit, mihi, quàm vibranti acie emicat gladius.
  - Conuertit sermonem ad gladium, ac hortatur vt illò faciat impressionem, ad quam partem sternendam iampridem paratus fuit.
  - Ostendit Dominus complosione manuum suarum concitaturum cladem vnam post aliam.
- Visione prophetica sibi, vt est iussus, duas vias ex vna terra deducentes proponit, sicut latericiam vrbem suprà effinxit Altera versus Rabath Ammonitarum vrbem, altera contra Ierusalem vergebat, vtrique negotium facere statuerat Rex Nabuchodonozor, sed incertus erat Rex vtram prius adoriretur. Ideò diuinationibus nauat operam in biuio illo constitutus, quod diuinitùs ei consilium firmaretur. Sed in Ierusalem vergit diuinatio. Iudæi verò velut inspectantes omnia contemnunt, quamuis exitium omnia illis portenderent. Ponit autem tria genera diuinationum, quibus Regem Babylonis oraculum cœpisse Propheta facit super bello ordiendo. Primum, per tela: nam in micantibus ferramentis telorum, ex pharetra extractorum, videbant diuini, quæ rogabantur, vel quòd sursum sagittas rectà iecerint & obseruârint in vtram partem descensu inclinaret. Alterum, per imagines, quæ de euentu rogatæ responderent. Tertium, per inspectionem extorum, vt iecinoris, &c.
- Vertit sermonem ad Zedechiam. Vbi
  - Ostendit Regi imminere exitium.
  - Ostendit coronam regni Iudaici non fore diuturnam.
  - Docet solidum regnum non restitui Iudæis nisi in Christo.
- Comminatur Ammonitis exitium. Nam Zedechias & Ammonitæ coniunctis viribus contra Regem Babel rebellârunt. Etsi autem Nabuchodonozor Ammonitas non extinxit: nam vastata Ierusalem, exercitum Babylonem reduxit, & Ammon tributum vltrà pependit, quo rebellionis culpa mitigata est: tandem verò à Medis & Persis extinguuntur.

Dispositio Capitis 22.

Loci quinque.

- Indicat Dominus hoc Prophetæ officium esse, vt iudicet, id est, arguat & reprehendat sceleratos.
- Duo crimina Iudæis obijcit, deinde pœnam subdit, id ipsum postea latiùs ac fusiùs explicaturus.
- Recenset catalogum scelerum, idq; per singulos ordines, & pœnam indicit.
- Quàm grauis sit dies iudicij Ierusalem, ostendit: Quia erit sicut ignis aurifabri probans metalla. Vide Esa. 1. Malach. 3.
- Instituit rursus catalogum scelerum per singulos ordines. Taxat autem Prophetas, Sacerdotes, Principes & populum.

Dispositio Capitis 23.

Loci tres.

- Adulterium, id est, idolatriam & fœdus cum impiis gentibus, pluribus verbis depingit, sub parabola duarum mulierum. Vocat autem congregationes, mulieres vel filias. Ita omnis populus Israel communiter agens in Aegypto, antequam in duo regna diuisus esset, dictus est vna mater. Vbi autem sub Roboam in duo regna diuisus est, dictæ sunt duæ mulieres: id est, duæ congregationes. Ahala significat Tabernaculum eius: quasi diceret, ipsius est Tabernaculum, non meum: quod habet ad me non attinet. Sic vocat Samariam, seu regnum Israel, Ahaliba, id est, Tabernaculum meum in ea, id est, in ea inhabito, & Sanctuarium meum in illa claret. Vtramq; mulierem cum Gentibus, Aegyptijs, Assyrijs & Babylonijs fornicatam esse ostendit, cùm Deo fidem suam seruare debuerit.
- Fert sententiam in vtramq; mulierem pluribus verbis.
- Recenset iterum Iudæ & Israelis flagitia, & pœnas grauissimas indicit, propter eorum scelera enormia. Viros iustos appellat Babylonios, tanquam executores iusticiæ diuinæ.

Dispositio Capitis 24.

Loci quinque.

- Propheta absens populo Iudaico diem calamitatis ex Dei præcepto prædicit: de quo die vide Ierem. 39. 52. 4. Reg. 25. Tempus hoc ad Zedechiam referri debet.
- Iubetur Propheta cladem vrbis contra Iudæos incredulos similiter parabola explicare, qua ipsi suprà vsi sunt, retorquentes Ieremiæ dictum, Ierem. 1. in alium sensum, dicentes: Ex olla carnes non nisi coctæ extrahuntur, & nos in vrbe hac vsq; in extremam senectam durabimus. Refert autem hic Propheta personam Nabuchodonozoris Regis. Hic partes parabolæ excutiendæ sunt
  - Olla, est Ierusalem.
  - Apparitio ollæ, est obsidio.
  - Infusio aquæ, est oppugnatio, quæ decoctionem carnis, id est, expugnationem moratur. Nam vndecimo primùm anno, in potestatem hostis, cùm nono obsidere cœpisset vrbs deuenit.
  - Caro ollæ iniecta est, cùm ex deuastatis oppidis in vrbis munimenta, qui euaserant, se fuga proripiunt.
  - Caro de pecude electissima, optimates sunt, qui vndique ad vrbem profugerant.
  - Ossa incensa, lignorum loco sunt innocentes occisi, qui incendij ac supplicij vim auxerunt, sicut ossa igni non leuiter absumuntur. Hæc innocentium interfectio, est iræ causa non minima. Innocens enim sanguis ad Deum pro vindicta clamat.
  - Ebullitio, donec ossa materia durissima elixa remollitaq; fiant, æstu flammarum: significat Satrapas regni, qui videbantur extra suspitionem periculi, tandem gladio, persecutionisq; igni casuros.
  - Spuma, vt Dominus interpretatur, sanguis est, & iniquitas manifesta. Hæc spuma non despumabitur ab olla, quia nec clade emendabuntur Iudæi, retinentes adhuc in se spumas & iniquitatem. Hunc sanguinem positum dicit super siccam & excelsam petram, eò quòd effusio sanguinis manifesta omnibus excusari non potest.
- Explicatio parabolæ.
- Ostendit quanta sit clades futura in Ierusalem. Nam tanta miseriarum moles erit, vt deplorare eam neque ant propinqui eius: id est, qui apud Babylonios captiui tenebantur. Vtitur autem ad hoc signo quod ei Deus dedit: nempe quòd subito expirârit vxor eius, quam tamen licet valdè dilectam, prohibetur deplorare, & ritu funebri prosequi.
- Docet Iudæos serò tandem, accepta clade, credituros vera fuisse quæ Ezechiel illis prædixerat, & euentum ipsum satis probasse illum verum fuisse Prophetam.

Dispositio Capitis 25.

Loci quatuor.
- Post iudicatam & subuersam Ierusalem, prædicit excidium adiacentium populorum per circuitū: ac primùm Ammonitarum, eò quod gauisi essent in aduersitate Iudæorum & ruina Ierusalem.
- Idem minatur Moabitis quod Ammonitis, quia eijsdem peccatis obnoxij fuerunt.
- Comminatur Edomitis vindictam. Nam videntes affligi Iudæos, addiderunt & ipsi afflictionem afflictis, peccaueruntq́; & vindicauerunt: id est, iniustè & sine causa afflixerunt, suoq́; nomine visi sunt de Iuda vltionem egregiè sumptam videre, à quibus tamen læsi non erant.
- Minatur & alijs Gentibus, quæ ad Occidentem sunt, vt Palestinis, &c. exitium. Illi enim veteres inimici Iudæorum fuerunt sub Saule, Dauide, &c.

Summaria dispositio Capitis 26.

Tyriorum excidium prædicit, eò quòd gaudebant in excidio vrbis Ierusalem. Hîc describit causam excidij, expeditionem Regis Babel, excidium, luctum vicinorum, comminationis, &c.

Dispositio Capitis 27.

Loci duo.
- Deplorat Tyrum, quam naui optimè instructæ comparat, alludens ad mercaturam eius. Nam & nauali pompa excelluit. Vbi
  - Demonstrat vrbis pulchritudinem, structuram & munitiones.
  - Ostendit quales milites & viros bellicosos habeat.
  - Recenset vrbes & nationes quibus pro communi emporio Tyrus fuerit.
- Narrat Tyri Naufragium. Nam suprà eam naui optimè instructæ comparauit. Vbi
  - Modum naufragij ostendit, ac docet id per ventum Orientalem factum esse. Ventum Orietalem vocat impetum hostis, Regis Nabuchodonozoris.
  - Docet omnia expetibilia, quæ in Tyro fuerunt in naufragio euertenda esse.
  - Ostendit eos, qui euersis nauibus ad terram enatarunt acerbissimè deploraturos, amissas opes cum nauibus.

Dispositio Capitis 28.

Loci tres.
- Vaticinatur contra Principem Tyri. Vbi
  - Reprehendit Principem Tyri ob magnam superbiam, quia nimium confidebat in sua sapientia & potentia, oblitus mortalitatis & conditionis harum rerum, quæ in eodem statu durare semper nequeunt.
  - Pœnam Principi Tyri indicit. Congrua pœna superborum humiliatio est.
  - Hyperbolicè adauget sapientiam, pulchritudinem, fœlicitatem, luxum, delicias, gloriam, &c. Tyri Regis. Hîc voces difficiliores excutiendæ sunt. Quid
    - Sit Cherub inunctus: quo nomine Regem Tyri appellat. Alludit enim ad Cherubim obtegentes Arcā alis suis. Vocat ergo Cherub inunctum, id est inauguratum, in tantum fastigium nominis, vt populum suum velut Cherubim alis suis protegat.
    - Sit Principem Tyri in monte Dei fuisse, Respicit ad Hiram Regem Tyri, qui ligna ad structuram Tēpli mittebat, simulq́; frequentabat vrbem Ierusalem, vt audiret sapientiam Salomonis.
    - Sint lapides igniti, in quorum medio ambulauerit. Sic vocat Israelitas, qui cùm fuerint populus sanctus, iure dicuntur igniti lapides, quòd alios amore Dei sua cōsuetudine inflammarent, & lucem prætulerint cæteris mortalibus.
    - Sanctuaria hoc loco sint. Regia scilicet Principis.
  - Recenset iterum scelera Principis Tyri, ac illi pœnam indicit.
- Vaticinatur contra Sidonem, quæ vicina Tyro caput erat Phœnicis, ciuitas superstitiosissima, quæ cum cæteris populis persequebatur Israelē, imò plus cæteris molesta illi erat: propterea etiam quàm grauissimè punitur, vt cognoscatur Deus iustus Iudex.
- Promittit læta Israeli. Etsi enim Deus suos puniat, resipiscentes tamen iterum recipit. Quare & hîc reditum illi promittit, vt habitet confidenter tutus ab hostibus, Deo illum protegente.

Dispositio Capitis 29.

Loci duo.

- Vaticinatur contra Pharaonem & Aegyptum. Pharaonem verò draconi: Principes eius, & populum piscibus: Aegyptum aquis comparat: Aegyptus enim aquis abundat. Hic
  - Taxat arrogantiam Pharaonis, & quòd vana spe lactauerit filios Israel contra verbū Domini. Semper enim promittebat se contra Babylonē, laturum suppetias, sed nihil firmi præstitit. Propterea Pharaonē fulcrum arundineum appellat, quod apprehensum destruatur, cui inniti nemo sine periculo possit.
  - Pœnā indicit Pharaoni, primùm per similitudinē, deinde disertis verbis.
  - Promittit Aegyptijs restitutionem seu reditum & regnum, sed humile, vt Israelitæ posthac inniti illi non possint.
  - Pollicetur Dominus præmiū militi Babylonico, pro labore & seruitute, qua seruiuit contra Tyrum: népe direptionē Aegypti. Nam Domini iussu bellum contra Tyrum gestum est. Porrò annus 27. ad regnū Regis Nabuchodonozoris refertur. Nā hoc tempore ille victor Aegyptum vastauit, recepto in potestatem Ieremia & Baruch scriba.
- Promittit Israeli restitutionem regni.

Dispositio summaria Capitis 30.

Prophetat contra Aegyptum & contra confœderatos, qui illi confidebant. Vbi

- Pœnam illis indicit & confœderatis, quod postea clariùs & pluribus repetet.
- Per singulas primarias ciuitates Aegypti cladem futuram prædicit.
- Ostendit Nabuchodonozorem exaltandum, Pharaonem verò euertendum: Illum vt diuinæ ordinationi seruientem, hunc verò vt filijs Israel scandalum, qui vanis pollicitationibus eos à Lege Dei abducebat. Sumit autem parabolam à vulnerato, qui saucius non curatur: neque enim vltrà dominabitur in Gentibus vt anteà. Porrò tempus anni ad Zedechiam refertur.

Dispositio Capitis 31.

Loci quinq;.

- Propheta amplificaturus Aegypti magnitudinem, iuxta consuetudinem spiritus sui, comparat Pharaonem Regi Assyrio, quem Cedro fœlicissimæ assimilat, significans Aegyptum perituram, cùm potentia & viribus maior perierit Assyrius.
- Per allegoriam, seu similitudinem describit Assyrium
  - Ab eminentia, seu excellentia, qua omnes Principes & Monarchas excellebat. Id similitudine Cedri altissimæ declarat.
  - A potentia, qua cæteri Reges, illi, velut rami arboribus, innitebantur.
  - A fœlicitate vel prosperitate, qua velut aquis, ex diuina beneuolentia, irrigatus est.
  - A pace regni illius: fuit enim sub eo pax magna, & omnes populi eius sub vmbra & protectione illius confisi sunt.
  - A præstantia regni illius, vt non fuerit terra aliqua præstantior quàm Assyria.
  - A pulchritudine regni ac bene instituta republica.
- Ponit interitus Assyriaci causam: nempe superbiam, eò quòd in corde suo cœperit sublimiora de se sentire, quàm oporteret.
- Ruinam Assyrij multis verbis describit. Vbi per ramos cedri confractos, cadauera exercitus Assyriaci intelligit. Ostēdit autem cur cedrum hanc altissimam, id est, Regem Assyrium exciderit: vt videlicet cæteri Reges, quos hic arbores suo more appellat, præsente fœlicitate minùs animo inflentur.
- Redit aptè ad Pharaonem, docens illum periturum non secus ac Assyrium. Cui enim comparatur in potentia, etiam ei comparabitur in ruina.

Dispositio Capitis 32.

Loci tres. Vaticinatur

- Contra Pharaonem. Vbi
  - Obijcit illi sua flagitia: nempe crudelitatem & ferociam, propterea catulo Leonis & Draconi illum comparat, eò quòd reliquos pisces & aquas: id est, Reges & Principes turbabat & propellebat ad aridam, & bella eis inferebat.
  - Pœnam & interitum Pharaonis multis verbis figuratis ac disertis demonstrat.
- Cōtra populum Aegypti. Vbi
  - Conuertit sermonē ad multitudinē Aegypti & sortem illius prædicit, ac interitum.
  - Prosopopœia prophetica vtitur. Nam prævalidos ac fortes, qui vita excesserunt, introeuntem ad se Pharaonem facit alloquentes, seu excipiant eum, simul & auxilia eius qui vnà occubuerunt, exprobrantes haud dubiè casum eorum, quòd sibi cùm sempiterni in terris agentes visi sint, mortem oppetierint.
  - Recenset nationes, quæ simili fato conciderunt.
  - Facit discrimen inter Aegyptios deuictos & interfectos, ac alios qui sub signis victoris occubuerunt, quorum capitibus arma, honoris gratiâ, quòd fortiter rem gesserint, subijciuntur in sepulchris. Talium enim mors pulchra & honesta videtur: Aegyptiorum verò inhonesta erit. Vbi iniquitatem eorum vocat, cædes multas in prælio ac crudelitatem.
- In genere contra Pharaonem & exercitum eius, vbi crudele solatium illi proponit, quòd in alijs eadem supplicia videat, quæ ipse patiatur.

Dispositio Capitis 33.

Loci quinq;.

- Episcopi & Prophetæ officium proponit sub parabola Speculatoris, qui dato signo ciues de hostium irruptione admonere debet, vt effugiant periculum. Vbi
  - Significat, Speculatorem excubias agentem, monentemq; populum de instanti periculo, nisi resipiscant, excusatum iri, ac populum sua ipsius culpa, non speculatoris, periturum.
  - Ostendit, Speculatorem pigrum, non admonentem populum de instanti periculo, & se & populum sibi commissum perditurum. Repetit autem hîc ea quæ cap. 3. & 18. de officio Episcopi disseruit.
- Refricat verba desperantium, quibus sic respondet, vt iacentes pollicitatione gratiæ beneuolè subleuet. Vbi
  - Desperantes consolatur pollicitatione veniæ.
  - Hortatur eos ad pœnitentiam.
  - Ostendit Dominus pluribus vnumquemque sic iudicari vt inuentus fuerit in die iudicij illius. Quales enim inuenit Dominus, tales iudicat.
  - Perstringit furorem & blasphemiam quorundam, qui dicebant, opus Dei non esse iustum, cùm absoluat eos qui resipiscunt: damnat autem iustos, qui deserunt cursum piæ ac sanctæ vitæ.
- Clade Ierusalem accepta per nuncium, Prophetæ authoritas conciliatur. Nam timidiùs hactenus pleraq; sed nunc summa libertate, valida Dei manu impulsus edisserit quæ acceperat à Domino, inuehiturq; in incredulos idq; sub initium, id est, vesperum quintæ diei, vbi sub diluculum superstes stragis, rem gestam erat narraturus. Multum hoc momenti attulit Prophetæ existimationi, quòd illius nuncij narrationem Spiritus in eo anteuerterit. Hæc etiam ad finem cap. 34. habentur.
- Confidentiam relictæ in terra plebis indicat. Exusta enim vrbe Ierusalem vinitores & agricolæ per Nabuchod. in terra relicti sunt, quibus ille Godoliā præfecit, quos hîc habitatores desertorum locorum in terra Israel vocat: nā bona pars terræ sub Zedechia vastata erat. Hic
  - Verba fæcis populi recitat. Hæc enim cum Abraham se conferrebat, cui terra decem Gentium tota data est. Dicebant ergo: Quid in terram nos obtineremus multi, cùm vni Abrahæ tota in possessionem hæreditatis cesserit? Cur addictum multis mutaret, qui ratum esse voluit quod vni homini promisit?
  - Respondet his Dominus, non diu possessuros terram hanc, eò quòd dissimiles sint Abrahæ, degeneres illius filij.
  - Recenset flagitia relictæ in terra plebis, ob quæ è terra eijciantur & pereant.
- Perstringit populum in terra relictum, qui simulabant se verbum & consilium Dei attentiùs audituros, cùm tamen susurros miscerent clancularios, detrahentes Prophetæ ac illum deridentes.

Dispositio Capitis 34.

Loci quatuor.

Vaticinatur contra malos Pastores. Vbi

Accusat illos, quòd seipsos pascant, oues negligant.

Recenset quinq; ouium genera, quibus Pastorum cura opus esset. At mali Pastores omne ouium genus negligunt. Sunt quæ languent, non tamē grauiter, neq; magna medicina opus habent, vt cùm affectum est membrum aliquod, fotura confirmatur, sed neglectu, morbus in peius vergit. Tales sunt infirmæ quædam conscientiæ, nondum quidem lapsæ, sed vacillabundæ, quæ refocillationibus atq; adeò lacte opus habent, donec confirmentur. Sunt aliæ morbidæ, quibus medicina opus est: idq; per correptionem seueriorem, & poculum pœnitentiæ amarum. Sunt quorum ossa contrita & laxata sunt, nihilq; solidum habent: illis maiore opus est medicina. Sunt quæ abactæ aberrant, nimirum ab hæreticis, & vagantur incertæ extra viam veritatis. Hę requirendæ erunt. Sunt quæ pereunt alia quauis occasione, vel frigore, vel calore, vel pluuijs, quas admonitio & accurata exhortatio reparat, ac reducit in viam.

Iurat Dominus seipsum visitaturum populum sic discerptum ac dissipatum culpā pastorum malorum.

Denunciat malis Pastoribus, quòd requirat de manu eorum perditas oues, earumq; rationem ab eis reposcat: deinde, quòd aduentu suo, pascendi munere ipsos destituat, ne seipsos posthac pascant.

Pollicetur se ouibus suis affuturum & introducturum in terram suam, & pasturum eas pro modo veri pastoris, qui cum iudicio pascit oues, dispertiens propria proprijs, hęc illis, alijs alia.

Transit ad oues, & in his etiam quædam taxat: videlicet quòd pascua conculcent, aquas cōturbent: cœnum videlicet traditionum suarum admiscentes. Hos pingues oues appellat.

Repetit promissionem. Vbi

Ostendit se missurum verum Pastorem Christum, qui verè pascat oues.

Recenset beneficia per Christum nobis allata, vt pacem, benedictionem cœlestium donorum, per quę ad bona opera progredimur, libertatem ab hostibus & gloriam sempiternam.

Dispositio summaria Capitis 35.

Increpat Edumęos, eò quòd affligerent Israelitas, quòd terram Israel & Iuda occupare nitebantur, quòd Israelitas odio haberent, conuicijs incesserint, super vastitate Israelitarum lętati sint, &c. eisque cladem predicit.

Dispositio Capitis 36.

Loci tres.

Consolatur Israelitas. Vbi

Innuit cessaturum opprobrium eorum, quòd inter gentes patiebantur.

Ostendit gentes, quę de illorum interitu lętabantur confundendas.

Alloquitur montes Israel & promittit terræ fœcunditatem & omnem benedictionem.

Iterum alloquitur montes Israelis, quos terram aborientem populos, nominabant hostes. Inter alia enim probra obijciebant, perire omnes qui terram Iudææ incolerent, vt olim Amorthæos, & nunc Iudæos. Nam fame & peste peribant, abducebanturq; in captiuitatem. Ostendit autem Dominus hoc etiam montium opprobrium sublaturum.

Demonstrat quanta fuerint scelera Israelitarum, dum essent in terra sua, propter quæ eos è terra eiecerit. Ostendit autem quid, parcens illis, respiciat: non iusticiam scilicet Israeliarum, sed suum nomen quod prophanabatur inter gentes.

Promittit restitutionem Israelis, purificationem animæ, cor nouum, spiritum nouum, benedictionem terræ, &c.

Dispositio Capitis 37.

Loci tres.

Restitutionem Israelis vaticinatur, proposita imagine futuræ resurrectionis mortuorum: idq; in visione. Vbi.
- Propheta in campum Spiritu Dei pertrahitur, plenum ossibus aridis.
- Excitat Dominus quæstione Prophetæ attentionem, An credat ossa illa arida resurrectura.
- Respondet Propheta hoc in Dei cognitione esse, reuelari autem his, quibus ipse voluerit.
- Ostendit Dominus redintegrationem corporum ex coactis repentè ossibus, quæ per verbum Prophetæ ex ore Domini prolatum coaptantur neruis, carnibus, cute, &c.
- Altero verbo insufflatur spiraculum vitæ.
- Ex imagine hac resurrectionis colligit reducendum Israelem in terram suam.
- Superiorem enim similitudinem ipse sic explicat, ac docet Israelitas malis Babylonicis velut mortuos viuificandos esse.

Imagine duorum lignorum coniunctorum docet, non solùm liberandos Israelitas, sed coituros etiam consensu summo in vnum Regem legitimum.

Promittit restitutionem religionis, regni, fœderis, cultus, &c.

Dispositio Capitis 38.

Loci duo. Vaticinatur.

Restitutos Iudæos hostibus, hisq; immanissimis non carituros, qui ex insperato impressione summa vi in illos faciant: Gog autem Regis nomen faciunt, qui regnet in terra Magog, verùm Ioannes Apoc. 20. gentis nomen facit. Per Mesech, Capadocos: per Thubal, Iberos, & Hispanos intelligi volunt. Vbi
- Docet Dominus, se hostes Israelis excitaturum, ac in terram Israel introducturum.
- Auxiliares copias recenset, similiter instructos optimè, & tamen ad exitium, non ad victoriam venturos, sic disponente Deo.
- Demonstrat quanto impetu ac ardore animi irrupturi sint hostes in Iudæos: Venies, inquit, vt tempestas, &c.
- Quænam cogitatio sit hostium & vicinarum gentium ostendit, quæ quidem gentes partem fieri appetant.

De interitu hostis, de quo & antea per seruos suos Prophetas prædixerat Dominus. Minatur autem hostibus Israelitarum gladium, sanguinem, pestem, ignem, lapides grandinis, pluuiam sulphuream, &c.

Dispositio Capitis 39.

Loci duo.

Vaticinatur de interitu hostis Israelitarum, vt in priori capite. Vbi
- Ostendit Dominus se adducturum Gog in terram Israel, ad hoc vt ibi cum suo exercitu cadat & intereat.
- Ostendit cur id faciat: videlicet vt nomen suum sanctum notum faciat Israeli & Gentibus.
- Amplificat per hyperbolem armorum multitudinem, vt ostendat hostes Israelitarum inuincibiles fuisse, & victoriam illis non nisi cœlitus datam.
- Dicit de sepultura Gog.
  - Vbi sepeliendus sit cum suo exercitu: videlicet in valle.
  - Quomodo eius sepultura appelletur: videlicet polyandrion, vel Hamon: id est, multitudo Gog.
  - A quibus sepeliendus: videlicet à domo Israel, seu à delectis ad hoc ipsum viris pollentioribus.
  - Quandiu fiat sepultura: quia septem mensibus: id est, multo tempore.
  - In quem finem sepeliatur: videlicet vt terra mundetur à fœtore.
- Prosopopœia quadam vtitur, ac aues & bestias agri alloquitur, vt scilicet congregentur, edant, & saturentur ad mensam Domini.
- Exponit finem cur id faciat Dominus: videlicet vt & gentes & Israelitæ cognoscant, quàm potens sit Dominus Deus noster.
- Ostendit cur antea Gentium manibus tradiderit Israelitas ac hoc modo gentes non deleuerit videlicet propter iniquitatem populi Israelis.

Promittit Israeli restitutionem, cognitionem Dei veram, defensionem, ac spiritum nouum.

Dispositio Capitis 40. 41. & 42.

VATICINATVR Vrbem instaurandam cũ Templo, terramq́; per tribus diuidendam: idque in visione Prophetæ exhibita. Vbi

- Videt Propheta virum, id est, Angelum Dei, qui habuerit instrumentum mensoris. Quo significatur consilium Dei volentis Israelem restituere adeò firmum, vt describatur Templi & vrbis forma terræque diuisio.
- Excitatur Propheta, vt præcipuos sensus oculorum & aurium aduertat, diligenterque in animo reponat quæ possit popularibus suis referre.
- Templum describturus, ab extremo muro, qui locum sacrum & prophanum separat, orditur, vir ille qui eadem pertica mensus est longitudinem atq; latitudinem totius ædificij.
- Describit muros, atria, portas, vestibula cum suis ornamentis.
- Cap. 41. describit porticum, Templum vel sanctum, postea Sanctum sanctorum.
- Cap. 42. describit atrium exterius & ædificia contractorum parietum. ¶ Hæc verò omnia huc spectant vt doceat vrbem instaurandam cum Templo, terramque per duodecim Tribus diuidendam.

Dispositio Capitis 43.

LOCI quinq;.

- Videt Propheta Dei gloriam, vt suprà cap. 1. & 10.
- Promittit Dominus se deinceps affuturum populo suo, modò vias suas relinquant, ac soli Deo adhæreãt.
- Commendat Templi descriptionem.
- Describit Altare holocaustorum, quod in Atrio interiori positum esse indicauit suprà cap. 40 circa finem. Cuius partes sunt basis vel sinus, crepido minor, crepido maior: id est, summitas vel altitudo, Ariel, suprema scilicet pars altaris, cui holocaustũ cõficiendũ imponitur, ipseq́; focus aræ: itẽ margo, cornua, &c.
- Describit ritus & ceremonias domus, ac primùm de Altaris initiatione.

Dispositio Capitis 44.

LOCI quinq;.

- Videt iterum gloriam Dei.
- Reprehendit Israelitarum flagitia & abominationes, quibus Sanctuarium Domini polluerint.
- Ostendit qui à sacerdotio repellendi sint, & quales Sacerdotes probet Dominus.
- Canones aliquot ex Leuit. 21. & 22. repetit, quos Sacerdotes obsignare debeant.
- Proponit tributa & vestigalia sacra, è quibus suppeditatur victus Ministris Dei. de quibus Deut. 18. &c.

Dispositio summaria Capitis 45. 46. 47. & 48.

Proponitur assignatio terræ, quæ Sacerdotibus, Leuitis, Principi, plebi, Templo, & vrbi, quod ad ædificia attinet, cedere debeat. Interseruntur & alia quædam. De Templi dedicatione & sacrificijs, donatione Principis, sortibus Tribuum singularum, &c.

FINIS LIBRI EZECHIELIS.

Dispositio

DISPOSITIO SERMONVM, SEV Concionum Ieremiæ Prophetæ, qui functionem suam exorsus est annis ante natum Christum 646.

Et primùm de Prolegomenis Tabula I.

Loci duo.

- De prophetia in genere: de qua cum omnibus circumstantijs habes suprà in dispositione Prophetiarũ Esaiæ.
- De Ieremia peculiariter, cuius vita describitur in sacris
  - A nomine: quod quidem illi fatale fuit, instar Ioannis præcursoris Domini, à gratia, quam prædicabat, dicti: sic Iosiæ à zelo ignis diuini quo ardebat. Significat autem Ieremias Altitudinem Dei: quia nimirum iudicij, bonitatis, & veritatis diuinæ altitudinem suo præconio illustret.
  - A prosapia, quæ quidem & sancta & nobilis extitit: fuit enim Helkiæ filius Sacerdotis ex tribu Leuitica, seu classe Aaronitica: & de hoc duplex, & satis plausibilis vtrinq; occurrit coniectura, vel quòd fuerit
    - Ieremias filius summi illius sacerdotis Ierosolymitani, qui repertum in Templo Legis librum Regi Iosiæ obtulerit, 4. Reg. 22. & 2 Paral. 34. 35. Vnde apparet Ieremiam in Lege Domini eruditum fuisse, tanquam à Patre religioso. Sic sensit Ieronymus, & Hebræi ferè omnes in summam Ieremiæ sui prærogatiuam.
    - Sacerdotis quidẽ filius, sed non nisi vulgaris, habitãtis in Anathot, quamuis cognominis eum summo illo sacerdote. Et hæc ratio probatur Caluino, quoad verba Prophetæ, dicentis,
      - Ex sacerdotibus fuisse patrem suum Helkiam: ex Sacerdotibus, inquã, non summum Sacerdotem.
      - Habitasse in Anathot, non in Ierusalem. Et si dicat quis cum Chaldæo, paraphraste possessiones Helkiæ fuisse in oppidulo Anathot, obuiam itur, quia Sacerdotibus non fuit permissum agros possidere, nisi quantum alendis pecoribus sufficeret.
  - A patria, quæ nominatur Anathot. Et fuit in Tribu Beniamin, in qua & Ierusalem, distans inde vno miliari, oppidum sacerdotale, Ios. 21. 2. Esd. 11. Et pauperculum, vt Esaias quoq; appellat, Esa. 10. Vnde colligitur personas potius claras locis ipsis splendorem quàm contrà legitimè adferre.
  - Ab authoritate bisariã cõsiderata: videlicet quoad
    - Genus: nã siue fuerit
      - Summi Sacerdotis filius, habet sane dignitatẽ rarissimã, & ferè Esaiæ atq; Danieli correspondentem, qui ex regia stirpe fuêre, aut Samuele etiam ipso non inferiorem.
      - Vulgaris Sacerdotis filius, habet dignitatem supra omnes alios peculiarem. Quia enim sub pio Rege Iosia, sed admodũ puero (nã 8 ætatis anno regnare cœpit) & libro Legis iam olim amisso, Principes erant proterui & sacerdotiũ totum corruptum Ierosolymis, & plebs varijs contaminata superstitionibus, ac vitæ spurcitijs in alta Legis diuinæ ignorantia: par erat ad omnium ordinum confusionem Ieremiam ex vulgarium Sacerdotum ordine produci, quo omnem & omnibus eriperet occasionem sese excusandi. Iam enim vocati erant ad pœnitentiam per Esaiam hominem regiæ stirpis, vocati & per Amos, qui fuerat pecuarius: mittitur porrò Ieremias ab prophetãdum, non ex summorum classe Sacerdotum, qui erant veluti muti canes, sed ex vulgarium & mediam sortem tenentium, quales plerunq; cõtinentiores & fideliores etiam hodie esse solent. Et sic in vno Ieremia sacerdotium & prophetia concurrunt: verùm non, vt antea, ex illa sublimi classe, quæ quasi seminarium habebatur ordinarium Prophetarum. Vel, dum dicitur Ieremias Sacerdotis filius, innititur in ipsum rectius potuisse competere propheticum munus, quàm in multos alios vel ex aula, vel ex caula vocatos: qui tamen iustæ authoritatis fuêre: quia à Deo peculiariter missi.
    - Doctrinam & functionem, & seq. Vide literam A.
  - A genere doctrinæ, & seq. Vide literam B.

A Quoad doctrinam & functionem ab omnib. æstimatam seu in

Veteri Testamento, vt à

Regibus, non solùm bonis vt Iosia, sed etiam prauis, seu

In populo Dei. Zedechias enim etsi strenuè primò contemneret consilia Ieremiæ, tamen in extrema necessitate consilium eiusdem petijt vt habetur Ierem. 38. &c.

Ex gentibus. Rex ipse Assyriorum Nebuchadnezar vnà cum duce primario belli Nabuzardan, quanti Ieremiam fecerit ex carcere liberando & potestatem vbi velit manendi illi concedendo, videre est Ier. 39. 40. &c. Item 4. Reg. 25. &c.

Summis Prophetis. Nam Daniel qui post Salomonem (teste Ezechiele 14. & 28. cap.) omnium fuit sapientissimus, hunc Prophetam diligentissimè legit & toto pectore fidem verbis eius adhibuit, vt patet Dan. 9. Sic Ezechiel, Nehemias, Esdras, reuocarunt maximè in memoriam populo vaticinia Ieremiæ, tanquam veri & summi Dei Prophetæ.

Nouo Testamento, vt

A Christo, qui accuratè verba Ieremiæ citat: Vos fecistis illam speluncam latronũ, &c. Matth. 21. Mar. 11. &c.

Ab Euangelista Matthæo: Vox in Rhama audita est, Matth 2.

Ab Apostolis, vt à

Iohanne, Apoc. 2. Ego sum scrutans renes & corda, &c. quę habentur Ier. 17. Sic Apoc. 15. Quis non timebit te Domine Deus, ex Iere. 10.

Paulo, vt videre est 2. Cor. 6. 10. Heb. 8. 10. His adde coniecturam Iudęorum de Christo, quod ipse, Ieremias sit, Matth. 16. Nimirum propter dicendi agendiq; grauitatem & parrhesian.

B.

A genere doctrinę, quod est totum Theologicum seu Ecclesiasticum: nunc in Templo, nunc in Aula, nunc ad populum locis & sermonibus oportunis declamatum instar homiliarum seu sacrarum concionum. ¶ De partitione & argumento sequenti agetur Tabula.

A tempore functionis in prædicatione, quod constituit stante Ierosolyma annos 41. quemadmodũ apertè colligitur ex

Temporibus Regum secundùm Chronologiam. Nam sub Iosia qui (Rex decimus octauus post Dauidem Ierosolymis) regnauit annos 31. prophetauit annis 19. sub Ioachaz filio eius tribus mensibus: sub Ioachim, vel Eliachim fratre Ioachaz annis 11. sub Ioachim filio Ioachim tribus mensibus: sub Zedechia filio Iosię & fratre ipsius Ioachim annis 11 Sex illi menses constituunt annum vnum imperfectum. Integri anni computati constituunt annos 41.

Disertis Ieremię verbis. Nam ipse cap. 25. dicit se tunc in quarto anno regni Ioachim verbum Domini haurire, & eundem vicesimum tertium Iosię esse. Iam ergo iunge 23. annis septem residuos regni Ioachim annos: quoniam eum vndecim annos regnasse diximus: sic iunge annos etiam vndecim Zedechię, & inuenies annos 41. ¶ Porrò sciendum est, longius quoq; tempus ministerij Ieremię extendi. Nam post exustam & desolatam vrbem (quousq; anni 41 eximet) reliquijs adhuc populi prędicauit. Deinde cum transfugis in Aegyptum violenter abductus, etiam in Taphnes vrbe celeberrima sermones habuit, sicut patet Ierem. 42. 43. 44. ¶ Sed vt discursus iste temporum dilucidior fiat texendus est breuis historiarum Elenchus, quando in libris Regum & Paralypomenôn res cõfusissimè pertexantur. Iosias omnium sanctissimus Princeps ad regulam verbi Dei, & ad viuum (quod dici solet) reformauit Ecclesiam Iudaicam. Cęterum populus & Principes, sicuti & Sophonias testatur, hypocritæ adeoq; perfidi erant, nulloq; capiebantur diuini verbi amore, idcircò tollit Dominus Iosiam ex generatione illa corrupta & incurabili, vt pro dignitate gentem impijssimam tractare posset. Reliquit post se Iosias filios quatuor, Ioachaz qui & Sellum appellabatur, Ioachim qui & Eliachim dicitur, Zedechiã quoque quem nominant etiam Matthaniam, & Ioannam qui inglorius interijt. Cæso autem patre Iosia à Nechaone Rege Aegyptiorum, populum Ioachaz Regem sibi præfecit. Hunc verò victor ex Oriente rediens Aegyptius fugato Nebuchadnezare Prisco, magni Nebuchadnezaris patre, deiecit, & captiuũ abduxit in Aegyptum: Ioachimũ vero Eliachim in thronum collocauit. Hic cum Nebuchadnezare magno, victore Aegyptiorũ, pactus, mox tamen perfidus repertus, oppugnatur à Babylonio Principe, capitur & vinctus abducitur: in itinere verò moritur, & sepultura asini, quod Ieremias prædixerat futurum, sepelitur. Surrogatur illi filius Ioachim qui & Chonenias & Iechonias appellebatur, verùm post tres menses regni, abit hic quoq;, abductus in exilium Babylonicum. Vnde & captiuitas Babylonica sumit initium. In nepotis huius sui ex fratre Ioachim, locum, præficitur regno Zedechias à Nebuchadnezare. At cùm etiam hic & impiè regnaret, & perfidus in Regem Babyloniorum inueniretur, diu in vrbe obsessus, postremò etiam captus, & in Babylonem est abductus, exusta priùs vrbe cum Templo, & liberis Principibusque, Regis, in conspectu Regis occisus. Hic erat finis incurabilis contradictionis, quæ impudenter se opponebat verbo Domini, per Ieremiam annunciato.

A fine, & seq. Vide literam C.

C.
A fine seu interitu, de quo duplex inualuit opinio. Nam

Tradunt quidam eum ab Aprye Rege Aegypti (cuius in fine cap.44 & lib.2. Herodoti fit mentio) interfectum esse, quòd prædicaret Elamitis seu Persis excidium, Ier.49. Similiter iuberet Reges vicinos seruire Nebuchadnezari, missis catenis ad eos, Ierem.27.

Testantur veteres ab ipso populo Iudaico lapidibus esse obrutum. Vnde in Ieremia non tantùm Prophetam sanctum, sed & Martyrem Dei gloriosissimum habemus, supra innumeros totius vitæ labores & perpessiones. Nam & in carcerem Ierosolymis fuit coniectus, in quo vsque ad captam vrbem desedit Ierem.37.38.39.40. Minus est quod Epiphanius & Ieronymus tradunt de morte Ieremiæ & de sacrificijs honoribusque sepulchri eius apud Aegyptios, quum nobis Deus solus sit inuocandus vbique & colendus.

De Prolegomenis Tabula 2.

De titulo libri Ieremiæ, qui cóplectitur.

Loci quatuor.

Formam styli, cùm vocantur scripta Ieremiæ Sermones: id est, Homiliæ vel Conciones, ad Principes & Sacerdotes, & plebem vniuersam, veluti suprà dictum est.

Nomen authoris: ipsum scilicet Ieremiam vnà cum parente eius conditione & patria, de quibus & suprà.

Vocationem, tam scilicet ad loquendum quàm scribendum istos sermones. Quemadmodum verò docet Irenæus lib.4.cap.37. nó sermone solùm prophetabant Prophetæ (hoc est accipiendo vigilanter vocem ex ore Dei, seu Angeli, vt Moses) sed visione (scilicet Maiestatis ostensæ, vt Esa.6. Ezech.1.) & conuersatione (scilicet solitaria cum Deo, vel Angelo eius, vt Exod.33.&c.) & actibus, quos nimirum faciebant secundùm id quod suggerebat Spiritus (vt Ezech 5. Oseæ 1.) vt ea ratione inuisibilem Deum videbant: scilicet in sua maiestate & voluntate ad populum deferenda. Vide & supra in Esaia quintum locum de prophetia in genere.

Maiestatem vocantis, qui Deus & Dominus est exercituum. Vnde & Ieremiæ obediendum fuit in traditione, & populo vniuerso in auditione quàm fidelissimè.

Initium functionis Ieremiæ, quod in tredecimum regni Iosiæ annum incidit, qui fuit mundi 3325. ante Christum 646. Porrò Iosias hic est filius Regis Amon, nepos Manasse, octauo ætatis suæ anno in soliú regium subuectus, 4. Reg 22. Quia auté tanta fuerat tyrannis Manasse, vt flueret sanguis per totam Ierosolymam. 4. Reg. 21. Non mirum est si ex Templo quoque Dei vniuersa legis exemplaria rapuerit, omné veræ doctrinæ memoriá extinguere cupiens. Haud ab re idcirco tantoperè laus Iosiæ celebratur Eccles.49. quòd in tanta Regú priorum impietate, scintillá ipse timoris Dei iam ab initio in se habuerit & tandem anno decimooctauo regni sui (quo iam quinquennium ferè Ieremias prophetauerat, inuento peculiari Legis libro, diu absconso, & omni hominum memoria elapso (forsan enim pius ille vir qui absconderat sub Manasse, violenta morte interiens nemini indicare potuerat) populum vniuersum cum Helkia reformârit. Exemplum est sanè omnium ætatum Principibus ad vitæ sanctitatem. &c. Hic anno regni 31. mouens non necessarium bellum aduersus Nechao Aegypti Regem, interficitur, 2. Paralip.35. relictis post se liberis quatuor, vt suprà dictum est. Annis antè 300. vaticinatus est Deus de hoc Iosia per Prophetam in Bethel, 3. Reg.13. & Soph 1. & Matth.1. Mentio eius extat honorifica, vbi tamen Iechonias nomine nepotis dicitur eius esse filius, non genitura: hoc est non natura, sed lege successionis. Eodem modò videtur dici & ipse filius Amonis, nisi genitus illi sit anno ætatis decimoquinto. Nam cœpit Amon regnare 22. ætatis anno, & duos annos regnauit, successorem relinquens Iosiam annorum 8. Probabilius est ergo dicere (ait Caluinus) lege scilicet successionis in regno, non naturá fuisse filium. Quemadmodum & Zedechiam filium dici Iosiæ lege successionis quidá existimant, quòd nepos esset ex fratre.

Terminum functionis Ieremiæ, qui ipsam transmigrationem seu captiuitatem populi attingit: id quod de saluo regno capiendum est. Nam postmodum etiam alibi Ieremiam prophetauisse suprà diximus: vnde ad quinquaginta quoque annos potuit eius ministerium extendi donec vita decessit.

Mensem ipsum excisæ vrbis Ierusalem cum populo, qui quintus appellatur (respondens Maio nostro) & Artemisius etiam dicebatur, quo scilicet vrbs est concremata & populus in Babylonem adductus, Ierem. 52.&.4. Reg. vltimo.

De serie, & seq. Vide literam A.

A.

- De serie & partitione totius libri, qui quidem sine certa tẽporis ratione cõpilatus esse videtur: non eo ordine quo conciones ab Ieremia habitæ fuerũt: nunc quidẽ tẽporibus fœlicioribus, cùm licuit ei sine periculo prædicare vt maximè sub Iosia, nũc infœlicissimis & maximè cum periculo: aliàs ad domesticos, alias ad hostes fidei. Immiscet etiam oppido vtiles & varias historias & vaticinia de Messia. De his omnibus rectiùs procedetur per tẽpora Regum. Nam sub
  - Iosia vocatur Ieremias ad functionem, cap. 1. inde ad cap. 20. inuehitur in idololatriam, & cætera populi peccata, excidium illis comminando apertissimum.
  - Ioachim, qui significat idẽ quòd Domini resurrectio, anteà dictus Eliachim: id est, Dei resurrectio. 4. Reg 23. Et huius regni anno
    - Prædicans Ieremias. Templum & vrbem Ierosolymorum sicut Silo euersum iri. Capitur à Sacerdotibus & rursum dimititur, cap. 26.
    - Concionatur coram Ioachim de officio Regis, & eidem sepulturam asini denunciat, cap. 22. 36.
    - Exemplo Rechabitarum seruantium mandata Ionadab inuitat Iudæos ad obedientiam Deo præstandam, cap. 35.
    - Prædicit (anno 5)
      - Exilium septuaginta annorum, cap. 25. & dictat scribæ suo Baruch volumen comminationum, capit. 36. 45. quod sequenti anno perlegitur, & postea discerptum à Rege comburitur, cap. 36.
      - Cladem Aegypti, & exidium Moab, Ammon, & vicinarum Gentium, capitibus 46. 48. 49.
  - Iechonia, qui significat præparationem Domini, quique suasu Ieremiæ in voluntarium concesserat (quod aliàs transmigratio dicitur. & est initium captiuitatis septuaginta annorum) dedens se Regi Babylonico. Consolatur scripta epistola in Babylonem captiuos, cap. 29. & reductionem eorum prædicit, cap. 24.
  - Zedechia, qui significat iustitiã Dei, ab anno regno.
    - (Capit. 37.) vsque ad nonum Ieremias Hananiam Pseudoprophetam refutat, cap. 27. in cuius initio perperam positum est Ioachim pro Zedechia, de quo vide Ieronymum. Prædicit eodem tempore Elamitis seu Persis excidium, cap. 49. Et emittit catenas ad vicinos Reges, & iubet eos seruire Regi Babylonico cap. 27.
    - Mense decimo Ierosolyma obsidetur, cap. 39.
    - Prædicit in obsidione vrbem & Regem captum iri, capit. 21. 34. 37. Et tamen illis ipsis diebus emit Ieremias agrum in Anathot, vt ostendat Deum mirabiliter politiam illam post annos septuaginta instauraturum esse (cap. 32. & regnum Christi in restituta politia inchoandum prædicit, cap. 33. Postea in carcerem conijcitur, in quo vsque ad vrbem captam desidet, cap. 37. 38. 39. 40.
    - Mense quarto Ierosolyma à Nabuchadnezare capitur, Zedechias ex fuga retractus priuatur oculis & Babylonem mittitur, capite 39. 52. ¶ Præfectus tandem Palestinæ Godolias Ieremiam amanter complectitur, Ierem. 40. Hunc interficit Israel, cap. 41. Quo vicissim pulso per factionem Iohanan reliquias populi vna cum Ieremia inuito & dissuadente, in Aegyptum abducit, cap. 42. 43. 44.
- Quod sit discrimen concionum Ieremiæ à priorum Prophetarum doctrina. Esaias & reliqui eiusdem ætatis operam magna ex parte luserant. Satis per illos litigauerat Deus, additis, comminationibus, inteserendo tamen semper mitigationes, quoties asperius populum excepisse viderentur, quandoque blandisculè etiam inuitando populum ad pœnitentiam, Deumque exorabilem fore inculcando ac propitium, si conuertantur. At quia Dei clementia contemptui hactenus fuerat, licet iam antè decem etiam Tribus in exilium abductæ essent, illis magis magisq; obdurescentibus, oportuit Ieremiam quasi fulminare aduersus tam perditos. Absque omni ergo spe veniæ & misericordiæ Dei actum esse de regno & sacerdotio & tota ciuitate clamat, & (quemadmodum Ezechiel) reos peragit Iudæos, sententiamq; damnationis extremam in illos intonat: nisi quòd respectu Messiæ consolationes raras negligere nequit, sed & id post expletos septuaginta captiuitatis annos: sicque Deum veridicum esse, & misericordem, & potentem ad nostram etiam instructionem ostendit.
- Quomodo applicanda sit nostro tempori doctrina Ieremiæ: quod quidem potest multifariam. Nam quemadmodum
  - Constantem Ieremiæ prædicationem captiuitas Babylonica sequuta est, ita iudicium extremum certissimè expectandum post fidelium Pastorum præconia.
  - Ante miseram captiuitatem præcesserat insignis Ecclesiæ reformatio per Iosiam, secundùm verbum Dei instituta, cui tamen non omnes se attemperabant, sed clanculum etiam idolomanias exercebant, & perfidè meliora etiam suis ineptijs tempora sperabant, &c. Ita luce Euangelij patefacta, multos iniquissimos hypocritas inuenias, qui veritati nobiscum non consentiant.
  - Sublato Rege Iosia, idololatræ salua omnia sibi pollicebantur, in peius tamen sensim detrusi: sic Papistæ & alij Tyranni malè proficiunt ad euitanda sua mala, orthodoxos quosque vel perimendo, vel illorum neci applaudendo.
  - In media etiam illa populi Iudaici internecione excitatus fuit Ieremias ad reliquias fidelium consolandas. Ita semper erunt electi Dei, & nunquam præcones gratiæ defuturi in hoc mundo, donec in futurum seculum perueniatur.


Dispositio

Dispositio Capitis 1. quod & ipsum instar Procemij est.

Partes Cap. 1.

- De vocatione Ieremiæ prima visione. Vbi describitur
  - Sermo vocantis Dei. Vbi
    - Deus vocans, qui quidem pro Filio potest capi, qui Patris est os, & Sapientia clamans, & per quem etiam incarnatū in extremis temporibus locutus est, Hebr. 1. Faciunt autem hæc ad excusationem Ieremiæ, se non spōtè currere, sed diuinitùs mitti ad docendum.
    - Inculcat Deus suā prouidētiā, potentiam & singularem misericordiā erga Ieremiā, quò ad eius electionem, ad prædicandū: videlicet quòd
      - Ante vterum illum nouerit Deus sapienter.
      - In vtero materno formārit per parentes potenter.
      - Ibi sanctificārit: hoc est, instar Ioannis Baptistæ vsibus sacris destinārit Spiritu suo clementer.
      - Prophetā esse voluerit, singulari gratiæ pignore, & veraciter.
      - Vnde quidem colligitur,
        - Deum nihil latere, cui etiam futura præsentia sunt, quemadmodum nonnullorum nomina etiam ante natiuitatem prædixit, vt Iosiæ & Cyri, 3. Reg. 13. & Esa. 44. 45. &c.
        - Fœcunditatem ipsius esse donum, spiritumque hominis Dei esse creaturam, Vide Psal. 139. Iob. 10.
        - Nasci omnes suā naturā pollutos, & mysterij Dei rudes.
        - Munus docendi nec fortuitum esse, nec vlla ratione cōtemnendum. Rogandus imò Deus, vt ipse intrudat bonos operarios in messem suam, &c.
    - Exprimit quibus destinārit Doctorē: nempe gentibus. Quod quidem trifariam potest capi: vel pro
      - Iudæis, qui ferè in gentiles euaserant.
      - Exteris, ad quos etiam, & de quibus Ieremias prophetauit, vt de Babylonijs, de Moabitis, Aegyptijs, &c.
      - Cuiusuis ætatis hominibus, qui ex dictis & factis Ieremiæ instrui possunt, & debent: omnia siquidem in nostram doctrinam præscripta sunt, &c.
  - Quomodo gesserit se Ieremias: Dat enim modestæ recusationis signa trifariā,
    - Exclamandi, dolendi, deprecandiq́; notula.
    - Professione inscitiæ: Non noui, inquit, loqui. Quod quidem non de mutitate dicit, sed quòd tanto negotio tam instructum Oratorem se non agnoscat. Sic & Moses se excusabat, Exodi 4.
    - Inexperientiæ attestatione, dum se puerum esse dicit. Quod non ad ætatem refertur Ieremiæ, qui ferè tunc viginti annos natus erat, sed ad inopiam proprij cōsilij, facultatis, existimationis, & experientiæ ad tantum munus, quod heroicum omnino & inexpugnabilem requirebat spiritum.
  - Quomodo obuiarit Dominus cunctationi Ieremiæ. Dum videlicet.
    - Refellit verba Ieremiæ, sese excusantis ab inexperientia.
    - Addit causam commodæ functionis: quia ipse sic velit, & eum velit ablegare,
    - Apertum dat mandatū, vt
      - Iussa sua, & quidem omnia, Ieremias annunciet. Quo testimonio refelluntur segnes Pastores, & traditionum humanarum authores, ac verbi Dei truncatores & emasculatores.
      - Neminem omnino timeat: hoc est, timorem Dei præponat omnibus, & omni formidini.
    - Animat Ieremiam ad suam functionem, & strenuitatem, quia ipse pro Ieremia stet, & eum contra omnem violentiam tueri velit. Quod quidem non sustinenda amouet, aut violentam Prophetæ necem, sed quod perpetuum triumphum Ieremias neutiquam amittat. Dei est ergo solius confortatio Ministrorum, & passiones mundi initia sunt cœlestis coronæ, & tunc vincuntur, iudicanturq́; infideles, cùm pios extinxisse se putant.
- De confirmatione, & seq. Vide literam A.

- **A.**
  - De confirmatione vocationis, quæ fit duplici symbolo: nam
    - Extendit Dominus manum suam, & tangit os Prophetæ, quemadmodum & Esaie labia viuo carbone tangit vnus ex Seraphim, Esa. 6. & Ezechieli offertur volumen deuorandum, Ezech. 2. & 3. sic & Ioanni Apoc. 10. Quid porrò hoc loco signo tali denotet Dominus, ipsemet illicò exponit: quòd videlicet verba sua in os, adeoque in mentem Prophetæ ingerat, addita causa finali, quæ sita sit in
      - Diligenti rerum omnium inspectione.
      - Intrepida super quosuis prædicatione, quæ cōsistat generaliter in
        - Destructione, scilicet idololatriæ, & prauitatum, quæ Deus odit.
        - Perditione, seu demolitione: nempe quam Deus iustè illaturus sit populo deploratissimo in sua malitia.
        - Aedificatione & plantatione: nimirum pietatis restaurandæ, & liberationis fideliū annunciandæ. Talis fuit semper veræ doctrinæ methodus.
    - Interrogat, an videat Ieremias ostensam sibi visione virgam, seu baculum vigilantem: hoc est, in promptu stantem, & illi imminentem: quem quidem alij etiam Amygdali baculū volunt, eò quòd secundum vim vocabuli Hebræi Amygdalus quoq; à vigilantia dicatur: quia citiùs & maturiùs aduigilet inter reliquas arbores ad flores fructusq; suos producendos, etiam in hyeme, & inter maxima frigora. Hoc quoque symbolum Dominus interpretatur: quod scilicet ipse inuigilet verbo suo ad perficiendum illud. Et tali quidem ostensione,
      - Animatur Propheta contra desperationem in suo munere, vt certum laboris sui fructum speret.
      - Designatur veritas prædictionum omnium Prophetiæ, etiamsi minùs illi infideles credant: fideles verò non frustrà fidem adhibeant.
      - Indicatur defensio Ieremiæ in nomine baculi, seu directio eiusdem ne labi possit.
  - De materia, & seq. Vide literam B.
  - Amādatio Prophetæ. Vbi Dominus eū
    - Promptum esse iubet ad præcepta nulla mora exequenda. Quod significat lumborum cinctura: vbi vicissim inculcatur & solius Dei præcepta, & omnia populo esse annuncianda.
    - Confortat aduersus formidinem, ratione sumpta
      - Ab vtili, & contrà: Quia si remissus erit, Deus quoque illi Spiritum fortitudinis subtrahet: contrà verò strenuè agenti, adaugebit. Excitanda ergo sunt Dei dona in nobis, 1. Tim. 4. 2. Tim. 1. &c. & exercenda talenta nobis concredita, Matth. 25.
      - A Promissione, quæ sua ratione spectat, & includit
        - Personam Prophetæ, quem Deus sit stabiliturus, id quod ostenditur simili
          - Ciuitatis munitæ.
          - Columnæ, & quidem ferreæ, grandia sustinentis.
          - Muri ænei.
        - Inimicos Ieremiæ, qui etsi numerosi & magni sint, vtpotè Reges, Principes, Sacerdotes, & vniuersus populus, omnisq; terra, pugnentq; contra eum, tamen illi non præualebunt: hoc est, coronam eius non auferent.
        - Deum promittentem, quòd stare velit semper pro Ieremia, ad eum liberandum. Vbi tamen in pugna (sub parabola munitæ vrbis) ostenditur, mala plurima Prophetæ imminere, sed victoriam etiam in morte illum non amittere. Hæc consolatio sanctis Dei seruis semper obuersata est, sibi nihil tribuentibus, & saltem orationi deditis, & deinceps robur erit constantiæ, vbi pro veritate accusantur, damnantur, occiduntur.




A

De materia dicẽdorũ Ieremiæ, altera visione inculcata; cuius generis est propositũ diuinum. Vbi

- Clades Iudæorũ à Propheta annunciãda proponitur bifariam,
  - Signo, vel symbolo visibili, & planè metaphorico in olla feruente, de quâ similiter ostẽsa, ipse Ieremias queritur. Vbi facies ollæ capitur pro ea parte, quæ igni admoueri solet, & torreri.
  - Signato, seu ipsa interpretatione: nam
    - Olla significat ipsum Ierusalem, totius regni metropolim, sed fragilem.
    - Posita in ollam, sunt proceres regni, & maior populi frequentia.
    - Aquilo est terra aquilonaris, respectu Iudææ, varijs referta gentibus, maximè Chaldæis & Assyrijs potentissimis.
    - Feruor, seu ebullitio, est angustatio vrbanorum, adeoq; totius Iudææ in obsidione futura: & quidem summa cũ fidentia ac insolẽtia hostium innumerabilium, quos Dominus vocabit: hoc est, q̃ potẽter & facilimè suo nutu accersit, quando regnis & populis ipse præsideat, & sit Dominus dominãtium, Daniel. 2. Apoc. 19. Vide de similitudine ollæ etiam Ezech. 11. & 24. Elixatio ergo significat cõbustionem vrbis, & extremum Iudæorum malũ, dum nõ credentes Chaldæis, malint potius perire, quàm vrbem dedere. Positio solij ad introitus portarũ similiter innuit confidentiam hostium, & quòd ipsi tunc iusti erũt Iudices ad portas, ad vindictam scilicet eorum, qui prauè in portis iudicia sua exercuerunt. Multitudo designatur per ambitum omniũ murorum, & occupationem omnium vrbium Iudææ.
- Causa periculi ostenditur vtrinq;, quò ad
  - Deum, qui seuerum pro sua iusticia constituturus sit populi sui examen. Impossibile est enim semper Deum silere, & tam vindictæ malorum olim obliuisci, quàm præmij diligentium se.
  - Populum, qui scilicet vindictam suis sceleribus commeruerit dupliciter. Quia
    - Plurima habeat mala, seu vitæ prauitates & enormia scelera.
    - Idololatriam apertam exercuerint, cuius partes sunt,
      - Deserere deum, id est, Dei verbo nõ credere, eum non reuereri, ad gratiam eius non confugere.
      - Dijs alienis suffitum incẽdere: quod pro veteri more dicitur, & significat honorem, cultumque Deo debitum vlla ratione peregrino Deo, adeoque creaturæ impendere.
      - Adorare opera manuũ: id est, materiã, alioqui despicabilẽ & insensatã, seu mettalli alicuius, seu ligni, vel lapidis, propter inditas membrorum figuras colere, quod scilicet iam os, oculos, nares, &c. habere videantur. ¶ Hæc peccata gradibus differunt, & ferẽ omnia in Papatu conspiciuntur, vbi pœna potiùs ista non facientibus, & mors intentari solet.

Dispositio Cap. 2. Ieremiæ, vbi incipit prima eiusdem concio, extensa ad caput 7. generis deliberatiui, & obiurgatoria, intermixta tamen adhortatione.



Partes Cap. 2. De

- Paterna Dei expostulatione. Vbi
  - Præmittitur præfatiuncula pro attentione: quod nimirum
    - Hæc verba non Prophetæ, vel cuiuspiam hominis sint, sed diuina edicta.
    - Non sibi seruanda à Propheta, vel leniter saltem prædicanda, sed clarè admodum, etiam inuitis inculcanda: nempe seu credant, seu non credant.
    - Eadem etiam hodie veris Prædicatoribus obseruanda.
  - Exordiũ sumit oratio ex verbis Domini in
    - Genere ad totum populum. Vbi
      - Gratuita dei affectio exponitur erga populum, in eo quòd extremè etiam perdito, per Prophetas consulere velit. Sumitur autem causa recordationis ab antiqua Dei bonitate & misericordia, cuius signa sunt.
        - Desponsatio populi in adolescentia: hoc est, obligatio & electio in antiquis Patribus per promissiones. Et loquitur de populo, tanq̃ de fœmina instar mariti expostulantis.
        - Traductio per desertum, quæ præsupponit liberationem ex Aegypto.
        - Consecratio in peculium gratissimum, ante scilicet & supra omnes populos.
        - Punitio rebellantium populo Israelis. Hæc omnia & Christus Ecclesiæ suæ præstitit in spiritu.
      - Veritas Dei inculcatur in omnibus suis promissionibus aduersus crassam populi ingratitudinem, cuius quidem signa ponuntur.
        - Elongatio à Deo: hoc est, obliuio Dei.
        - Ambulatio post vanitatem: hoc est, acceptatio & cultus idolorum.
        - Vanitas: hoc est, spontanea perseuerantia in vita inepta & ridicula, instar aliarum gentium idola muta colentium.
        - Obliuio præsentiæ Dei, & admirandorum eius operum, adeoq; omnium beneficiorum inde ex Aegypto, vsq; ad terram Chanaan collatorum in spatio 40. annorum.
        - Contaminatio terræ promissæ nefandis criminibus & homicidijs.
    - Specie, vbi, & seq. Vide literam A.
- Accusatione, Comminatione, & seq. Vide literaram B.

A.

Specie, vbi præsertim ordines Ecclesiastici conuincuntur, & reprehenduntur
- Sacerdotes à segnitia.
- Legis Doctores ab imperitia.
- Pastores à delictis.
- Prophetæ ab idolatria. Vbi Baal vanissimus pro omni adscitio Deo in genere capitur: cui videlicet in vllis vitæ malis innitaris extra ipsissimum creatorem.

B.

Accusatione, seu criminatione populi. Vbi
- Per se Dominus conuincit illos, dum inquit: Iudicio contendam vobiscum: id est, pro meo iure iudicaturus sum vos.
- Citat ipsorummet censuram, in eo quòd vel ipsi videant vanos vbique idololatras constantiores fuisse in suis falsis dijs colendis populo Iudaico, qui à vero Deo iam desciuit. Vbi Cittim Græciam significat, Kedar verò Arabes: in genere tamen pro tota gentilitate ponuntur.
- Exclamationem facit ad cœlos de gemino iniuriosissimoq; populi commisso. Quòd
  - Deum fontem viuum, scilicet inexhaustæ bonitatis & clementiæ reiecerunt.
  - Ad vanissima idola defecerunt: quæ nimirum arida & planè inutilia sint, instar siccæ cisternæ ad opitulandum.

Commmatione pœnarũ. Vbi
- Interogatione confundit Dominus Iudæos in vana suæ prosapiæ iactantia. Nam si sunt domestici Dei, cur non illi obediunt: aut si baculis plectuntur tanquam serui & extranei, cur se nomine filiorum coram Deo peruersè iactant?
- Comemorat Dominus vastitatem populi per
  - Leones rugientes: hoc est, per sæuissimos tyrannos, Babylonios.
  - Aegyptios, quorum primariæ ciuitates erant Noph: hoc est Memphis & Taphnes,
- Per metaphoram eripit omnem fiduciæ occasionẽ de fœdere hinc vel inde sanciẽdo sicut antea sæpè fraudulenter factitârant. Vel, exprobrat illis Dominus participationẽ religionis in ipsa legatione. Et sic, bibere de Nilo & de Euphrate, non tantùm vanum & laboriosum iter significabit, quo viatores ad potum inuitari solent, sed & dogmatis prophani participationem.
- Conuincit illos culpæ per summam ingratitudinem, duplici parabola. Quòd cũ instar
  - Captiuorum ex vinculis redempti essent, tamen apertè renuerint Deo liberatori seruire, ad idololatriã fœdissimè deficientes.
  - Vuæ nobilissimæ à Deo plantati, & in summam euecti essent maiestatem, tamen improbè Deum irritârint.
- Repetit & amplificat inexcusabilem Iudæorum idololatriam. Vbi
  - Accusat eorundem impudentiam, quòd sese vel excusent, vel excusare sceleratissimi parent.
  - Damnat factum ipsum idololatriæ plusquam meretricium, & ipsis Iudeis exitiosum, exemplo Cameli & Onagri fœmellæ: prurientis scilicet ad vagam libidinem, ac mixtionem. Nam quemadmodum illæ per onus conceptionis, deputato mẽse facilè succumbunt, ita, inquit, & te tua mala conficient.
  - Exprobrat refractariam vocem cõtra sana Dei consilia, prohibentis illos ab inani discursitatione & fatigatione, quòd designat nudatio pedis, seu discalceatio & sitis gutturis.
- Minatur speciatim omni ordini propter idololatriam, exemplo furis in actu depræhensi, & quòd in tempore afflictionis ad factitios suos Deos Dominus illos ableget.
- Accusat denuò peruicatiam populi amplificatione facta
  - A refractaria illorum contentione aduersus Deum iustum.
  - A disciplina non recepta, per multas etiam plagas.
  - Ab interfectione sanctorum Prophetarum.
  - Ab exclamatione, dum quasi posteritatem omnem in testimonium adhibeat Dominus suæ omnipotentiæ, sufficientiæ, ac liberalitatis erga populum rebellem.
  - A comparatione virginum sponsarumq; sedularum, & sui populi obliuiosi.
  - A diligẽtia populi in acquisitione peruersæ idololatricæq; viæ, quæ tamen mala sit.
  - Ab interfectione innocentum plurimorum, seu Prophetarum: qui tamen instar furum domos effodientiũ, non erãt in crimine depræhensi, & puniendi (vt Lex innuit Exod. 22. vers. 2.) sed tantùm in his omnibus, id est, in propatulo corrupti fuerunt: vel, Super hæc omnia, id est, idcircò tantùm, quia liberè contra omnes prædicauerint: vel, Quia hæc omnia, & hæc eadem tua facinora tibi exprobrarent.
- Minatur vicissim illis propter contumaciam, cõfusionem, tam ab Assyrijs, quàm Aegyptijs, quibus reiecto Dei patrocinio, confidere in suis malis solebant.

Dispositio Capitis 3. adhuc pro prima Concione.

HORTATVR Dominus per Prophetã ad pœnitentiam Iudæos,

- Insigni & inæstimabili sua clementia per comparationem repudij maritalis auxesi facta: quasi dicat: Tritum est inter vos dicere, & quidem ex mea Lege, quæ extat Deut. 24. quòd vbi semel maritus repudiârit vxorem, tradito eidem libello repudij, seu innocentiæ, & illa alteri viro nupserit, non queat tandem, etiamsi maximè cupiat illam, tam viuo quàm mortuo secundo marito repetere. Secus enim, nimirum tam promiscua & libera mixtione terra pollueretur. Atqui ego te recipere non detractabo, innumeris pollutam amatoribus, &c. Hæc est Dei clementia insuperabilis, de qua & Dauid multis Psal. 103. 104. & Christus Luc. 15. in parabola filij perditi, &c.
- Accusatione Iudæorum
  - A multiplici fornicatione: hoc est, idololatria, non violenta, sed libera, instar prædonum. Vnde item duo mala euenisse ostenditur, offenso Deo: primum, quia terra sit polluta: secundum, quia tempestiuæ pluuiæ denegatæ. Vide simile & Oseæ 2.
  - A socordia reuertendi ad pœnitentiam, Deumq; placandum nunquam non benignissimum.
  - A contumacia in verbis præfractis & factis, & perseueratione in malis aduersus Deum. Vbi inseritur pro amplificatione captiuitas etiam decem Tribuum, veluti repudium à Deo, quo tamen nihil moti sint Iudæi Ierosolymitani.
  - Præoccupatione, qua ait Dominus, illos falsam simulare, etiamsi præ se ferant, reformationem ad conspectum pij Regis Iosiæ, aliàs pristinæ idololatriæ inhiantes. Hæc ferè omnia in cæcum, erroneum, meretriciumque Papatum multis ritibus insatiabilem, & ligno lapidibusq; multifariam fornicantem, aptè hodie torqueri possunt.
- Comparatione Israelitarum: hoc est, decẽ Tribuum, abductarum in captiuitatem per Salmanazarẽ cum ipsis Iudæis, qui ita propriè ex duabus Tribubus. Iuda & Beniamin, appellabantur. Vbi
  - Extenuat Dominus respectu Iudæorum peccata Israelitarum, quòd nec captiuitate illorum hi sæpius ac sæpius vocati resipere voluerint.
  - Pollicetur Israelitis ex Aquilone, hoc est, Babylone, futuram liberationem, addita ratione à naturali sua misericordia, sed per modulum vnius pœnitentiæ, quæ confessionem humillimam pariat.
  - Prædicit per eandem suã misericordiã, & modulum pœnitẽtiæ parem cũ Israelitis, Iudæorũ quoq; liberationẽ ex certissima seruitute, additis circunstãtijs
    - Diuersarum personarum, diuersorumq; locorum & familiarium ex quibus singillatim quasi suos fideles eliberet: quasi dicat Dominus, Tam sum propensus ad misericordiam, vt quamuis vniuersum semen Abrahæ elegerim, tamen singillatim quoq; vos ad me reuertentes paternè excipiam. Ne aliquis in catholica corruptione desperet.
    - Vrbis Ierusalem, seu Sion, quæ designat Ecclesiam.
    - Pastorum fidelissimorum, quorum summus & præcipuus Christus.
    - Religionis non solùm illustratæ, sed & concordis: vt nimirum legalium omnium, respectu Christi, obliuiscantur: vel quòd nulla amplius æmulatione laborent, sicut antea Arca Temploque soli Iudæi aduersus Israelitas prærogatiuam habuêre.
    - Concursus gentium ad eandem fidei communionem: hoc est, Iudæorum & Israelitarum in reditu, vel omnium Paganorum, in tempore Christi.
    - Stabilitatis piæ Christianæq; confessionis in electis, iuxta illud, Credo Ecclesiam sanctam catholicam, &c.
- Dialogo aptè inducto, ad maiorem populi instructionem. Vbi
  - Ponuntur verba Dei, quasi interrogantis Prophetam, vel consultantis secum, quomodo reparari possit semen Abrahæ, quasi iam emortuum in seruitute, subiecto modo pœnitentiæ, quam semper gratam habuisset: contrarium interea Iudæis fornicatoribus committentibus.
  - Subnectuntur verba Prophetæ, quasi intercedentis & miserentis populi in summo eius fletu, qui quidem prior esse possit inter Israelitas, ad mouendos Iudæos, maiori supplicio dignos.
  - Infertur Deus spontè vocans ad sese populos transgressores, ne desperent.
  - Ponitur forma debitæ elegantissimæq; pœnitentiæ populi per confessionem, quæ perpetuò valere posset, & Deum propitium habere. Hæc sanè omni tempore Christiana est satisfactio, non meritoria aliqua Papistica, atq; nugiuenda, &c.

Dispositio Capitis 4. pro prima Concione.

ITERVM cohortantur ad verã pœnitentiam

- Israelitæ captiui, qui quia pœnitentiam, sed fictè ostendebant, admonentur per Prophetam voce Dei, vt verè, & ad solum Deum conuertantur, cuius signum erit ablatio idololatriæ, & nulla postmodum præuaricatio, succedente illi cultu Dei purissimo, qui per iuramentum exprimitur. Vbi
  - Particula Viuit Dominus, est substantia iuramenti, tantùm valens atque, Sic me Deus adiuuet.
  - Veritas includit candorem & congruentiam mentis cum ore.
  - Iudicium discretionem habet sanctè vel temerè iurandi,
  - Iusticia ponit discrimen præstandi, vel non præstandi iuramentum, iuxta quod fuerat licitum, vel illicitum.
  - Benedictio gloriatioque gentium in Deo, respicit vel liberationem populi secundùm veritatem, potentiam, misericordiam, sapientiamque Dei, vel cultum Iudæorum facilè imitabilem, propter puritatem.
- Iudæi Ierosolymitani.
  - Paterno Dei consilio, petita doctrina ab agricultura, vnde officium suum facilè metiantur.
  - Bono populi: vt nimirum Deum habeant propitium, priorumq; facinorum oblitum. Vbi
    - Circumcisio præputij pro repudiatione omnis gentilitatis ponitur.
  - Terrore imminentis mali ab Assyrijs. Vbi
    - Per mimesim referuntur verba Iudæorum, frustrà confluentium, & de salute consultantium, vbi hostes aduenerint.
    - Describitur tragica facies obsidionis Iudæorum per Assyrios Leonibus assimilatos.
    - Confirmatur seueritas iræ Dei bifariã: q.
      - Ne pœnitentiam quidem (intellige eam, quæ solo malorum sensu extorquetur) placari possit.
      - In summam desperationem ac consternationem animi venturi sint omnes, etiam ij qui antea populum confortabant.
  - Pathetica exclamatione, quoad pœnã Iudæorũ propria cõtumacia accersitam, voce
    - Prophetæ, dolẽtis populum falsis magis Prophetis & seductoribus, quàm veris fidem abhibuisse, mero Dei irati iudicio.
    - Dei, assimilantis vires Nebuchadnezaris
      - Vento validissimo & exiccanti, qui flet à plaga Deserti, ea via, qua populus olim ingressus erat, Iudææ maximè perniciosus, non purgans, vt aliquando ventus solet, sed adurens frumenta.
      - Tempestati, seu grandini ex condensata nube oriundo.
      - Vento Aquilonari celeberrimo, quoad equites,
    - Oppressorum Ierosolymitanorum, quòd prorsus vastentur.
  - Noua, & verè prophetica exhortatione. Vbi Ieremias.
    - Suadet Iudæis toto animo, & non hypocriticè ad Deum esse conuertendum: intima scilicet omnia perscrutantem.
    - Spiritu prophetico prædicit contra eorum confidentiam, paratum eorum malum ab Assyria, vnde in Tribum Dan primus futurus erat impetus, & per montes Ephraim ad Iudæos Ierosolymitanos,
    - Vulgarissimum fore ait rumorem vastationis Iudæorum, tam inter gentes, quàm Ierosolymitanos. Vbi vocabulum Memorate, idem est quòd memorabitur, & annunciabitur: Et Vigilatores, seu obseruatores, Hebraicè Noserim, idem quòd Nebuchadnezarani: nempe milites, qui à Cæsare Cæsareani.
    - Causam extremi & penitissimi mali adscribit ipsorum contumaciam.
    - Exaggerat vicissim periculũ Iudæorum, mira eorum deploratione. Vbi
      - Ex sua persona Ieremias deflet vestitatem populi, & omnem tam humanorum, quàm diuinorum ædificiorum.
      - Causam refert tanti mali ex verbis Dei, expostulantis de prauitate sui populi, iam diu inuitati ad pœnitentiam.
      - Iterum deflet Ieremias propinquam vestitatem terræ olim fertilissimæ.
      - Vicissim verba Dei refert,
        - Commemorantis miseram populi terræque suæ cladem.
        - Eludentis vanam populi fiduciam, respectu vanorum deorum, vel confœderatorum.
      - Gemit Propheta malum & internecionem popularium suorum spiritu prophetico præuisam, sub perpetua, vt & pleraque alia, sermonis figura, ad maiorem populi affectum.

Dispositio Capitis 5. pro prima Concione.

ACCVSATVR deplorata publicaque malitia populi, Deusque summè iustus, & summè misericors esse ostenditur. Vbi

- Infertur Deus vel gratia vnius boni incolæ, Ierosolymam seruare cupiens, si inueniri talis, vel anxiè quærendo possit. Id quod tamen extra Baruch, Iosiam, Sophoniam, Abimelechum, & quosdam alios Prophetæ adhærentes, de ijs intelligendum, qui ab initio veros Prophetas respuerant atque odio habuerant.
- Testem se sistit Propheta malitiæ populi quòd perfidè egerint semper, & nullis plagis emendari potuerint, tam plebei quàm magnates, crassa ignorantia detestabiles.
- Parabola trium sæuissimarũ ferarum demonstratur misera vastatio Iudæorum, addita causa multiplicatæ transgressionis.
- Causæ recitantur denuò iustæ Dei iræ in populum: videlicet
  - Idololatria.
  - Fornicatio & lasciuia, seu libido efrons, & plus quàm pecuina.
  - Præpostera securitas in contemnendis minis diuinis, & Prophetarum concionibus, quæ tamen illis in seueriorem cedent vindictam.
- Hypotyposi exprimitur clades Iudæorum, secundùm omnem hostis insensissimi promptitudinem ad terrendum & nocendum.
- Dialogismo exaggerat Deus in captiuitate futura sui populi tam irremissum suum rigorem, quàm Iudæorum fuerit deliquium, maximè per cultum idolorum.
- Ex ore Domini ita iubentis, amplificat iterum Propheta stupiditatem populi. Vbi
  - Generaliora peccata ponuntur duo. Quòd
    - Securi contemnunt Prophetarum verba.
    - Maiestatis potentiæque diuinæ nulla tanguntur reuerentia, exposita per antithesim aquarum marinarum, limites suos non transgredientium, populi rebellione.
  - Flagellum Dei pluuiam tempestiuam subtrahentis, ex iusta sua ira subtexitur.
  - Species aliæ delictorum per singulos ordines recensentur: videlicet
    - Insidiantium sanguini per milites.
    - Defraudantium per negociatores.
    - Iura seu leges peruertentium per Magistratus.
    - Prophetantium mendacia.
    - Sacerdotum malis conniuentium per Simoniam.
    - Plebis vniuersæ suos perditores diligentis & approbantis, addita aposiopesi de extremo tam deploratæ polytiæ exterminio.

Dispositio Capitis 6. adhuc pro prima Concione.

PARTES Cap. 6.

- Pœnæ commemorãtur Iudæorum. Vbi
  - Per hypotyposim compellat Propheta loca Ierosolymæ vicina, vt dent sibi inuicem signa ad confluendum pro communi salute.
  - Subiungit rationem concursus: quia Babylonij adsint ad perdendum.
  - Parabolã certatim amatæ Bucolicæ cuiuspiam puellæ, ostendit Babylonios Ierosolymæ cum primis inhiare ad potiundum ea, & occupandum.
  - Fingit barbaras militũ voces & Ducum feruentium in obsidione, vt qui apertè in meridiana etiam luce irruere audeãt, & sibi diem citò præripi conquerantur, & per tenebras etiam cœptam expugnationem minime intermittant.
  - Inducit Deum ex iusto furore quasi instigantẽ milites ad perniciem Ierosolymorum, addita causa iræ prouocatæ.
  - Subiungit consilium pœnitentiæ ex verbis Dei mirè zelantis.
  - Anadiplosi Hebraica per parabolam Vindemiatorum ostendit Propheta ex verbis Domini reliquias tãtùm populi abducẽdas in captiuitatem: nimirum quæ ex peste & gladio & fame superetũt. Vbi
    - Exprobratio instituitur vicissim de duricia Iudæorum in admittendis Prophetis.
    - Stat Ieremias pro parte Dei, quasi intercedere iam pro deplorato populo amplius nec velit, non possit.
    - Magnitudo periculi exponitur, cũ quo ad omnes Iudæorum ordines, tũ omnia loca extrema clade circũuenta.
    - Causæ excidij refricãtur. nempe
      - Auaritia generalis.
      - Mendatium Prophetarum & Sacerdotum inani fiducia sese & populum lactantium.
      - Idololatria generalis & impudica, omniq; exterminio digna.
- Consilium datur Iudęis de malo imminenti effugiendo. Vbi
  - Suadet Dominus antiquam, id est, veteribus Patribus cultam professionem esse sectãdam, ne quid præsentis temporis deliria vanasq; persuasiones populus moretur.
  - Correctionem infert, quòd frustrà moneat semper contumaces.
  - In testimonium citat iustæ suæ vindictæ
    - Gentes.
    - Electos & pios in medio populi. Quem contextum alij sic legũt, Quæ sunt in illis: scilicet peccata, vel, Quid in eos: scilicet constituerim. Sed melius, Cognosce, inquit, congregatio quæ in eis: scilicet es.
    - Terram inanimatam, per prosopopœiam.
  - Reijcit spem veniæ, quoad externos ritus, etiam si sint preciosi & laboriosi: quia sine fide & innocentia vitæ exerceantur: vnde promiscuam persensuri sint cladem. Hæc omnia bene in nostros Papistas quadrabunt. Porrò similis sacrificiorum reprobatio legitur à Deo facta, Ierem. 7. Psal. 50. Esa. 1. Mich. 6, Malach. 1. Legatur & de calamo Plinius lib. 12 cap. 22.
  - Exaggerat Propheta horrendam Iudæorum vastationem trifariam. Voce
    - Dei per hypotyposim aduentantes hostes depingentis.
    - Populi ex consternatione quiritantis, & sese coarctantis in vrbe.
    - Ieremiæ extremum planctum, suadentis, imò denunciantis, vel ipsam pœnitentiam per externa symbola: vterq; enim sensus bene quadrabit: præsertim adhibito exemplo vnigenti defuncti, addita ratione magni & repentini mali.
- Accusat Dominus rebelles peruicacesq; Iudæos. Vbi perpetua allegoria,
  - Excitat Ieremiam ad cognoscenda & examinanda facinora populi sui.
  - Conuincit populũ multorum criminum.
    - Apostasiæ. Fraudum.
    - Impudentiæ, vel duriciæ: vtrumque enim æs & ferrum denotat: quasi dicat, ærea & ferrea facie, vel duricia instar ferri.
    - Vanitatis instar follis combusti: quod dictum etiam Ieremiæ bene aptatur, quasi is follis fuerit Dei ad clamandum, seu concionandũ populo, sed frustra consumptus in labore docendi.
    - Impuritatis instar scoriæ hõ expurgatæ, seu plumbi adhuc residui. Vbi enim ea immixta est materiæ, impura adhuc ipsa habetur.
  - Concessione admittit Dominus populum hypocriticum vocari argentum, sed impurum, ac reprobatum, adeoq; per Babylonios, quasi antro Aethneo & Cyclopico adhuc decoquendos. Vbi typus habetur ignis æterni apud inferos illis parati, qui Verbo Dei emendari nolunt.

Dispositio

Dispositio Capitis 7. vbi secunda Ieremiæ concio incipit, extensa ad Caput decimum.

PARTES Cap. 7.

- Hortatur Propheta Iudæos ad pœnitentiã. Vbi
  - Iubetur stare Ieremias ad portam Templi, ad clamandum pro introeuntibus, & exeuntibus. Monent autem Interpretes septem fuisse portas Templi, tres ad Aquilonem, tres ad Meridiem, & vnam maximè celebrem ad Orientem, ad quam collocatum existimant Prophetam.
  - Emendatio priorum factorum exigitur, adiuncta promissione pacificæ mansionis.
  - Reijcitur fiducia Iudæorum in Templũ, ac ceremonias. Vbi triplex Templi repetitio propter tres eius partes habetur: nempe vestibulũ, Templũ & aditum, seu sancta sanctorum.
  - Recensetur pietas Deo debita in
    - Genere, vt deponantur viæ & studia priora.
    - Specie, vt exerceatur
      - Iudicium verum à Principibus.
      - Innocentia.
      - Dei veri cultus, adiũcto amplissimo prœmio: nimirum persistendi in patria: sed sub intellecta antithesi, hoc est, certo exilio, nisi emendati fuerint.
- Refutat falsam eorundem fiduciam, quam habebant vel in
  - Templum. Vbi
    - Apertum esse ait mendacium, seu merã seductionẽ, quampiam in externis fiduciam.
    - Causas subnectit ex multiplici peccato, cuius summarium est aperta idololatria, cùm tamen Templum veri Dei frequententt.
    - Docet quis sit veri Templi Dominici vsus: nimirum non negociatio, non libera deambulatio, non prophanus boatus, &c. quæ pro latrocinio etiam à Christo referuntur, Matth. 21. sed intimus Dei vnanimiter adorati timor.
    - Ostendit ex verbis ipsius Domini, per exemplum Silo, nullum quantumuis sanctum vetustumq́; locum peccatores incurabiles tueri posse ab impẽdentibus malis. Et hic nomen suum Dominus ab antiquo ait sese collocauisse, propter Tabernaculum Arcamq́; ibi initiò depositam, vt habetur Ios. 18. vbi nomen suum inuocari volebat. Atqui propter peccata Israelitarum, filiorumq́; Heli, tandem & Arca capta fuit à Palestinis, & Silo funditùs deleta.
    - Accommodat allegatum exemplum Iudæis similiter perituris, eò quod nondum, sæpè vocati, emendari potuerint. Vbi insigni memoria dignum est omnem Prophetæ functionem, & contemptum Deum sibi personaliter adscribere. Porrò semen Ephraim dicitur, propter primum Regem ex ea Tribu. Vnde apud Prophetas passim Ephraim pro vniuerso etiam Israele capitur.
  - Sanctorum intercessionem. Vbi
    - Reijcitur à Domino etiam Ieremias, vt nihil pro populo intercedat, nec precando nimirum, nec deprecando quippiam. Similia leguntur Ierem. 15. Ezec. 14 &c.
    - Ratio additur, quasi digito ad Ieremiam extenso: quia nulla sit via misericordiæ ob apertissimã communemq́; idololatriam. Vbi per machinam, vel reginam cœli, alij sydera, alij Lunam intelligunt supra quæ Sol quasi rex esse videtur. Notum est autem Deum interdixisse illorum omnium cultum in sua Lege: ideoq́; neomenias instituisse, vt sibi potissimùm renouationis omniũ honor deferretur, tanquã creatori. Etquãuis potuerint dicere Iudæi se Deum in illis honorare, libamina operando tamen vides Deum pro aperta sumere idololatria qualemcunque respectu eorum cultum. Vnde Papistæ excusari non possunt, diuos multifariam st: tuis, picturis, precibus, ieiunijs, &c. venerantes: quemadmodum olim in Arabia, Epiphanio teste, in Panaria, Mariæ Reginæ cœli nuncupatæ, placentæ sacrificabantur. Vide 4. Re. 17. & 21. de adorata militia cœli à vanissimis Regibus & populo. Lege item infrà Ier. 44. de furibundo populi ausu aduersus interdictum Dei.
    - Confusio & supplicium pertinacibus denunciatur, vsq́; ad res eorundẽ inanimatas.
  - Sacrificia & oblationes. Vbi, vt omnia sint ponderosiora, verbis dei Propheta vtitur, atque
    - Iubentur Iudæi stomacho suo congerere carnes immolatas, quibus Deus nihil delectetur. Quę locutio extrema sapit indignationem & contemptum, arguitque Iudæos, ventris potius gratiã, quàm internæ pietatis sacrificia exercuisse.
    - Ratio additur repudij, quia extra Dei mandata illa offerant. Atquĩ si quis vrgeat antilogiã, quia tempore liberationis ex Aegypto maximè apud Sinai victimas & sacrificia Deus verbo suo mãdauerit: aperta est responsio Non enim ita præceperat Deus, eoq́; fine quo hic Iudæi exercebant, citra omnem fidem, pietatẽ, puritatem: ex mera scilicet hypocrisi, præsumptione, quæstu & ingurgitatione. Verùm quid de Papistarum sacrificijs dicemus quę nulla omnino ratione Deus præcepit, requiritque?
    - Emendatur abusus Iudæorum, restringiturq́; ad viam mandatorum Dei, quæ omne arbitrium humanum tollit, vt nutui saltem diuino ab omnibus vacetur per vnicam & internam obedientiam, addita sufficienti retributione.
- Accusat, Minatur, & seq. Vide literam A.

- A.
  - Accusat grauiter impœnitentes. Vbi
    - Conuincit rebellionis Patres quoque ipsorum, iam à tempore egressionis ex Aegypto, quibus filij itidem peiores sint.
    - Confirmatur malitia Iudæorum, eo in primis, quia nunc etiam Prophetis, imò Deo ipsi nulla fides & attentio habeatur.
    - Mandatur nihilominus Prophetæ, vt pergat taxare Iudæos, quò magis sint inexcusabiles. Vbi propter deploratam corruptionem nequaquam populum suum, sed Gentem Dominus eos nuncupat. Quod maximè in tempore Euangelij Iudæis incredulis applicabile est, fide omni eorum excisa, &c.
  - Minatur extremam vastitatem corruptis. Vbi
    - Iubet Propheta fletum ad cœlum vsque tollere Iudæos, quos in genere fœminino (sicut & alibi non rarò) compellat, tanquam filias Ierusalem, vel mulieres. Iubet etiam capillos tondere, quod & Iob in tristissima filiorum morte fecit, tanquam signum extremi doloris.
    - Causa iustæ lamentationis additur à iusta & seuera Dei ira.
    - Memorantur peccata Iudæorum prope gentilitia, quorum
      - Conspurcatio Templi Dei idolis, contra ea quæ leguntur Deuter. 7. Erant autem peculiaria idola Baal, Astaroth, Chemos, Milchom, &c. quæ resipiunt plurima Papistarum sacella, diuis peculiaribus nuncupata.
      - Erectio idoli Moloch in nemorosa valle, seu planicie Ierusalem, vocata Ge, hoc est, vallis, Hinnom scilicet hominis sic appellati, cui ea pars amœnissima per sortem in distributione hæreditaria cesserat. Dicitur & aliâs vallis filiorum Hinnom, vbi crudeli admodum & gentili ritu dementati homines, filios vel filias proprias igne comburebant, vel saltem per flammam traducebant: forsan cacozelia sancti Patriarchæ Abrahami, vel Iephtę. Et quia abominandum illud spectaculum sonitu organorum musicorum & tympani per Sacerdotes temperabatur, ne videlicet eiulatus vtrinque exaudirentur: idcircò appellabatur sacrum illud vel locus Tophet, à tympano, qui Toph dicitur, vel à dilatatione. Vide de hoc Deut. 12. Esa. 30. Ierem. 19. 4. Reg. 16. 21. &c. Ab hoc execrando igne vallis Hinnom appellatur, & Infernus à cruciatu perenni, Gehenna, Matt. 5. 10. &c. Moloch porrò Ammonitarum idolum, 3. Reg 11. &c. significat Regem Latinè, Papistarum etiam Cenobitarum, & Nonnarum hodie numen in violento, impuro, religiosoq; suo cœlibatu. &c.
    - Comminatio attexitur triplex. Quòd
      - Vallis illa Tophet amplius dilatationis & amœnitatis non erit per Babylonios, sed quasi polyandrion, à plurimis ibi peremptis, quibus recipiendis vix sufficiat.
      - Corpora interfectorum vltimo sepulchri honore caritura, à feris deuorentur.
      - Nullum omnino gaudij supersit vestigium, ne eius quidem quod aliâs & licitum, & vulgarius esset, addita ratione: Quia terra in solitudinem redigetur.

Dispositio Capitis 8. pro secunda Concione.

- PARTES Capit. 8.
  - Commemorat pœnam horrendam populi. Vbi de
    - Mortuis tria tãgit, indicans & in eis signum vindictæ Dei: nam
      - Hypothesi depingit ossa etiam Principum, Regum, Sacerdotum, & Prophetarum ex terra erutum iri à Chaldæis, maximè propter ornamenta in sepulchris condita.
      - Indicat illa ad Solem & Lunam, & exercitum, seu militiam cœlestem, hoc est, ad sydera expandi: quibus nimirum in viuis cultum præstiterant.
      - Prædicit ossa eadem nec colligi, nec sepeliri, sed instar stercorum abiectum iri. Vbi tamen tenendum est, Sanctorum quoque interdum ossa in sepulta dici, sed alio fine: Bonis enim omnia in bonum.
    - Viuis tria itidẽ: nam
      - Docet tantam fore calamitatem residuorum à morte, vt mortem & ipsi malint, quàm vitam, vbi vbicunque futrui sint.
      - Disceptat cum præsentibus, quòd lapsum seu casum pedum citò emendent, & sese surrigant: causum atem, seu potius occasum religionis non curent.
      - Exprobrat suo ipsius testimonio Propheta populi contumaciam. Vbi
        - Interrogatiua phrasi exprimit deprehensam in malitia peruicaciam.
        - Similitudine equorum in prælia ruentium depingit temeritatem eorum ad malum.
        - Exemplo brutorum animalium, ciconiæ, turturis, gruis & hirundinis, ostendit obstinatam cæcitatem Ierosolymorum in iudicijs Domini obseruandis. Vbi non de arcanis illis, quæ abyssus sunt, sermo est, sed de pœnis, quarum toties fuerant admoniti.
  - Confutat, Minatur, & seq Vide literam A.

- A.
  - Cófutat Propheta inanem populi fiduciam, quoad suam ipsorũ sapientiã, Sacerdotumq; promissiones. Vbi
    - Repudiat omnem eiusmodi scientiam & gloriationem, quæ verbum Dei non curat, & mendacia tradit.
    - Subiungit pœnæ descriptionem in familia & agris ipsorum: hoc est, tam intus, quàm foris.
    - Inserit querimoniam de eorundem peccatis, pro causis pœnarum, taxando in omnibus ordinibus auaritiam & mendacium.
    - Arguit mendacij omnem Sacerdotum animationem, vtpotè impudicorum & occæcatorum in vero Dei cultu.
    - Minatur eisdem parem cum cæteris cladem, & omnium facultatum ademptionem, sub metaphora Vindemiatorum, fructus omnes recolligentium.
    - Inducit pro auxesi pœnarum miserum populum secum consultantem: vt nempe malis vndiq; circumuentus, quonam sese recipere debeat: quasi dicat, aut in agris, aut in locis alijs vbi prædæ expositi fuerint, vnà cum rebus suis collectis, frustra ad loca municiora ac vrbes sese colligere tentabunt.
    - Veram malorum causam subtexit, prouerbiali interserta locutione in potatione fellis, &c.
  - Minatur Iudæis cladem. Vbi
    - Auget terrorem bifariam,
      - Hyperbolica locutione, quòd à Dan, hoc est, extrema & dissita Tribu, audiantur fremitus equorum militum ad vastationem propendẽtium. Quanquam per Dan non incommodè intelligitur etiam ciuitas vetus ad fines Phœniciæ, *Lais* antea dicta: sed à Danitis ipsam occupantibus Dan appellata. Vide Iudic. 18.
      - Similitudine venenatorũ animalium: quòd nimirum non tantùm violenter irruent hostes, instar equorum, sed etiam quòd virulenti erunt ipsorum morsus, quasi viperarum & regulorum. In voce autem Incatationis, respicit Propheta, non quid verum per se fit: dubium enim est valdè, an serpentes incantentur: hoc est, eneruentur, aut occidantur voce, sed quid vulgo dici soleat.
    - Erumpit in exclamationẽ cuius triplex potest esse sensus: nam si respectu
      - Prophetæ dicatur, idem est quòd temperare sibi nequeat à fletu & anxietate ob cladem populi.
      - Dei, similiter in idem recidit sensus per anthropopathiam.
      - Vt quidam volunt, obstinati populi: idem est quod, volui roborare animum meum aduersus Dei minas, sed tandem totus fractus sum malis, & concidi.
    - Instituitur dialogismus Dei cũ populo, & contrà. Vbi
      - Deus fingit per Prophetam, audire sese querimonias abductorum in captiuitatem, quòd totius Sionis curam deposuerit.
      - Subiungit causam repudij. Quòd offensus sit idololatria sui populi, qua ipsi priores Deum quasi expellere sua ditione & Templo voluerint.
      - Ponit verba Iudæorum, quiritantium vel de diuturnitate suæ captiuitatis, quæ per certas anni partes Messem & Aestatem designatur: vel de mora confœderatorum in ferendo auxilio tempore obsidionis, qui vel ab Aegypto, vel aliundè: maximè post fruges in horrea congestas adesse debuerant.
    - Noua forma sermonis, peruicaciã pœnamq; populi denotat. Vbi
      - Ostendit Propheta, se ex intimo affectu cladem populi dolere. Quæ verba nonnulli ad Deum referunt: nonnulli autem etiam ad Prophetam & diuerso à priore sensu: quasi dicat, sese contritum, obtenebratum, vel contemptum prorsus esse, quòd populi miseriam decantet: qui tamen sibi bene esse videatur.
      - Significat cladem populi exitialem, modisque omnibus insanabilem futuram, sumpta metaphora per exclamationem à resina, vel balsamo in Galaad, abundantiùs proueniente: vnde vnguenta & emplastra fiebant aduersus lethiferas passiones, & Chirurgis ibi abundabatur: quasi dicat, Nondum destituta esset Iudæa necessaria medicina, & Prædicatoribus pœnitentiæ. Cur ergo sola non est sanabilis?

Dispositio Capitis 9. pro secunda Concione.

PARTES Cap. 9.

- Confutat Propheta confidentiā Iudęorū, fixam in
  - Consensionē, seu conspirationē: nimirum vrbanorum inter se, vel cum confœderatis (quæ ordine sexta est à superioribus.) Et hic
    - Significat Propheta tam horribilem Iudæorum cladem, vt nec mediocri, nec vsitato luctu possit satis defleri: vnde mira sermonis transfiguratione vtitur, quasi se totum in lachrymas resolui cupiat.
    - Optat sibi vitam solitariam, & excessum è medio popularium.
    - Subnectit causas à diuersissimis eorundē peccatis, quorum vsitasiora recensentur.
      - Adulterium.
      - Conspiratio sceleratorum.
      - Fallacia, seu mendacium.
      - Nocentia.
      - Obliuio Dei.
      - Defraudatio, seu perfidia, etiam erga propinquos.
    - Arguit Dominus, teste Propheta, apertæ iniquitatis, indignæq; obliuionis Iudæos.
    - Minatur eisdem dispersionem, seu resolutionem, sub metaphora metallariorum, seu coquorum, contra præfatam eorundem conspirationem.
    - Format orationem de veritate suæ vindictæ interrogatione: quasi nihil omnino reliquum sit aliud agere, quàm punire & cędere suos.
    - Repetit ex peccatis Iudæorum falsiloquium, seu verba insidiosa proximorum, vbi corda linguis non consentiant.
    - Iterum se extimulat Dominus pro sua prouidentia, authoritate & iusticia ad supplicium infligendum Iudæis, quos hic Gentes appellat, & sibi per anthropopathiam animam vindictæ auidam attribuit.
  - Facultates, opes, & munitiones regias, (quæ septima est fiducia.) Vbi
    - Ad coarguendum populi præfracti stuporem, accingit se Propheta ad luctum, qui excellat montes, vel super montes, arcibus insignes, & pascua tuguriolaque pastoralia: veluti interitum eorum deploraturus. Notum enim est, amplas Iudæorum opes ex pascuis opimis constitisse olim, arcesque eorundem fortiores in montibus sitas fuisse.
    - Causam luctus ostendit: extremam scilicet terræ omnis desolationem per Chaldæos: quam quidem tam animosè corā Principibus & ciuibus nunquam per se Ieremias sustinuisset dicere, nisi spiritu diuino ita intrepidus perstitisset.
    - Instituit dialogismum, in quo
      - Infertur persona prophetiarum Domini gnara, vel vltionis diuinæ homo conscius.
      - Additur expositio Domini de suo cultu neglecto, idololatriaq; à Iudæis recepta, malo etiam priorum exemplo.
    - Subijcit vicissim propositum, minasque Domini de perdendo, vexando disperdendoque rebelli populo, orationi figura absynthij & fellis interfecta.
- Recenset mala populo Iudaico imminētia. Vbi
  - Iubet voce Domini mulieres lamentatrices conquiri ad lamentandum: graphicè exprimens, non solùm vberiorem plangendi materiam, sed Iudæorum quoq; perstringens insolentiam: qui nimirum præficarum luctu tangerentur, & mouerentur, sæpe quidem ficto: Prophetarum autem minis, ne minimum quidem.
  - Immiscet se quoque Propheta planctui, seu lamentationi artificiosarum Præficarum, quasi tandem cum eis proficere gestiens.
  - Ponit formulam threnodiæ, à clade & vastatione sumptam.
  - Alloquitur etiam mulieres promiscuè, vt vnà cum filiabus planctum illum artificiosum perdiscant, & euulgent, ad maiorem scilicet omnium ordinum affectionem, & Sacerdotum mutorum confusionem.
  - Infertur causa tam deploratæ sortis: quia Deus illos ex alto nihil tale timentes percusserit. Id enim significat mortem per fenestras intrauisse, & in Palatia, in quibus scilicet, præsertim clausis, securi habitabant.
  - Denunciat vicissim ex ore Domini, vt maiorem energiā habeat oratio, fœdam Iudæorum stragem, similitudine stercoris abiecti, & manipuli spicarum reiecti, vel neglecti, vt frustrà putrescat, adumbratam. Quæ quidem omnia de Iudæis dicta nobis quoque semper applicanda sunt, nisi Deo obedientes fuerimus.
- Concludit concionem, & seq. Vide literam A.

A.
Concludit concionem ab exhortatione, vt non rebus vlis externis, sed soli Deo fidat. Vbi

- Per concessionem vocat sapientes, potentes, diuites, &c. Propheta, quia Iudæi eo titulo sibi valdè placerent.
- Veram gloriationem fundat in vera veri Dei agnitione. Vbi vocabula intelligendi & cognoscendi, officium, auiditatem, temporaq; vitæ nostræ sibi vendicant.
- Certa Dei natiuaque epitheta ponit: quatuor videlicet. Quòd
  - Sit misericors, vnde à nobis debeat diligi.
  - Sit iustus, id est, promissorum exhibitor, vnde spes sit concipienda.
  - Faciet iudicium, id est, exerceat, retributionem & vindictam, vnde timor sit concipiendus.
  - Itidem misericordiam, iusticiam iudiciumque exercentes homines diligat, vnde pietas sit capessenda.
- Per antipophoram eripit illis fiduciam Circumcisionis. Vbi
  - Circumcisi in præputio intelliguntur Iudæi, circumcisi quidem externè, sed tamen quasi præputiati seu incircumcisi, nimirum corde.
  - Aegyptij, Iudæi, Idumæi, Ammonitæ, & Moabitæ eodem modo circumcisi, præputiati intelliguntur in specie, vel ex eo complexi, quòd sibi confœderati essent, vel quòd instar Iudæorum, quibus quoad carnem cognati etiam erant circumcisione gloriarentur. Constet enim omnes illas gẽtes carnem quidem circũcidisse, sed mansisse interim in præputio spiritus. de quo Paulus Rom. 2. &c. Aegyptij fortassis didicerant ritum à populo Dei: Idumæi ex Edom filio Isaaci descenderant, sicut Ammonitæ & Moabitæ ex Loth.
  - Anguli in angulis, vel in extremis oris terræ capiuntur pro Cedarenis, Arabibus, Ismaelitis vel Saracenis, qui & ipsi circumcisione vt Iudæi vtebantur sed toti erant impij.
  - Dum in genere infert Dominus, omnes gẽtes esse incircũcisas, tantũ est ac si diceret. Cùm & vos per similẽ præfatis Gẽtibus carne circũcisis, impietatẽ & idololatriam, cor præputiatum habeatis, peribitis vnà cum iisdem, licet vel confœderatis vobiscũ ad tempus, vel vos illis meo nutu affligentibus.

Dispositio Cap. 10. vbi tertia Ieremiæ incipit Concio.

PARTES Capit. 10.

- Attentionem parat Ieremias tanquã rem necessariam dicturus, & quidẽ ex ore Domini.
- Ad quos loquatur aperit: nempe ad Israelitas, qui à tẽporibus Regum, Oseæ & Ezechiæ, hoc est, ante annos circiter centum in captiuitatem fuerant abducti. Elucet ergo hic paterna Dei cura erga populum afflictum, quem sciebat in medio gentium fortunatarum scandalizari, tribuentium omnem euentum suis idolis, &c. Veruntamen sic ista oratio temperatur, vt ad Iudæos quoq; in patria hærentes æquè referri possit, quibus in fine simile exilium pro simili vanitate minatur.
- Hortatur Israelitas, vt sibi caueãt à vanitate gentili, dei veri timorem eisdẽ inculcans. Vbi
  - Arcet populum in
    - Genere à vijs Gentium, id est, consuetudine & viribus.
    - Specie ab obseruatione sollicita constellationum, quoad ea scilicet quę sint fortuita & non necessaria, non quoad ea quæ sint ex natura & ordinaria iuxta propositum creatoris Dei, dicẽtis aliàs de Sole, Luna & stellis, quòd sint in annos, menses, nouilunia, oppositiones & certas temporis partes: quæ vbi excedit astrologia iudiciaria, in gentilitatem sanè impingit.
  - Addit interdicti rationem validissimam: quòd nimirum id facere Gentium vanitas sit, vtinam valeret hoc argumentum apud nostros plerosq; & Papicolas.
  - Describit præassumptam vanitatẽ Gentium in vanissimo ipsorum Deo: nẽpe idolo descripto
    - A materia, quia sit arbor syluæ.
    - A causa efficiente, quia sit opus artificis, nempe hominis.
    - A causa instrumentali, quia securi & cæteris instrumentis formetur. de quo lege & Esa. 44. &c. quem locum imitatus fuisse videtur Ieremias.
    - A forma seu ornamento, quia auro & argento decoretur.
    - A robore seu adiutorio perstandi, quia clauis & malleis sit fixus, ne decidet.
    - A sua proprietate, quia solũ stet instar rigentis cuiuslibet trunci ex palma vel alia arbore.
    - Ab impotentia fandi & ambulandi per se.
    - Ab indignitate, quia nec metui, nec venerari scilicet mereantur.
    - Ab experientia, quæ quasi causa superioris membri est, quia nemini vel bonum vel malum vnquam præstare possunt.
  - Celebrat econtrariò Deum verum, cui tribuit, quòd
    - Solus omnium sit Dominus, vtpotè creator.
    - Sit magnus, quia vbique.
    - Sit potentissimus, quia omnia gubernat.
    - Metuendus, quia iustus Iudex.
    - Habeat imperium, quia gloriosus.
    - Nullus vnquam illi æquiparandus, quia vincissimus.
- Opponit vanitati, & seq. Vide literam A.

- **A.** Opponit vanitati idolorũ maiestatem veri Dei. Vbi
  - In genere arguit brutalem prorsus stoliditatem eorum, qui quouis modo per simulacra erudiri volunt, vt vt prætendatur illa exemplaria esse deorum, non ipsos deos, admonitiones, exercitia vel quid simile pietatis. Considerentur hic subterfugia Papistarum.
  - Probat copiosius vanitatem idolorum
    - Ex materia ductili, auro vel argento.
    - Ex loco vnde adferuntur ab alijs: vbi Tharsis pro Cilicia, vel in genere pro nauigatione marina capitur, sicut Vphas pro Perside, cui locus ille propinquus fuit: vocatur aliâs Ophir. Nonnulli aurum purum vertunt.
    - Ab artifice, homine mortali, qui effigiem illis Dei vel hominis indat.
    - Ab ornamento seu indumento humano, purpura & hyacintho.
    - Ab ingenio humano, præcipuo primarioq; magistro.
  - Describit maiestatẽ Domini, quòd sit
    - Deus verus, hoc est per se stans.
    - Viuus, id est, omnibus vitam largiens & sufficiens.
    - Sempiternus, id est, nunquam mutabilis.
    - Terribilis: nimirum
      - Maximæ rerum inanimatarum: nempe terræ, quæ contremiscat ab ira eius.
      - Hominibus potentissimis & Gentibus, quæ non tam ipsum interea quàm sua idola timere didicerunt.
  - Mandat ex impetu prophetico vt captiui etiam apertam edant de sua religione confessionẽ, cuius partes facit
    - Disertam maledictionem idolorum solo nomine deorum, quorum vanitas ostenditur
      - Impotentia creationis
      - Impotentia durationis.
      - Quid ad hæc respondebunt Papistæ? aut qualem contradictoriæ recõciliationem afferent?
    - Liberam Dei veri celebrationem per dignissima epitheta: quòd nimirum sit
      - Potens creator.
      - Sapiens dispositor.
      - Prudens conseruator omnium in cœlo & in terra.
      - Benignus seu seuerus administrator suo mandato,
        - Pluuiarum in nubibus collectarum.
        - Fulgurum, & quidem in pluuia.
        - Ventorum è suis locis.
        - Quæ omnia cõsiderasse instar alphabeti theologici sunt, & nullis idolis attribui possunt.
    - Apertam eorum criminationem, qui contrario sunt affectu, quòd facti sint
      - Stulti: vaniores scilicet seipsis colentes.
      - Mendaces, illos, qui non sunt Dij, deos dicentes, & ab eis bona maláue sese decipiendo expectantes.
      - Pudore, risu atque frustratione digni, vnà cum idolis tempore necessitatis.
    - Seriam illorum laudem ac benedictionem, qui instar Iacobi seu Israelis pro parte seu hæreditate, hoc est, pro refugio & thesauro habent Deum illum verum, qui est conditor omnium, & Dominus exercituum.
- Compellat Iudæos, & seq. Vide literam B.

Iubet vndique sua mercimonia & prouentum agrorum colligere, in vrbem ad obsidionem sustinendam, vel suas reculas & sarcinas è terra etiam erutas componere, & sese profectioni in exilium apparare. Quali quidem hypotyposi magis vult illorum mentes mouere.

Addit rationem præparationis
- A violento quod imminebat exilio. Vbi per tropum Deus funditori, violentum autem exilium proiectioni lapidis comparatur.
- Ab hostium insolentia, qui obsessione angustabant eos: vt inueniant scilicet thesauros Iudæorum, hostes: vel inueniant scilicet Iudæi mercedem suorum scelerum: vel quæ prædixi per Prophetas meos.

B. Compellat Iudæos, terrores bellicos illis denuncians & apertá captiuitatem, ne præsenti pace efferantur. Vbi

Symbolum debitæ pœnitentiæ profert. Contritionem, vel in
- Sua persona: & sic seueritatem iræ Dei ideò deplorat, vt maiorem affectum moueat Iudæis, & simul quid ipsos facere deceret, in seipso quasi in speculo ostendat.
- Piorum persona: & sic formam quasi præscribit illis quomodo sese sub plagis diuinis humilient, quibus seriò suam Propheta responsionem paremque humilitatis confessionem subijciat.
- Persona præfractorum: & sic taxat illos sua responsione subiecta Ieremias, quòd gemant quidem plagarum respectu, sed quas malè & cum blasphemia ferant, non vt Ieremiam & pios quosque ferre vident.

Deplorat seu per se Ieremias, seu in persona sancti cuiusque calamitatem vrbis & gentis. Vbi per
- Tabernaculum deuastatum, intelligitur Ierusalem: ciuitas nimirum mobilis & diruta per vindictam Dei.
- Funes disruptos, intelligendæ vel opes vrbis & consilia sustinentia, vel circumiacentia oppida.
- Filios intelligimus ciues & milites regni, vel assumptos, vel in captiuitatem abductos.
- Nullam expansionem cortinarum, intelligitur ruina Ierusalem post 70 annos restaurandæ à captiuitate.

Causam reddit malorum, infatuationem Pastorum, qui neglecto Deo vastationem illam stultè sibi & populo accersiuerint.

Vaticinatur vicissim Iudæis captiuitatē. Vbi

Fingit Propheta per hypotyposim rumores spargi de aduentu hostium Aquilonarium, anxesi facta per terræ trepidationem: nimirum à militum equitumque onere, & mentionem Draconum pro immani solitudine terræ patriæ.

Subijcit per exclamationem sententiam generalem de prouida Dei potentia: quasi dicat, vt ve ista horrenda eueniant, non hominum tamen potestati, sed tuæ ô Deus, inscribenda est omnipotentiæ, cuius voluntas potissima omnium est causa. Sic Iob (vt innumera alia omittantur exempla) dicebat de omnibus: Dominus dedit, Dominus abstulit, &c. Et Paulus: Gratia, inquit, Dei sum id quod sum, &c.

Concinnat formulā quomodo Iudæi in captiuitate sese gerere debeant, & Deo castiganti confiteri. Vbi
- Sibi ipsis precantur plagam, sed iudicij Dei, hoc est, moderatæ mensuratæque vindictæ quæ pœnitentibus debetur, additur causa: Ne, inquit, penitùs deficiamus
- Gentibus imprecantur plagam, sed furoris Dei, hoc est, iræ implacabilis & intolerabilis, quæ impœnitentibus debetur, addita causa: Quia Deum non nouerunt, & populum Domini vnà cū sua terra consumpserint. Vbi tamen obseruandū est, non obstare quod alibi cap. 29. iubentur Iudæi orare pro Regibus Babylonijs, &c. Aliud enim est pro hostibus orare vt conuertendis, aliud vt conuerti recusantibus. Et aliud proprio spiritu execrari, aliud diuino afflamine futura prædicere.

Dispositio Capitis 11. *vbi quarta Ieremiæ incipit Concio extensa ad caput tredecimum.*

PARTES Cap. 11.

- Præscribitur Ieremiæ forma precandi ad populum rebellem. Vbi
  - Præfigit titulum Ieremias, ostendens cuius impulsu & legatione fungatur, ac loquatur.
  - Assumit secum alios quoque eius temporis Prophetas: vt Sophoniam, Vriam, Baruch, & alios pios, qui & ipsi seriò prædicent.
  - Adijcit quibus iussus sit prophetare: nempe Iudæis & Ierosolymitanis.
  - Subnectit argumētum dicendorū in
    - Genere verba fœderis seu Legis Dei.
    - Specie, Vbi exponitur
      - Quod sit fœdus Dei: nempe præcepta tradita olim.
      - Quibus tradita: Patribus antiquis.
      - Quando: videlicet tempore egressionis ex Aegypto, cuius seruitutem ferream fornacem, hoc est, immitissimam & necessariam vocat.
      - In quem vsum: vt videlicet Deo præcipienti obediatur, audiendo & faciendo omnia præcepta Dei.
      - In quem finem: nēpe in
        - Genere, vt Dei peculium sint.
        - Specie, vt secundùm iuramentum seu promissionem terra fertilissima pro possessione detur, quod includit tranquillam mansionem, vitam longæuam, multiplicationem, & rerum omnium benedictionem. His per antithesim opponitur maledictio eorum, qui diuersum à proposito verbi Dei faciant.
  - Adiungit Propheta Dei nomine exactam promissorum omnium adimpletionem. Id enim spectat particula: Ad hodiernum diem, &c.
  - Interponit, Ieremias vocē suam per Amen, quod dicitur vel
    - Respectu ritus maledicendi, quo & populus vniuersus occinebat maledictionibus Amen. Vide Deut. 27.
    - Ratione assensus & benedictionis, quòd iustè omnia Deus Patribus præstiterit, vel quòd precetur illa in perpetuum manere.
    - Respectu obsequij, quòd omnia mandata diuina libenter subire velit.
  - Repetit iterū Dominus mandatū Ieremiæ datum, sed iam ratione solius tāquā antesignani. Vbi inculcatur.
    - Quid clamet: quia præcepta Dei.
    - Quomodo: apertè, quasi clamando.
    - Quibus: omnibus habitatoribus ciuitatum Iuda & Ierosolymæ.
    - Ad quid clamet: vt audiant & faciant voluntatem Dei.
    - Quanta cura semper Deus suum verbum annunciari fecerit: quia indesinenter & seriò.
    - Quanta contumacia Iudæi illud spreuerint: quia
      - Non audiuerint, imò ne audire quidem voluerint.
      - Sua figmenta & desideria diuinis semper præposuerint.
    - Quàm iustè erga cōtumaces vindictam suam Dominus exercuerit: quòd quidem idola in neutram partem possunt.
- Accusatur perfidia populi. Vbi
  - Iterum repetit Propheta nihil hîc suum esse, sed Dei Præcipientis, pro maiori attentione.
  - Enumerat facinora Iudæorum &
    - Ierosolymitanorum duntaxat: quòd videlicet
      - Coniurauerint seu conspirauerint, & quidem manifestè: nempe in malum contra Deum, Prophetam, & Iosiam recta suadentes.
      - Renuant instar Patrum contumacium, vel audire verba Dei.
      - Eandem cum patribus iniquitatem, id est, peccandi licentiam & idololatriam exerceant.
    - Israelitarum coniunctim, quòd dissoluerint pactum Dei, hoc est, sese malè viuendo ex peculio & gratia Dei, exemerint regnum & statum compositissimum ruperint, & debitum Deo obsequium peruerterint.
  - Minatur voce Dei pœnam, quam exaggerat tripliciter: quia videlicet
    - Ex ea per se minimè eluctari possint.
    - Clamantes pro liberatione ad verum Deum non exaudiantur.
    - A dijs quoque vanis, quibus seruierant, & ad quos anxiè confugient, ridiculosè frustrabantur.
  - Recenset vicissim præcipuam Iudæorum præuaricationem, per vulgatissimam, apertissimam & sumptuosissimam idololatriam, quæ tamen in confusionem cesserit: vbi Baal pro genere idololatriæ ponitur.
  - Remouetur Propheta ab intercessione vllo pacto pro populo: addita ratione certissimè eorum excidij, irremissa Dei indignatione, vt vt affligantur & clament tandem.
- Eripitur, Narrantur, & seq. Vide literam A.

A

- Eripitur fiducia Iudæorum in templa & sacrificia (quæ nona ex ordine est.) Vbi
  - Disceptat Dominus cum suo præuaricante Populo, quem tamen ob fœdus dilectum vocat quòd audeat terere sancta Dei sui pauimenta.
  - Subiungit rationem indignitatis, quòd abominationem idololatriæ in multis locis alibi exerceat.
  - Neget ampliùs sacrificia illorum sibi placere posse, quorum nempe gratia omnis abierit.
  - Addit rationem ab insigni temeritate, quòd etiam in peccando glorientur & exultent.
  - Exponit pœnam sub parabola oleæ. Vbi
    - Olea, & quidem virens, est typus regni Iudaici, vel vrbis Ierusalem, sicut & Psal. 72. & 128. videre est.
    - Frondes eius & species, sunt ciues vel dilatatio & fama eiusdem beatissima olim.
    - Ignis cum ingenti fragore seu strepitu accensus, exercitus est Chaldaicus terribilis, illam obsidione cingens.
    - Rami eius fracti, sunt ciues, opes, suburbia.
  - Subnectit causas pœnæ quoad
    - Deum, quòd iratus sit vehementer.
    - Populum, quòd enormiter deliquerit vnà cum Israele, vel instar Israelis, Deum idololatriâ irritando.
- Narrantur insidiæ Anathotitarum aduersus Ieremiam, & eiusdem liberatio. Vbi
  - Exponit Ieremias Dei in se beneficium, cuius præconem agebat, reuelantis insidias à contribulibus sibi structas.
  - Confitetur suam imbecillitatem ad sese tutandum, qui potius nec cogitasset mortem sibi intentari vnquam pro sua innocentia ac agnina mansuetudine.
  - Exprimit genus insidiarum duplici figura, mimesi & metaphora, cuius sensus est omnibus modis voluisse Ieremiam necare, seu toxico, seu frustro ligno pani ingesto ad suffocandum: addita exegesi, vt excindatur: id est, tollatur è terra viuentium, &c. Ergo lignum in panem mittere, nihil est aliud, quàm tollere è viuis quouis modo præfocatum Dei Prophetam. Cæterùm hæc quidem secundùm literam Ieremiæ sunt, allegoricè verò Christi, qui & ipse maximè à suis ligno, hoc est, cruce peremptus est. Quatenus tamen fideles omnes Christi vestigia sequuntur, præsertim Pastores, eodem modo & ipsi morti asseruantur instar ouium mactationi destinatarum. de quo Rom. 8. & alibi copiosè.
  - Subiungit preces, quibus causam suam Deo commendat, cupiens videre vindictam illorum: vbi triplex occurrit de Deo in textu cósideratio. Quòd
    - Sit Deus exercituum, id est, potentissimus & liberrimus.
    - Renes & corda transpiciat, id est, possit dignoscere an iustè vel iniustè Ieremias conqueratur.
    - Illi reuelata commendataque sit causa ad vindictam, id est, quòd secundùm promissionem negligere retributionem nô debeat: Da mihi, inquit, vindictam, &c. Scimus tamen pios, sicut & Christum ipsum, eiusmodi execrationibus ad impœnitentes vti solere.
  - Commemorat supplicia à Deo illis præparata, Dei nomine enarrantis
    - Verum esse vitam Prophetæ ab Anathotitis impetitam esse.
    - Cur sint instructæ insidiæ: nimirum quòd is in nomine Dei loqueretur, posita antilogia, vt taceat si viuere velit.
    - Quomodo luituri sint Anathotitæ pœnas. Quod videlicet in
      - Genere Deus illos visitabit, id est, puniet.
      - Specie, Iuuenes, Filij, Filiæ, Morientur Gladio, Fame, Peste, &c.

Dispositio Capitis 12. Ieremiæ.

PARTES Cap. 12.

- Expostulat Ieremias cum Domino, more humano vulgari & imbecilli, visa impiorũ properitate, accepta tandem respõsione. Vbi
  - Ponuntur verba Ieremiæ, qui
    - Reuerenter petit veniam à Deo suæ quæstionis, cùm non ignoret Deum in omnibus iusti esse iudicij, licèt ratio sibi imbecilla in eo acquiescere nesciat. Id enim verbo contendendi iudicio, designatur.
    - Ponit caput quæstionis & quidem famosissimæ, quam & Abacuc tangit cap. 1. & 2. & Dauid vel Asaph, Psal 73. & Malachias sub nomine rebellium, cap. 3. & 4.
    - Hypotyposi & similitudine arboris depingit omnimodam in terris impiorum auctionem, & quidem Deo ipso authore.
    - Addit correctionem, quòd Deum interea ore tenus colant, toto autem affectu per renes deuorato, alieni sint ab eo. Possunt autem hæc tam Gentibus ipsis, quàm Iudæis eius temporis optimè florentibus æquè attribui.
    - Componit sese Propheta cum impijs, laudans seipsum, teste Deo, à synceritate animi, econtrà exitio deuouens prophanos ad tempus florentes.
    - Exclamatione vtitur, quasi miserescens terræ vastandæ cum iumentis & volucribus ob malitiam prophanorum inhabitantium.
    - Exprimit impiam illorum vocem, cuius sensus est, Non metuendam esse iram Dei, post ipsos nihil aduigilantis. Vel, falli Prophetas pœnam eorum tanta vehementia intonantes.
  - Referuntur verba Dei, qui
    - Prouerbiali figura & argumento à comparatis ducto, significat Ieremiam minora assequi non valentem maioribus sese frustrà diuexare: Qui, inquit, cucurristi cum peditibus, nec illos assequi potuisti, quomodo ingeres te equitibus? &c.
    - Subdit Dominus quid illud leuiculum sit, cui Ieremias impar fuerit: nempe insidiæ Anathotiensium non nisi iudicio diuino præuisæ & euitatæ: vbi tamen quasi domesticus videbatur esse in pace: subindicans maiora eidem certamina impendere: nempe insidias vrbis Ierusalem. Vocabulo Iordanis, quasi procellosæ & frementis ob furorem potentũm, denotatæ: quasi dicat Dominus, Tu, cura potius quæ tibi tristia adeunda sint, quàm vt aliorum conditiones metiaris, &c. Simili ferè sensu verba Christi, Ioan. 21. ad Petrum de Ioanne sciscitantem leguntur. Cæterùm quidam totum hunc versum ad Iudæos prolatum fuisse volunt, hoc modo: Tu confisus es in terra pacis, id est, in imbelli, & insufficienti contra hostes: quòd terra pàcis, pro immunita, sicut terra belli, pro forti & multis præsidijs cincta vsurpari soleat. Verùm quid fiet in eleuatione Iordanis? id est, quid facies si amplitudo Iordanis te cingeret, arcens abs te validius vim hostilem? &c.
    - Prædicit apertè Dominus rabiem tam municipum quàm aliorum Iudæorum aduersus Ieremiã. Vbi
      - In genere, perfidia illorum denotatur.
      - In specie, clamor, & quidem iniquissimus: Congregatio, inquit. quasi dicat, insimulabunt te seditionis ob conciones tuas. Sic Paulo sæpè vsu venit à suis.
      - Per antipophoram occurrit obiectioni: vt nimirum qualitercunq; coram loquantur, tamen ne sese eis credat: Vide simile de Christo Ioan 2.
    - Annunciat pro iusto, & seq. Vide literam A.
- Vaticinatur de Gẽtibus perituris, & de Israele adhuc restituendo. Vbi
  - Legationem suam commendat Propheta ex ore Domini.
  - Exprimit qui sint gentes & inuisi Deo homines: nempe vicini quiq; terræ, populique Chanaan proditores & vastatores, maximè Israelitarum iam captiuorum.
  - Minatur eisdem dispersionem, quemadmodum contrà Iudæis eliberationem è medio illorum.
  - Depingit hypotyposi modum restitutionis Israelitarum vel gentilium vicinorum Iudææ: vt nimirum miserente Deo reducantur & illi, ac singillatim in terram hæreditatemq; suam disponantur: quod quidem literaliter euenit sub Cyro: spiritualiter verò sub Christo, &c.
  - Addit conditionem prosperitatis traductorum in cõsortium Ecclesiæ secundum vtramq; partem. Nam si
    - Verè Deum colent & tam seriò in eius nomine iurabunt, quàm anteà in nomine Baal, stationem habebunt tranquillam.
    - Renuerint Deum admonitorem auscultare, vicissim exturbabuntur, & quidem sine omni spe restaurationis. Id enim anadiplosis Hebraica ostẽdit. Hæc comminatio postremùm Iudæis nostris à destructione Ierusalem cessit, &c.

A. Annunciat

Appellat Dominus domum suam hæreditatem, & dilectionem animæ suæ, vel Iudæos ipsos in genere, vel Templum & sanctam Deoq; dicatam ciuitatem, cui temerè fidebant infideles.
Voces temporis præteriti: Dereliqui vel tradidi in manus hostium, &c. pro futuris posuit ad maiorem periculi certitudinem denotandam.
Causam assignat cur populum suum perditioni destinârit, curq; illi tam implacabiliter irascatur: quòd videlicet instar leonis furiosè ausus sit Deum impetere. Vbi affectus auge tur in antithesi verborum, Hæreditas mea, & Contra me.

A.
Annunciat pro iusto suo iudicio cladē populi, vt inde aduertat Ieremias, nō semper pergere Deum in bene faciendo malis ijs, qui ad tempus florere videbātur. Et hic

Figurata locutione exprimit populi sui vastationē: videlicet parabola
- Auis, vbi auis versiculor sumitur vel pro
  - Syluestri & insolita aue, quasi dicat Dominus: Ego volui cicurare mihi quasi in cauea Iudæos, sed ipsi mansuefieri noluerūt.
  - Bubone, quasi dicat Dominus: Quēadmodum bubo inuisus est omnibus alijs auibus & impetitur, sic oderunt, id est, odio habebūt & dilacerabunt hinc & inde collecti milites meū populum. Et hunc sensum roborant sequentia verba: Aues per circuitum eius, &c.
- Ferarum agri, quæ quasi certatim inuitātur à Deo ad deuorādam terrā Iuda, &c.
- Pastorum demolientium & conculcantium terram Iuda, similitudine vineæ & partis, seu hæreditatis Dei ipsius, &c. expressam.

Per exegesim clariùs exprimit triste Iudæorum fatum: videlicet
- Solitudinem terræ, quæ iam lugere dicitur propter certitudinem mali, hominibus interea securè viuentibus.
- Depopulationem, adiecta causa, quòd nemo attendat ad verba Prophetarum.
- Locorum quorumuis munitorum ac celsorum occupationem, adeò vt nihil omnino supersit pacis, addita causa iustæ Dei iræ, quam gladius Denotat.
- Frustrationem spei, vel quoad
  - Fructus terræ in copia expectatos.
  - Confœderatos, quorum auxilijs intenti erant.
  - Liberationem in obsidione, cui sapienter antea prouidisse sibi videbantur, addita causa implacabilis iræ Dei, quæ læso nihil est illæsum, tutum & fidum hominibus.

Dispositio Cap. 13. vbi quinta Ieremiæ Concio incipit.

PRAEDICITVR captiuitas Iudæorum per Prophetam, propter peccatum trifariam.

- Visione. Vbi
  - Narrat Propheta quomodo iussus sit à Domino sumere cingulum lineum & eo vti lōgo tempore, neq; emundare illud, vt sordiciem magis contrahat: inde proficisci ad Euphratem vt ibi in foramen alicuius petræ illud abscondat. Quibus per Prophetam exactis, iubetur iterum ire ad Euphratem & cingulum absconsum refodere. Quo facto, inuentum esse ait iam putridum, vt nulli omnino vsui vtile esse potuerit. Et hæc nonnulli reipsa gesta esse volunt per Prophetam, nonnulli verò tantùm visione, cuiusmodi & alia multa leguntur, vt nuda incessio Esaiæ, nuptiæ Oseæ, somnus Ezechielis ad dies 390. & similia.
  - Exponitur voce Domini, quid visio significet: nimirum tam certam fore populi Iudaici perditionem. Vnde per partes
    - Cingulum designat populum Iudaicum & vrbem Ierosolymam, quibus quasi baltheo Dominus gloriari antea solebat, & quos arctissimo vinculo fœderis sibi adstrinxerat.
    - Persona Prophetæ, designat Deum ipsum, illum populum sibi comparantam gratis.
    - Longum tempus gestationis, designat tempus mansionis eorum in terra promissionis vel Ierosolymis.
    - Sordicies cōtracta, est idololatria, lues & scelera populi.
    - Euphrates cum Petra, designat Assyrios & Chaldæos seu Babylonem ad Euphratem sitam.
    - Absconsio in Petra, designat captiuitatem seu abductionem eò Iudæorum.
    - Mansio per longum tempus in petræ fouea, est spacium 70. annorum captiuitatis futuræ.
    - Putredo denotat captiuorum perditionem extremam.
  - Additur causa captiuitatis: nempe quia
    - Abnuerint audire verba Dei.
    - Secuti sint prauitatem, hoc est, iniquitatem cordis proprij absq; omni Dei timore.
    - Deos alienos coluerint.
  - Memoratur in quā dignitatem Iudæi pariter & Israelitæ à Deo assūpti fuerint videlicet
    - Essent peculium Dei.
    - Essent organum memoriæ Dei inter omnes gētes, præsertim propter facta cum eis mirabilia.
    - Solenniter Deum laudarent.
    - Contra omnia idola gloriam eius tuerentur: quæ tamē illi omnia neglexerunt.
- Similitudine, Apertis, & seq. Vide literam A.

- A.
  - Similitudine paradigmate vel parabola. Vbi
    - Iubetur Propheta dicere populariter, lagenam vino solere impleri : adiecta populi insolentia, verba Prophetæ ironicôs excipientis secundùm literam, vtputè vulgari inter eos ebrietate.
    - Exponitur paradigma ab ipso Domino. Namq;
      - Per lagenas seu dolia, intelliguntur homines, maximè propter fragilitatem, & quòd omnibus bonis vacui sint: recensitis singulis eorum ordinibus.
      - Vt lagena impletur vino, sic ebrietate, hoc est, inopia iudicij, illi opprimendi designantur à Domino.
      - Vt lagenæ facilè cócutiuntur, & per multitudinem concussæ intereunt, sic innuit Dominus illos disperdendos fore, eò magis quò in sua frequentia inaniter confidunt.
    - Vocantur ad pœnitentiã, ne prorsus desperent. Vbi gradatim requiritur
      - Auditio verbi Dei.
      - Animaduersio, id est, vt post perceptionem soni, animo quoque diligentiùs infigatur.
      - Submissio, contraria superbiæ, maximo fidei & pietatis impedimẽto: His subnectitur ratio ab authoritate: Quoniam, inquit, Dominus locutus est.
      - Attributio gloriæ soli Deo: vt videlicet nos peccatores, Deum autẽ iustum per omnia confiteamur.
    - Per antipophoram procrastinationi pœnitentiæ respondetur, quòd videlicet ea inchoanda sit antequam instar noctis densissimæ tristissima saltem impendeant offendicula, &c.
    - Iterum per cõditionem repetit Propheta calamitatem Iudæorum, respectu captiuitatis futuræ, quam exaggerat anxio & triplicato suo fletu ad maiorem pœnitentiæ affectum.
  - Apertis ac nudis verbis. Vbi
    - Amandat Dominus Ieremiam ad Regem & Reginam: nimirum ad Iechoniam & eius matrem ac vxores: nam ita scribitur 4. Reg. 24. Transtulit Nebuchadnezer & Ioachim in Babylonem, matrem Regis, vxorem Regis, Eunuchos & potentes terræ, &c.
    - Ponit verba dicenda Regi, quæ meram suadent humilitatem & consternationem.
    - Causa refertur tristitiæ per hypotyposim, quòd
      - Regem: quia decidit corona eius.
      - Vrbem: quia à parte Meridionali, id est, vnde fortior videbatur, clausa sit: nimirum propter grauissimam obsidionem.
      - Iudæos: quia omnes abducti sint, id est, proculdubiò abducẽdi. Omnia enim prophetica sunt.
      - Hostes Assyrios: quia dispalati ruunt aduersus Iudæos, &c.
    - Exprobratur Regi superbienti aliquando in suis militibus, apertissima ridiculosaq; ab eisdem desertio.
    - Interrogatione amplificat Propheta iram Dei ineuitabilem, quam visitationis nomine insignit.
    - Arguit Regem, sed vna cum populo, quòd hostes remotos crebra cum illis confœderatione in propriam sensim calamitatẽ pellexerint, sese & omnia sua illis aperiendo, vnde iam intimo per eosdem malo tanquam mulier parturiens laborare incipiant.
    - Iustruit dialogum de Rege, causam tantę calamitatis suscitante: cui subijcit rationem ab enormitate seu fœditate actorum eius. Id enim discoopertio fimbriæ per similitudinem mulieris pudenda reuelantis, &c. ostenditur.
    - Nouam iuit cum populo peruerso disceptationem, gemina conuincens allegoria illos in suo malo inemendabiles esse, foreq; semper. Vbi tamen aduerte, quod impossibilia hominibus non æquè Deo pro impossibilibus adscribenda sunt.
    - Minatur voce Dei cladem illis permaximam, similitudine stipulæ à vento correptæ.
    - Subijcit causam à proposito Dei, propter perfidiam seu idololatriam aduersus Deum.
    - Pronunciat vicissim simili mulieris confusæ apertam populo rebelli ignominiam.
    - Denuò causam subnectit, sub parabola vagæ libidinis equinæ, spiritualem eorundem fornicationem ac superstitionem, hoc est, idololatriam, tangens & carpens.
    - Exclamat Propheta maximo cum affectu, & quiritans de peruicacia populi, & eidem vt emundetur seria obtestatione imprecans.

Dispositio Capitis 14. vbi sexta Ieremiæ incipit Oratio, extensa ad caput vsque 18.

- Author orationis, Deus, omnia per suum Prophetam quasi organum proferens.
- Materia vel argumentum de quo agitur: nempe de rebus retentionum, id est, de sterilitate, siccitate, penuria, seu prohibitione pluuiarum, &c. ad copiam annonæ, vt ista veluti chorographia & siccitate per hypotyposim maxima denotetur calamitas.
- Expositio iusti Iudicij Dei, ob quod in
  - Genere dicitur totum regnum Iuda lugere.
  - Specie quòd
    - Portæ sint desolatæ, hoc est, quòd homines frequentes aliàs in portis, vbi etiam iudicia exercebantur, disparuerint: nempe domum se ob luctum recipiendo.
    - Mœrore ad terram vsq; afficiantur. i. depressi & pullati humi prosternantur.
    - Clamor totius Ierusalem ascendit: nimirum in cœlum.
- Differit Propheta de futura populi Iudaici calamitate. Vbi
  - Describit Ieremias dialogum inter se & Deum habitum. Vbi refertur
    - Hypotyposis eorum, quæ in siccitate fiat
      - Ab hominibus: nimirum quia
        - Maiores, hoc est, patres aut domini mittant suos seruos, aut liberos pro aqua quam studiosè inquirenda.
        - Frustrati spe caput obumbrant: qui lugentium est habitus.
        - Agricolæ similiter spe omni prouentus abiecta lugeant, eò quòd terra marcescat, seu nimia ariditate hiet atq; findatur.
      - A bestijs: videlicet quia
        - Cerua, Alioqui studiosa sui partus, fœtum deserat excurrendo quàm anxiè pabulatum.
        - Onagri, sectores aliàs vagæ libidinis in syluis, steterint in verticibus montium, vt saltem aerem captent instar Draconum, qui propter innatum calorem magna refrigeratione egent, & aere gaudent libero. Et quòd oculi deficiant ob inopiam pabuli.
    - Vox Ieremiæ orãtis & confitẽtis pro salute populi. Vbi
      - Confert Propheta in communi meritum suum cum iusta Dei repensione, facileq; agnoscit ad misericordiam Dei gratuitam confugiendum esse pro salute, quum copia delictorum exuperetur ad perditionem.
      - Quali fide oret pro documento ponit, cùm appellat Deum spem fidelium & saluatorem, respectu certè Filij Dei in carne venturi, qui paulò superiùs etiam nomen Domini dicitur.
      - Rationes adfert, quibus fidem suam & fidelium excitet, vtens allusionibus huic negotio appositis triplici parabola. Nam
        - Peregrini in aliqua regione, non multũ afficiuntur situ qualitateq; loci, vtpotè citò inde prætereũtes, vnámue noctem ibi durantes.
        - Vir attonitus, viribus quidem non destituitur prorsus, sed propter repẽtinũ casum vires statim exierere nequit.
        - Fortis miles cũ vires habeat, nihil prodest pereclitanti, si nolit vires suas exerere: indeq; nec gratiam, nec peculium vllum meretur.
        - At per antithesim non ita Deũ facere decet, qui
          - Non peregrinũ se terræ Iudææ abtulerat, quinimò volebat ibi nomen suum adorari & cultum suum firmari, pollicitus sese in medio populi sui habitaturum, Psal. 132. Exod. 25. 29, Leuit. 26. &c.
          - Nomine suo inuocatur, hoc est, immutabili fortitudine & benignitate erga populum suum colitur. Non ergo illum deserere deceat, nisi sit mutabilis.
          - Non debet negligere propriũ populum, quo pereunte res quasi diuinæ intereant. Nam aliàs & gratiam liberationis à se abdicare videatur.
    - Responsio Domini populum exaudire recusantis. Vbi
      - Simpliciter damnat Dominus suum populum à peruicacia peccandi, dignum inde quò plectatur magis, quàm exaudiatur.
      - Reijcitur intercessio Ieremiæ pro populo per antipophoram: vt videlicet etiamsi ieiunia & sacrificia prætendant, tamen displiceant Domino in sua hypocrisi, & gladio, fame, pesteq; sumendi sint.
      - Allegat Propheta affectuosa exclamatione quasi pro excusatione populi verba Pseudoprophetarum: quasi dicat, condona populo hunc temeritatis errorem, cùm ab impostoribus seducantur: ideoq; illis pœna debeatur.
      - Carpit Dominus Pseudoprophetas, depingens eosdem suis coloribus: nẽpe quòd
        - Mendaciter nomen Dei prætexant.
        - Non missi curant.
        - Nihil mãdati ex Deo habeãt, id est, propria vel aliena somnia adferant.
        - Nihil commercij cum Deo habeant. Id enim vult particula. Nihil loquutus sum ad eos.
        - Falsam prætendant visionem.
        - Falsam habeant diuinationem, id est, magia vtantur.
        - Vanitatem, id est, rem nihil annuntient.
        - Dolum cordis, seu vafriciem: id est, artem auaritiæ & affectuum corruptorum exerceant.
        - Hæc quouis tempore signa genuina impostorum in Ecclesia.
      - Aperit seuerum suum iudicium vtrobiq; in
        - Ipsos Pseudoprophetas gladio & fame absumendos, contra quod sibi mentiebantur: & sic patet quòd etiamsi differatur ad tempus, tamen non auferatur pœna falsorum ductorum.
        - Plebem Pseudoprophetas admittentem, vnà cum omni posteritate, & malorum quorumuis congerie.
- Pergit supplicij, & seq. Vide literam A.

- **A.** Pergit supplicij commeriti grauitatemq; amplificare. Vbi
  - Ostendit quo authore ad loquendum inducatur.
  - Designat quid iussus sit dicere : nempe se die ac nocte plorare pro clade populi. Quod quidem seriò fecisse Prophetam nihil dubitandum est, instar Samuelis in reiectione Saul, &c.
  - Describit miseriam Iudæorum in
    - Genere, quoad totum populum & plagam dolorificam.
    - Specie, quòd videlicet in
      - Agro interfecti conspiciantur, id est, conspicientur tempore obsidionis interfecti.
      - Vrbe, consumpti fame.
      - Exteris locis & incognitis Prophetæ & Sacerdotes vagabuntur.
  - Conuertitur ad precationem & intercessionem pro populo, formam simul præscribens piæ debitæq; ad Deum supplicationis. Vbi
    - Mirabili affectu quid sui patiantur exponit, colloqutionem cum Deo, quasi cum homine trina interrogatione, & vna cathegorica sententia vestiens.
    - Confitetur peccata in conspectu Domini. Quod vnicum Patres & Sancti quiq; promptum habuêre in colloquio Dei, prouoluti ad genua misericordiæ eiusdem.
    - Partes supplicationis in intercessione ponit, interserta spei & exauditionis energia. Nam contra
      - Execrationem seu abiectionem populi citat, quasi pro aduocato nomen Dei, solium gloriæ & pacti fœderis veritatem.
      - Siccitatem, adstruit nec idola Gentium pluere posse, nec cœlos per se, cùm Deus fuerit semper eis author fertilitatis, & idem omnium conditor, &c.

Dispositio Capitis 15.

- **PARTES Cap. 15.**
  - Inculcat Ieremias legationem suam à Deo, pro maiori attentione.
  - Reijcit, vicissim Dominus omnem pro populo sibi infensissimo interpellationem. Vbi
    - Ponit verba Dei, Mosis etiam & Samuelis intercessionem repudiantis, vbi quidem non docetur, vllo pacto Sanctos in cœlis iuxta sensum Papistarum, pro nobis intercedere, sed indicatur saltem irritam fore eorundem compellationem, etiamsi pro priori suo modo in terra placare intenderent Dominum. Scimus enim, sed in terris, efficacem quandoq; fuisse illorum intercessionem, vt patet Deut. 9. Exod. 32. 33. 1. Sam. 7. &c. Vide simile de Iobo & Daniele Ezech. 14. Cæterùm in cœlo non est aduocatus, præter, vnigenitum Dei, Ioan. 16. 1. Ioan. 2. 1. Tim. 2. &c.
    - Addit causam repudij, ab implacabili ira, affectu humano expressa : Non est animus meus, &c.
    - Exaggerat indignationẽ Dei erga populum.
      - Simplici edicto, vt eijciantur à facie Domini Iudæi : nempe quoad ministerium comminandi, quo priori capite illi demandabatur vt plantaret & euelleret, &c.
      - Dialogismo mirè affectuoso, quo innuitur actum esse de omni ordine. Vbi per diamerismum gradus quatuor præcipuæ Dei plagæ enumerantur, mors, gladius, fames & captiuitas: auxesi etiam crudelitatis per bestias, &c.
    - Subnectit pro causa seueræ famosæq; vindictæ, scelus Manasse filij Ezechiæ. Porrò non hæc ita sunt intelligenda, quasi Deus puniat innoxios vel filios ob peccata maiorũ, &c. sed in genere, vel per antonomasiam, peccata Manasse ea dicuntur, quæ in ipso populo responderint omnino sceleribus ipsius Manassis, cuius enormia facta legere est 4. Reg. 21. Quòd videlicet temporibus etiam Ioachim & Zedechiæ mores non absimiles fuerint, corruptelis idololatræ Manassis, &c.
  - Prosequitur vicissim, & seq. Vide signum):(

):(Pro-

- Ostendit negotium Iudæorum omnino deploratum esse, ac tria dicit: Quis
  - Tui miserebitur? &c. quasi dicat: Quia misericordiam Dei contempsisti, misericordia itidem indignus es.
  - Condolebit tibi, nemini scilicet condolenti, imò Prophetas quosque & innoxios interficienti?
  - Impetrabit tibi pacem?
- Designat causam tantorum malorum, à rebellione populi, seu quòd Deum abiecerit.
- Amplificat eorũdem scelus, ex eo, quòd ne verberati quidem emẽdari potuerint, adeò vt Deus ipse fessus sit patiendo ac parcendo.
- Prosequitur vicissim pœnam de impœnitentibus sumendam. Vbi
  - Edisserit pœnam de incurabilibus sumendam, præteritis vtens pro futuris, ad maiorem prædictionis certitudinem. Porrò pœnæ partes ponit
    - Dispersionem in varias regiones, similitudine à vanno sumpta, vt parentes à liberis, & vxores à maritis, &c. diuellantur.
    - Orbitatem, addita causa quòd non sint reuersi.
    - Viduitatem hyporocha adumbrarã: Super arenas, inquit, maris, &c.
    - Vastationem apertam & crudelem, qua genitrices militum Iudaicorum, in quibus frustra confidebatur, interimendæ sint.
    - Repentinum ciuitatis terrorẽ, quo nihil omnino munitiones prosint,
    - Miseriam ipsius partus: qui scilicet non ad gloriationem, sed interitum & dolorem matrum cedat.
    - Ablationem omnis prosperitatis, qua adhuc frui potuissent. Id enim Solis occasus in die designat.
    - Contumeliam ac pudorem.
    - Reliquiarum ex morbis & fame consumptionem per gladium, & quidem certissimè. Id enim particula, Dicit Dominus, ostendit.

H{

- Per digressionem Propheta sortem suam satis impatiẽter deflet. Vbi
  - Effundit æstum animi sui coram Deo, quasi sentiens se fœliciorem fuisse, si nunquam natus, aut in vtero suffocatus fuisset.
  - Causam subnectit, quòd pro litigatore ac viro contentioso habeatur in functione sua prophetica.
  - Excusat sese, quòd nimirum nullam obtulerit occasionem odij maximè negociationis, & vsuræ inuidiosæ mentionem faciens.
  - Infert Dominum loquentem. Qui
    - Consolatur suum Prophetam ex eo in genere, quòd posteriora eius cedãt in melius, addita exegesi in specie, quòd hostem, nempe Assyrium, occurrere faciat illi, hoc est, placabilem reddat erga eũ. Quod & factum fuit tandem, vt patet cap. 38. 39. Porrò dicendo: Num ferrum atterit ferrum, aut chalybs chalybem, vel æs? Comparat Dominus Ieremiam ferro, quemadmodum Babylonios ferro, vel æri in forti expugnatione: & vult dicere, sortem suum Prophetam à Babylonijs non consumi, sed potius expoliri, sicuti ferrum ferro non atteritur, sed potius in collisione expolitur. Alij tamen prius ferri nomen de Iudæis dictum volunt, quasi dicat Dominus, vt vt ferrum sibi videantur Iudæi, & fortes, tamen non contererent: nec præualebunt Assyrijs illos inuadentibus. Et sic versiculus ille subsequentis esset membri in dispositione.
    - Subiungit quasi per antipophoram supplicium populi: Te, inquit, tamen non seruatum, in prædam dabo, &c.
    - Rationem reddit iræ vindictæq; à multiplici populi scelere & idololatria, metaphora sumpta ab igne.
  - Pergit expostulare, & seq. Vide literam A.
- Respondet Dominus, & seq. Vide literam B.

A. Pergit expostulare Propheta cum Domino, quod quidem de se Ieremias ad imbecillitatem suam ostendendam scripto profitetur, glorians quasi alter Paulus in suis infirmitatibus, proinde nō hæc in exemplum trahenda sunt. Nam

- Veluti excitat Deum æquitatis & assertionis oblitum.
- Sua abducit merita.
- Vindictam petit hostium.
- Postulat eandem extra Dei longanimitatem, id est, fine cunctatione, vt nimirum protinus deleantur hostes: vel, Ne tollas me è medio dum differs vindictā tuam, sed da vt superstes eam videre possim.
  - Etsi verò Dauid quoq; sic inetrdum factitârit, tamen vel exuto carnali affectu, contra quam Ieremias, vel in typo Christi id fecit.
- Asserit dignitatem suam, vel potius ponderat, pro expetita à Deo vindicta. Vbi
  - Seu debitorem compellat Deum, pro quo multa opprobria sustinuerit.
  - Iactat se cum summa lætitia & fidelitate munus propheticum obiuisse.
  - Placet sibi quòd Dei nomine appellatus sit, vel quòd honorem Dei promouerit.
  - Purgat se ab omni vanitate, quòd sese priuârit coniuijs & omni publica lętitia: id quod sequentia etiam verba declarāt: Solus habito, &c.
  - Exaggerat suum meritum, quòd propter manum Domini hæc illi eueniant: id est, quòd vindictam Dei prædicet & inculcet: & quòd totus excandescat indignatione & amaritudine pro causa Dei.
  - Expostulat liberè cum Deo quòd mala eius non soletur, ac potius anxiè expectantur, frustretur instar fontis aridi homine quopiam sitiente.

B Respondet Dominus Prophetæ. Vbi

- Hortatur eum ad pœnitentiam, hoc est, vt seposito fragili suo affectu, firmissimè pro veritate Dei stet, & non quiritetur sese derelictum.
- Addit causam ab vtili, quòd nimirum & Dominus illum magis magisq; confortaturus sit. Hic vides non præscribi gratiæ Dei menses & annos, sed statim recipi à Domino Ieremiam, in munusque suum reponi.
- Edisserit in genere comparatione metallarij, quid & quale debeat esse officium Ieremiæ: nempe segregatio scoriæ ab argento: hoc est, vt inter sacrum & prophanum distinguat, quid probet improbetq; Deus, &c.
- Subnectit promissionem quoad
  - Prophetam: quòd nimirum si fidelis esse perrexerit, pro ore Domini habebitur, id est, erit semper charus Minister Dei & spiritu inuincibilis.
  - Populum: quia Iudæi tandem illi concident vt vt prima fronte eidem reluctari videantur.
- Confortat vicissim Ieremiam ne desperet, subindicans qualem sese gerere in suo munere debeat.
- Horum verborum planiorem elucidationem habes suprà in fine primi capitis.

Dispositio Capitis 16.

PARTES Cap. 26.

- Prædicit Ieremias perdēdos esse Iudęos propter peccata. Vbi
  - Parans attentionem ex ore seu verbis Domini, exponit qualiter iussus sit abstinere à coniugio & gignendis liberis. Quod quidem in visione Prophetæ contigisse verisimilius est: vt pro incerto relinquatur fueritne reipsa cœlebs, vel non.
  - Addit pro causa catholicam omniū eorum & qui genuêre & qui geniti sint perditionem.
  - Amplificat cladem seu internecionem populi multifariam. Quid
    - Morte valetudinariorum, id est, lenta & contagiosa simili sensim extinguantur, cùm alijs exitus repentinus pro euthanasia reputetur.
    - Non plangantur.
    - Non sepeliantur.
    - Instar stercorum abijciantur.
    - Gladio & fame absumantur.
    - A bestijs deuorentur.
  - Vetat Prophetā vel in funeribus eorundē adesse, multò minus dolere propter defunctos.
  - Subiungit rationem à vehementi sua ira, cuius indicia sunt
    - Subtractio gratiæ omnis.
    - Effusio super eos cladis permaximæ, mira periphrasi parentationis seu viscerationis (quæ in consolationem viuentiū, non defunctorum redemptionem fiebat) exaggeratæ.
  - Iterum speciatim interdicit Prophetæ secubitum in epulis publicis connubialibus.
  - Rationem subijcit ab imminente vastitate: cui versiculo similis habetur suprà in fine capitis septimi.
  - Instruitur Propheta, & seq. Vide literam A.
- Vaticinatur de vocatione, & seq. Vide literam B.

A. Instruitur

Apertè pronunciat Dominus, præfractos Iudæos quæstionem moturos de clade, in eos nihil tale merentes, per Prophetam tanta vehementia proclamata.

A. Instruitur Propheta quomodo quiritanti populo obuiãcat. Vbi

Subijcit modum debitæ responsionis ad conuincendos illos: quòd nimirum
- Deum dereliquerint.
- Deos alienos sectati sint, & coluerint.
- Legem Dei non custodierint.
- Patribus antiquis peiùs egerint.
- Prauitatem & libidinem cordis sequuti sint.

Minatur iterum reprobis captiuitatem & exilium durissimum.

Amplificat horrorem exilij, mixta tamen consolatione respectu piorum, & fœderis Dei: quasi dicat, Nota est calamitas Aegyptiaca, & quàm miraculosè inde Deus Patres eliberârit. At qui pro maiori periculo habebitur à vobis liberatio quondam ex seruitute ac captiuitate Babylonica: quam hic Dominus Terram Aquilonis appellat.

Depingit per hypotyposim tam captiuitatis, quàm liberationis certitudinem: quòd nimirum per Chaldæos milites, tanquam per Piscatores & Venatores Iudæos ex omnibus latibulis extrahere velit, nec antè ex captiuitate liberare, quàm abundè iniquitates eorundem plectat. Id enim per duplum intelligitur, addita causa: Quia Deum fœdè irritârint, sua, instar cadaueris, abominabili idololatria.

B. Vaticinatur de vocatione gentium, & pœna incredulorum Iudæorum. Vbi

Per exclamationem pronunciat, quid ipse conceperit de Deo, vt sic Iudæos quoque suo exemplo doceret Deo adhærescere.

Apertè designat gentes quoque olim ad Deum conuerti, & quidem simili cum Ieremia affectu: vt vt nimirum Iudæi per rebellionem ab eo discedant, &c.

Ponit confessionem gentium Deo placentium: quod videlicet
- Repudient omnium priorum suorum vanitatem, seu figmenta humana, quæ hæreditatis nomine appellat: vt solo verbo & traditioni Dei vacetur.
- Pro re absurdissima sponte fateantur homines, sibi ipsi deos posse vel salutarem cultum fingere: vel, vt quidam volunt, pro absurdissimo ducant homines creatos pro creatore habendos. Et omnia ista satis hodie arguunt Papistas nostros, Patres, Patres tantùm & Diuos Diuosque in ore habentes.

Minatur denuò Iudæis vana idololatria Deum verum irritantibus, quòd in captiuitate Babylonica ostensurus sit eis suum numen seueritatemque, &c.

Dispositio Capitis 17.

PARTES Capit. 17.

Taxat peccatũ Iudæorum. Vbi
- Similitudine conuincit æreæ tabulæ, seu columnæ lapideæ, & apertam & compertissimã esse Iudæorum idololatriam, ad corda & conscientias illos identidem prouocans.
- Alio argumento reuincit illos peccasse quia cùm Deus vnam thymiamatis Aram sibi consecrârit, illi Aras suas multiplicârint, quarum cornibus vel angulis passim peccata eorum inscripta sint.
- Exaggerat idololatriam eorundem, ab oblectatione in ea similitudine expressa.
- Minatur vastationem totius terræ. Vbi montem suum vocat Dominus ipsam Ierosolymam, vel Sionem sibi dicatam.
- Subijcit causam perditionis, implacabilem Dei iram ignis similitudine expressam.
- Disserit de summo bono, & de summo malo, & quidem ex ore Domini, ad cõsolationem afflictorum, & dãdũ attentis consilium. Vbi
  - Summum malum esse pronunciat recedere à vero Deo, & rebus creatis confidere ad accipiendũ auxilium. Vbi brachiũ pro qualicunque fortitudine nostra, seu viribus: homo verò tã pro mortua quàm viua vlla persona capitur. Examinent hic sese Papistæ.
  - Illustrat infœlicitatem, seu maledictionem præuaricantis, eleganti parabola: nimirum Myricæ, vel, vt alij vertunt, Tamaricis, aut Iuniperij. Intelligit autẽ Propheta arbustũ omnino inutile quod sine fructu manet, cũ venerit etiã bonũ: i. fœcũditatis tempus, & semper sterile esse pergit, tanquam in terra salsuginis plantatũ.
  - Summam fœlicitatem ponit in eo, vt quis confidat in Domino, seu vt per epexegesim additur, spem & fiduciam habeat in Deo.
  - Expolit præfatam fœlicitatem similitudine arboris fructiferæ, alludens, vt apparet, ad Psal. 1. Dauidis. Cæterùm annus prohibitionis ponitur hic pro tempestate sicca, qua non pluat, sed pluuiæ cœlo retineri videantur.
- Illustrat doctrinam, & seq. Vide literam A.

Hortatur eosdem, & seq. Vide literam B.

A.

- Illustrat doctrinam de fœlicitate & infœlicitate adductam. Vbi
  - Exprobrat ironicam Iudæorum obiectionem: quasi dicat, Vos putatis me frustra de pietate interna disserere, temerè vestram vitam carpendo, cùm nec quis sit verè pius ipse dignoscam, nec vos penitùs nouerim.
  - Respondet seriò, conspectum Domini neminem omninò posse subterfugere, qui dignè olim facta cuiusuis retribuat. Alij duo hæc membra ita intelligunt, vt Dominus conferat se tanquam omniscium, & iustissimum remuneratorem in se confidentium, cum hominibus qui fallaci sunt corde, & impotentes, sicq; conuincat, melius esse sibi fidere, quàm illis.
  - Assumit speciem maledictionis ex eo, si quis pecuniæ fidat. Et probat eam quacunq; ratione congestam esse inutilem, allegoria Perdicis, quæ bifariam ab Interpretibus exponitur. Quòd videlicet Perdix aliena oua suffuretur, quæ vbi excuderit, fœtus omnes ab ea defugiant, & sic labor & spes omnis pereat. Et hac ratione vertunt textum; Perdix congregat, quæ non peperit: vel, quòd perdix oua propria congregata excudere nequeat, propter maris salacitatem, qui inuenta fœminæ oua vbique proterat, & sic etiam labor & spes prolis abeat. Vertuntque textum eo sensu: Perdix, quæ congregat, & non parit, &c. Porrò parare opes non in iudicio, idem est quòd fallaciter & iniquè.
  - Repetit fundamentum fœlicitatis, fidere in Deo, quem per antipophoram probat semper esse proximum innocantibus & propitium, vt qui quasi in cœlo terrestri, Ierosolymis, Templo & suo Sanctuario habitationem sibi fixerit.
  - Exclamat illos solos esse beatos, qui in Deum Israelis fidunt, vtpotè fontem viuum & perennem ad exaturandum. Econtra illos terræ inscribi, id est, non pro cœlestibus & gloriosis, sed pro probrosis habitum iri, qui ab eo recedant.
- Instituit sermonem cũ Deo. Vbi
  - Ponit formam orationis & veræ humiliationis coram Deo: vel, expetit ne totus & ipse labascat inter auditores deploratissimos.
  - Taxat obstinatum populi contemptum, & petulantem responsationem, vt vt verbo Dei illis minetur.
  - Excusat se tam coram Deo, quàm hominibus Ieremias, quòd non ex inuidia prophetet, nec spontaneo ausu stomachum in suos populares effundat. Id enim est: Non properaui, vel, non fui solicitus, vt essem Pastor post te: id est, non ego spontè vsurpaui mihi pastoratum, quo secundùs abs te essem Pastor. Nec diem malum concupiui, id est, non spontè prædico illis perditionem, cuius etiam tempus videre recuso. Vel, Vtinam dies hos functionis meæ dolorificos non attigissem, &c.
  - Precatur Deum, vt sentiat ipsum patronum, defensorem & confortatorem, non vt hostem vel iratum hominem: addita ratione à spe in eum coniecta.
  - Deuouet perditioni & extremæ confusioni, prophetico planè zelo, illos omnes, quos in sancta sua functione insensissimos & præfractos expertus fuerat.

B.

Hortatur eosdem ad pœnitentiam. Vbi

- Præmittit exordium de authore suæ legationis.
- Exponit quid iussus sit facere: nempe stare & prædicare in porta ciuitatis, vbi frequens omniũ ordinum & Regum erat exitus & introitus, sed & in alijs, adeoq; Templi ipsius portis.
- Subijcit præparata attentione ordines ferè omnes, ad quos sermo eius pertineat.
- Admonet illos de seria Sabbatorum sanctificatione: ac tria fermè præcepti membra subiungit. Vt
  - Ne portent onera vlla, id est, vt ne terrena curent, contempto Dei verbo. Lege 13. cap. Nehem. quod maximè huc facit.
  - Nihil operis faciant: scilicet quod ab auscultatione verbi Dei & religione illos abstrahat.
  - Sanctificent diem Sabbathi, id est, Deo peculiariter omnes eius horas & actiones destinent, secundùm antiqua Dei mandata.
- Taxat corã nepotibus Patrum antiquorum inobedientiam, per auxesim verborum: videlicet quia
  - Non audierunt.
  - Non inclinauerunt aurem.
  - Indurauerunt ceruicem.
  - Non receperunt disciplinam: scilicet mandatorum Dei.
- Obijcit Iudæis ex opposito
  - Splendidam promissionem, si non ita sicut Patres, sed in contrarium se gerant: vt videlicet pacati in ciuitate Dei perdurare possint, tam Reges quam populi, & omnis Templi dominici solennitas duratura sit cum exultatione vicinorum.
  - Seueram comminationem, si iuxta Patres obstinati esse pergant: vt nimirum per iram Dei inplacabilem omni patriæ suæ bono exuantur.

Dispositio

Dispositio Capitis 18. vbi septima incipit Ieremiæ Concio.

PARTES Cap. 18.

- **Docet Deũ esse potentissimũ, & non minus liberrimũ, quam etiã iustissimũ vindicem. Vbi**
  - Parat attentionem ab authore suæ legationis.
  - Exponit quid iussus sit facere: nempe descendere in domum Figuli, vt ibi responsum Domini accipiat, elicitum ex typo visibili.
  - Memorat quomodo in domum Figuli descenderit, & qualiter ibi Figulum operantem viderit: fingentem scilicet & refingentem ex eodem luto vascicula. Quæ sanè chria reipsáne aut in visione Prophetæ exhibita sit, contendere parum refert. Scimus quidem etiam reipsa Christum pedes Discipulorum lauisse, & puerum contendentibus illis de primatu, in mediũ statuisse, & postmodum verbis, quid sibi velit, exposuisse.
  - Assimilat ex oraculo diuino Figulum Deo omnipotenti: lutum verò Iudæis. Sed tamen comparatione maioris & minoris. Figulus enim ex parata laborat massa: at Deus etiam creator est ex nihilo hominum.
  - Applicat expressiùs Propheta visionem
    - In genere ad cunctos mortales, vt nunc ornet gentem vnam suis beneficijs, deinde spoliet, & priùs despectos, attollat tandem, secundùm quod per pœnitentiam, vel contrà, erga illos afficiatur. Porrò hic vtrobiq; verbum pœnitendi per anthropopathiam pro mutatione rei institutæ capitur, non pro vllo dolore, &c.
    - Specialiter ad Iudæos singulos & ciues, maximè Ierosolymitanos, expressa conditione viuendi, si Deum per pœnitentiam exorabilem esse cupiant.
- **Arguit Iudæos, interitũ eisdem cõminãs. Vbi**
  - Refert stomachosè cantilenam illorum obstinatam: Actum est: vel desperatum est: vel expectoratum est: hoc est, fastidium cœpit nos tui vniuersi sermonis, & exhortationis: Iecimus iam semel pro voto nostro aleam.
  - Ponit per epexegesim plura eorundem verba, suam tantùm libidinem & institutum priùs exercere volentium.
  - Infert Dominum quiritantem per comparationem cum gentibus de reproba populi sui apostasia, quæ & gentibus stupore esse possit. Porrò Virginem Israelem vocat vel ironicôs, vel quòd syncerum esse decuerat in religione.
  - Allegat parabolã geminã pro absurdo.
    - In propinquo saxo & niuoso (pro quo Libanus ponitur) habeat fontem, & tamen procul currat ad pœtendam aquam.
    - Habeat in propinquo aquas aliundè traductas: nimirum per canales & frigidas, & tamen non contentus eis, eruat, & disturbet, vt inutili labore peregrè ad fontem ipsum contendat.
  - Applicat vtramq; breui disceptatione populo Dei sui oblito: quasi dicat, Cùm Deus instar viui fontis sit, & Ierosolymæ sit eius scaturigo, vnde possint singuli ad satietatem bibere, stultissimũ est illos præsentẽ Dei sufficientiam spernere, & idolis mutare, &c.
  - Exponit copiosiùs peccata populi idololatriam exercentis, & Pseudoprophetis fidem adhibentis, ad deserendam viam antiquam Patrum, vt sectentur semitas viæ non munitæ: id est, imparatas, non tritas, illegitimas, & quasi vepreta auia: addita pœna desolationis certæ, & stupendæ, si pergere vlteriùs velint.
  - Addit pœnam desolationis tã certæ, quã stupẽdæ amplificatione per parabolã
    - Hominum exterorum sibilantium, & capita concutientium, &c.
    - Ventus Orientalis vehementissimi, qui Chaldaicum exercitum designat, instar Euri calamitosum, &c.
    - Dorsi & non vultus conuersi, ad eiulantes, &c.
  - Subiungit iterum nefanda populi scelera, pro exulceratissimo in Prophetã & verba Domini animo quouis supplicio dignissimi: cuius quidem per hypotyposim, seu mimesim, verba latè depinguntur. Nam
    - Hortantur sese diabolico furore ad resistendũ Ieremiæ.
    - Addunt causam ex eo, quòd Sacerdotes ipsorum periti sint Legis & Sapientes consilij & prophetiæ (sed laruatæ) verbi Dei, quibus nimirum ipsi adsueti sint, vt toto cœlo Ieremias explodatur.
    - Exprimit quomodo destinârint nocere Ieremiæ: videlicet
      - Percutere lingua, id est, prodere eũ apud Regem & Principes: vel, pro sua authoritate (quasi Ecclesia sint vera & generalis) obturare os imperioso silentio prophetæ.
      - Nihil ex sermonibus eius audire. ¶ Hæc omnia hodie hæreditaria sunt mala in Papistis, successione Apostolica gloriãtibus, & nõ nisi extremo furore veritatem Euangelicam auscultantibus, &c.
- **Commendat se Deo, & seq.** Vide literam A.

A. Commendat se Deo Propheta, deuouens malè affectos Iudæos. Vbi

- Conuertitur ad preces, vt Deus aduertat, & præstruat artes Iudæorum insidiantium.
- Amplificat iniquitatem eorundem ab absurdo. Contrarium enim est vel naturæ, malum pro bono rependere: subintelligens tantæ nequitiæ Iudæos esse reos.
- Probat id experientia. Vbi fodere foueam, significat vitæ struere insidias, prouerbio petito à Venatoribus.
- Memorat contra beneficium Iudæis collatum, teste Deo.
- Exponit fusè spiritu prophetico supplicia à Deo illis destinata: quæ quidem ex officio magis, quàm ex persona Ieremiæ dicuntur. Vnde non tam imprecatur, quàm prædicit primò famem, deinde gladium, ad tollendos eos omnes violenta morte, auxesi verborum per hypotyposim.
- Iterum expostulat de structis sibi insidijs, Deum citans testem.
- Imprecatur vindictam illis irremissibilem, extremamque perditionem. Hæc respectu Ieremiæ impleta sunt in Iudæis per Babylonios: respectu Christi, per Romanos.

Dispositio Capitis 19. vbi octaua incipit Concio.

Paradigmate prophetico denunciat Regi & toti regno excidium, maximè propter idololatriam. Vbi

Memoratur verba Dei ad prophetam, quibus iubet, vt

- Coëmat Ieremias vas testaceum à Figulo, seu lagenã stricti oris, dictamque per onomatopœiam Bakbuk, à sono, quem in bibendo edere videtur.
- De Senioribus populi & Sacerdotum educat secum ad vallem Hinnom extra portam Solarem, hoc est, Orientalem, quam alij Fictilem vertunt, quòd ם & ש sint literæ affines.
- Publicitùs tam ad Reges, quàm ad plebem Iuda proclamet catholicam & miserabilem perniciem, amplificatione hinc & inde congesta.
- Recenseat pro causa desolationis & iræ Dei fusè peccata eorum: præsertim in fundendo sanguine innoxio, & idololatria per omnes circumstantias depicta. De eadem vide & suprà cap. 7.
- Minetur ibidem ex ratione loci perditionem vastitatemque extremam, enumeratis per hypotyposim speciebus omnibus malorum. Vbi, Euacuatio consilij Iuda, tangere videtur allegoriam lagenæ exinanitæ, &c. Et quemadmodum in priori capite dictum est, aliter hæc quoad Ieremiam, aliter quoad Christum, in Iudæis expleta sunt, vt mater etiam filium comederit.
- Post homiliam absolutam, hydriam vel lagenam Ieremias confringat: verbis nimirum symbolum addens.
- Iterum planam facti sui expositionem addat, de certissima & irreparabili regni Iudaici clade. Cæterùm etsi captiuitas Iudæorum reuersa fuit olim, tamen locus Tophet nunquam fuit reparatus, neque antiquus regni splendor. At plenissimè ista destructio sub Romanis est facta. Vnde apparet ipsissima idololatria maiorem esse coram Deo abominationem, Filium suum temerè reijci.
- Aperrè damnat Palatia etiam Regum, & totam ciuitatem idololatria, ad similitudinem loci Tophet. Id ipsum impingit Ierosolymorum vrbi & Sophonias cap. 1. vbi sacella & lararia in priuatis etiam ædibus haberi potuerunt ad thurificationem, instar Papistarum.

Refertur acta Ieremiæ, fortissimi Dei athletæ, qui

- Reuersus de Tophet, vbi præiussa absoluerat, in atrio etiam domus Domini, seu Templi consistit, vt loco vulgari & constanti animo iterum atque iterum obduratos Iudæos vrgeat.
- Recolligit totius negotij summam in duo capita, quorum
  1. Continet supplicium de vrbe & gente sumendum.
  2. Comprehendit causam pœnarum, ceruicem induratam.

Dispositio Capitis 20. vbi narratio incipit historica.

PARTES Cap. 20.

- Conijcitur in vincula Ieremias, extrema fata tam populo, quàm Phassur persecutori suo prædicens. Vbi
  - Audit, hoc est, per se, vel per alios percipit Ieremiam prophetantem in atrio Templi Phassur filius Immer: qui quidem non videtur ex eo dici præpositus Templi, quòd fuisset summus Pontifex, sed quòd eius quasi vicarius præfecturã Templi habuerit, quemadmodum & Demetrius Argentarius templi Ephesiani, Act. 19. Et ex hystoria sacra apparet, præsertim Ioiadæ, Ioas & Athaliæ, ordines fuisse Sacerdotũ, & in his Ianitores, Custodes, &c. vt præfecto his opus fuerit, quo minùs ordo turbaretur.
  - Percutit, nimirum alapis vel baculo Dei Prophetam, & tandem intrudit in cippum Hebraicè Mahepechet, quod videtur dici propter ligna ex aduerso coeuntia. Et habebat tria foramina, vnum in quod collum immittebatur: & duo, in quæ manus singulæ. Indicatur & locus, quòd fuerit prope Templum, ad portam Beniamin. Forsan erat extructus pro coercendis Pseudodoctoribus. Deu. 13. 17. vt non vi protinus, sed ratione priùs cum errantibus ageretur. Atqui Phassur non argumentis, sed armata manu more Pontificio agit.
  - Educit Phassur Ieremiam postero die ex vinculo.
  - Ponũtur verba Ieremiæ, qui
    - Eleganti paranomasia minatur Præfectum ipsum, non Phassur amplius, sed Magor dictum iri à Domino: quasi dicat, non augustus, sed angustus: non nobilis, sed mobilis futurus es. Est autem Phassur, vel Paschur idem quod excrescens Princeps, vel scindens, seu aperiens locum: Magor verò pauor.
    - Reddit rationem comminationis propheticæ fusiùs, ex iusto paratoq; Dei iudicio, exegeticè depingens catholicam Iudæorum deuastationem & captiuitatem per Assyrios.
    - Specialiter per apostrophen minatur ipsi Phassur captiuitatem & mortem apud Babylonios, adiecta causa, quòd mendacium prophetet: hoc est, quòd cum ordine Leuitico & ministerio diuino glorietur: tamen seductor sit populi. At Papæ & Papatus ne mentio quidem vspiam in sacris: qui tamen sustinent se nunquam errare, corrigibilesq; esse.
- Describitur pugna carnis & spiritus in Ieremia per colloquium, ac expostulationem cum Deo. Vbi
  - Disceptat cum Deo, quasi is incassum suam tutelam & ampla præmia seruo promisisset, de quibus vide cap. 1.
  - Addit rationẽ ex eo, quòd ab omnibus odio habeatur, & irrideatur, quasi communis hostis.
  - Exprimit quid sibi carnis consilium suggesserit: vt nimirum stationem omnem deserat. Maxima hæc est hodie, etiam bonis quibusq; pastoribus lucta.
  - Exponit quomodo in interiore homine, in contrarium spiritum vrgentem, ac vim suam excrentem senserit, per metaphoram ignis erumpere gestientis. Sic est verbum Dei in fidelium mentibus semper.
  - Repetit iterũ per mimesim, quid propter preconiũ verbi Dei patiatur: nimirũ
    - Terrorem in genere.
    - Apertam insidiatorum delatorumque pactionem, & quidem forsan Sacerdotum, adhortantium suos corycæos, vt si quid tale ex ore Ieremiæ percipere possint, quo apud Regem & Principes accusetur, tanquam claudicator & erroneus, sedulò aduigilent. Et subiungit auxesim per exclamationem, quòd etiam ab amicis & domesticis idem patiatur, quos, Viros pacis suæ vocat, dicentes de Propheta, Si fortè decipiatur, &c.
  - Cõmemorat quid contra Spiritus illi bonus suggesserit. Vbi
    - Agnoscit, & spe profitetur Deum sibi tutorem esse instar Gigantis robusti.
    - Pronunciat omnes suos inimicos confusos iri, & quidem ignominia perpetua & famosa, addita causa, quòd non prudenter egerint: id est, stultè & hostiliter veritatem reiecerint.
    - Commendat suam causam Deo, cuius omniscientiam & iusticiam prædicat, vt tutò omnia sua illi credere posit.
    - Exurgit in laudem Dei alios etiam ad eandem inuitans, addita causa, seu materia gratiarũ actionis: quia soleat is afflictos liberare. Quæ quidem verba sunt Spiritus, repudiato carnis iudicio in Ieremia dolente.
  - Refert vicißim, & seq. Vide literam A.

A.
Refert vicissim quomodo imbecilla caro ad ingenium suum redierit spiritui impetuose reluctans: quale duellum & Paulum de se predicare nouimus, Rom. 7. & Iob. cap. 3. & hic Ieremias

Execratur diem natiuitatis suæ, cupiens illum pro nefasto haberi.
Maledicit ei, qui pro more euangelium, seu lætum nuncium de nato filio masculo parenti pronunciarit, vt pro præmio maledictio illi cedat. Et quidem horrendi interitus instar Sodomæ & Gomorræ, & perpetui. Id enim particula. Neque pœnituit eum, scilicet Deum, significare videtur: quasi dicat, Deus sæuiat in illum absque vlla clemētia. Imprecatur etiam eidem homini perpetuam inquietudinem & luctum, vt semper clamoribus & tumultibus sollicitetur, instar obsessorum in arce. Vel quòd Deus semper illum clamantem & tumultuantem audiat, sed non exaudiat. Quanquam nonnulli verbū Audiat, pro audiuerat, vsurpant, quasi ideò Deum perditionis Gomorreorum non pœnituerit, quia iugiter peccata eorum, clamantia nimirum in cœlum, audiuerit. Sed vtut sit, videmus prophetam quàm immani & vesano impetu rapiatur in hominem innoxium magisque hostem. Et tamen de hostibus quoque temperandum nobis esset. Vnde discamus frenandos esse maturè omnes affectus, qui etiam Sanctos nonnunquam in fœditatem abripuêre.
Quiritatur iterum malè oppressus miro verborum affectu, quòd in viuum adultumque hominem processerit, & maximè functione prophetica donatus sit, addita causa iugis opprobrij. Porrò etsi hæc omnia verba abominabilia Deo fuêre citra pœnitentiā Prophetæ, tamē magis apparet deliquisse Iobum ipso Ieremia. Hic enim zelo gloriæ Dei magis, ille sui tantum respectu in isthæc verba prorupit.

Dispositio Capitis 21. vbi alia incipit narratio.

Præmisso titulo pro occasione vaticinij ponitur nomen Regis Zedechiæ mittentis, & Legatorum duorum. Vide autem hîc miram metamorphosim, iuxta prædictionem Domini: Tu non conuerteris ad ipsos, sed ipsi ad te, &c. Ierem. 15. Antea enim, & ferè iam ad nonum Zedechiæ annum contemptibilis & carceri destinatus Ieremias honorificè hîc consulitur. Apparet autem Zedechiam non fuisse veluti Epicureum ex professo Dei contemptorem, neq; fidum tamen Regem, sed semisepultum Dei timorem fouisse in medio peruersorum consiliariorum, quales & hodie multi reperiuntur.
Summa legationis attexitur: an scilicet in maxima obsidionis angustia etiam miraculosè, puta vt olim sub Ezechia, vrbem Ierosolymam Deus asserturus sit.

OBSESSA iam vrbe Ierosolyma per Babylonios Legati ad Ieremiam missi, infaustā ad modum audiunt relationem, præcipuè vbi sanis eiusdem consilijs acquiescere noluerint. Vbi

Ponuntur verba Ieremiæ ex ore Domini: modesta quidem, & non insultoria, sed heroici spiritus. Vbi Propheta

Ostendit in genere belli euētum infœlicissimum, adeoq; sua ipsorū arma in publicā cōuerti internecionem. Et sanè quò validiùs tutabantur ij arcem, quibus Deus infensus sit, eò magis irritabunt hostem victorem ad vindictam, &c. Magnum est & illud, quòd modum etiam exprimit pugnæ irati Dei, manu extenta, robusto brachio, &c.
Peculiariter exponit quid Regi & populo ex calamitate superstiti euenturum sit: nempe tristis cædes & captiuitas.

Sufficit interea salubre cōsilium populo proponens, quasi biuiū, quod quale sit, exprimit fusius. Nam iter
- Mortis esse ait manere in ciuitate: hoc est, obsessam violenter velle tutari aduersus Assyrios, vbi certa expectandā sit perditio.
- Vitæ esse dicit, egredi ex vrbe, & sese dedere Regi Babylonio, vt vitam, seu spolium quodpiam populus collucrari possit: addita ratione ab ira Dei prorsus implabili, & igni assimilata.

Præscribit aulæ regię quid facere debeat, vocans eam domum Dauid, vel ex eo, ne illa prosapia inaniter gloriētur, perdendi vtique. Vel, vt pudeat illos in tantum à pietate Dauidis degenerauisse. Ponit verò officium aulæ regiæ,
- Iudicare manè iudicium: quasi dicat, Non suadeo vt hypocriticè longum tempus absumatis in conuersando & cantando in Templo, multò magis in venando & lusu: sed vt absq; ebrietate iustum & prudens exerceatis iudicium. Vel, vt manè, hoc est, maturè, & sine dilatione miseris perniciosa, vt interim rabulæ forenses exaturentur, & pauperes exhauriantur. Vel, manè, hoc est, maturè, vt reliquum diei misera plebs necessariò operi impendere possit.
- Eripere, seu liberare insontem de manu calūniatoris, quod fit multipliciter, suum cuique iusta lege attribuendo. Subnectit his vicissim rationē ab implacabili Dei ira igni comparata.

Confutat vanam illorum spem ostendendo nulla munitione posse liberari à clade imminente, vtvt ipsi aduersum sentiant, & dicant: addita causa à pronunciato diuino, quòd non secus atq; densam syluam, quæ sua ariditate ac siccitate vehementiùs exuri solet, ipsos cum sua ciuitate consumpturus sit.

Dispositio Capitis 22. vbi nona Ieremiæ incipit concio: verùm hic elucet ordinem naturalem iterum mutari in scriptis Ieremiæ. Nona enim hæc oratio non sub Zedechia, sed ante sub Ioachim dicta est, cùm non ita pridem abductus esset Ioachas frater eius, Sellum cognominatus, in Aegyptum per regem Nechaonem, &c. vt habetur 4. Reg 23, &c.

PARTES Cap. 22.

- Adhortatur regem cũ Proceribus regni ad officium, quod nisi præstent, perituros asserit. Vbi
  - Ponit Ieremias authorem totius doctrinæ Deum ipsum, vt ideò credendum illi sit, &c.
  - Indicat quomodo iussus sit regiam ingredi, & ibi sermonem palatinum vel aulicum facere, audientibus omnibus & palàm.
  - Facit exordium orationis breuissimum pro attentione, cùm ex persona Dei tum auditorum, ad quos missus sit. Vbi transeuntes per portas periphrasistica notatione, vel pro habitatoribus, vel pro conuersantibus illo in loco capiuntur.
  - Inculcat quasi ad fastidium mãdata Dei: videlicet
    - Faciant iudicium, id est, aperiant forum ad causas dignoscendas, affectibus omnibus & vanitatibus vitæ aut otio sepositis.
    - Faciant iustitiam, id est, iustè iudicata, iustè exequantur.
    - Per singulas partes prædicta in genere tueantur, maximè in tribus hominum generibus omnium iniurijs expositis, aduenis, pupillis, & viduis. Vide Exodi 22. Leuit. 19. Deut. 10. &c. Subiungit his legem naturæ à Christo quoq; inculcatam: Quod tibi non vis, &c. Item, Ite, sanguis innoxius fundatur. His similia habuimus & Ieremiæ 7.
  - Coniungit consequenter promissiones & minas, interposito iuramento, ad id tamen inclinans, vt dignitatem & incolumitatem obtemperando potiùs retinere malint, quàm repellendo amittere.
  - Disserit copiosiùs per allegoricam locutionem de vastatione vrbis & regni: quasi dicat. Quo iure tantoperè tibi confidis? Ego nõ peperci regioni & monti Galaad (qui caput Libani grandioris & syluosi montis, hoc est, quasi promontorium præcipuũ erat aromatibus & omnium fructuum delitijs abundantior, suprà cap. 8 vers. 22.) in terra Israelitica, adeoq; decem tribubus & amplissimæ illi terræ, &c. Ergo nec tibi delinquenti parcam. Minus consentaneum est, quòd Gilead hoc loco pro ciuitate vel metropoli capiunt quidam inter Israelitas versus Amorreos. Porro in eadẽ Libani similitudine persistens, comparare videtur rusticis syluam decidentibus, vastatores vrbis Ierusalem.
  - Subiungit vastationis causam, & quidem per prosopopœiam viatorum tantam vrbis olim splendidæ ruinam admirantium.
- Proponit Regi infœlix fratris exemplũ, accusans iniustitiam & luxum eiusdem in ædificando. Vbi
  - Amplificat miseriam ipsius Sellum fratris Regis Ioachimi, à comparatis: vetans nimirum defleri eos (Iosiam & Ioannam præcipuè) qui in acie nuper à Nechaone cęsi essent. Quoniam ij agmina malorum finijssent, sed Ioachaz Sellum turpiter in captiuitate vitam finiturus esset. Vbi tamen quod principio obscuriùs dicebat, significantiùs tandem proponit, etiam nomen ipsius Sellum exprimens.
  - Pergit accusare Regis iniusta & insana ædificia. Vbi
    - Exaggerat orationem inter cætera emphasi: Proximo, inquit, abutens: quasi dicat, Licet Rex sis, tamen plebs ipsa diligi loco proximi mereretur.
    - Per prosopopœiam corripit & conuincit Regem magna & superba & indignissima molientem, vbi & labor & opus mediocritatem & veritatem excedant.
    - Disceptat cum eodem per apostrophen, quasi subsannando interrogans, An ideò se regnaturum credat, quòd contendat cum cedris: id est, velit superare ædificiorum splendore maiores suos: vel quòd se in palatijs cedrinis & preciocissimis contineat.
    - Ostendit exemplo maiorum, & precipuè patris Iosiæ, per collationem, ipsum grauiter peccare, vt qui solus illas delitias & magnum splendorem vrgeat, quæ quidem non per se decent Principes, sed propter ministerium diuinum rectè imperandi.
    - Epiphonemate commendat Patrum exemplum à iustitia & pietate per interrogationem figurata: quasi dicat, sic & tu illa ratione maiorum magis, quam vlla magnificentia aulæ, deberes me nosse, & propitium tibi adsciscere.
    - Refert ex opposito, quàm dispar sit Rex Ioachim maioribus suis, & quantis scateat sceleribus.
- Prædicit miserum, & seq. Vide literam A.

A. Prædicit miserum exitum Regi Ioachim, & filio eius Iechoniæ, & vniuersis aulicis ac plebi per Babylonios. Vbi

- Dicit voce Domini Ioachimum Regem non tantùm captiuū abducendum ex patrio regno, sed moriturum in itinere, proijciendum feris, cariturumq; planctu & sepultura. Id quod completū esse testatur sacra historia, 2. Paral 36. Filium verò Iosiæ non tam honoris causa, quàm ironicôs appellat.
- Exprimit per mimesim voces & eiulatus lugentium, tam priuato, quàm publico nomine vsitatos. Priuati enim dicebant, Heu frater, heu soror: publici, Heu here, heu domine: quasi dicat, Te neq; priuati, neque publici plangent.
- Addit causam à maledictione Dei, cuius signum erit proiectio cadaueris eius adumbrata per asininā sepulturā, in escā bestijs terræ & auibus cœli. Etsi verò huiusmodi abiectio de pijs quoq; dicatur, Psal. 79. tamen causa magis est pro discrimine cogitanda, quàm modus pœnæ in bonis & malis.
- Ostendit in tantis malis nullum alicundè affulsurum auxilium, vtvt frustrà sperent, vel implorent tā à suis vanis dijs, quos in montibus & nemoribus coluerunt, quàm à confœderatis Aegyptijs quos omnes instar amasiorum sibi olim adsciuerant Iudæi. Causa additur, quia & illi omnes conterantur. Vbi vocem Meabarim, id est, ab Abarim alij pro loco positum volunt, vt Libanum & Basan, alij pro transfluuianis, alij ab lateribus, id est, pro vndiqne dissitis, seu vicinis. Ista verò omnia ironicè capienda sunt, ac si dicat Propheta, Quia melioribus meis monitis non soles acquiescere, abi nunc, & ascende vertices montium, & implora clarà voce subsidium tuorum, si quos habes.
- Repetit causam malorum, quòd semper dura ceruicè fuerint.
- Minatur captiuitatem, tam Principibus, quàm ipsis dijs, amasijs populi stultissimi.
- Obijcit illis luxum & securitatem perniciosam & stultam in loca munita fiduciam. Per Libanum loca montosa, & per cedros splendorem designans.
- Per correctionem addit mala publica nihilominus ventura sub parabola fœminæ speciosæ quidem, sed in partu deformosissimæ.
- Dicit eum in captiuitatē abducēdum. Vbi
  - Verbis suis Deus iuramentum interponit, quamuis sit veritas.
  - Iechoniā nominat, syllaba dempta, Cōniahu videlicet per contemptū.
  - Comparat illum per conditionem annulo signatorio: quasi dicat, Etiamsi de domo Dauidis, tu supersis, quo veluti annulo signatorio confirmetur promissionum meatū veritas, tamen confunderis. Dum enim superfuit semen Dauidis, constare potuit ex eo, excitandum fore aliquando Regum Christum. Ideoq; Zorobabel nepos huius Iechoniæ, filius Salathielis filij Iechoniæ, ab Aggeo cap. 2. manifestè appellatur Annulus signatorius. Horrendum ergo fuit, quòd tametsi Deus per Iechoniam confirmaret veritatem suæ promissionis, de germine Dauidis Christo, magno Rege, tamen ea prærogatiua non liberaret ipsum à captiuitate.
- Adijcit matrem etiam fore abducendam.
- Subijcit cōsequēter in specie fata tristissima Iechoniæ filij Ioachimi. Vbi ex ordine
  - Coparat captiuū Regē idolo turpi, seu trunco inglorio, per interrogationem ad maiorem vim verborum, quasi nullis omnino id animaduertentibus, aut opinantibus ipse Propheta summè admiraretur.
  - Comparat eundem vasi fictili & repudiato.
  - Per exclamationem interrogatione figuratam ostendit miserrimam futuram Iechoniæ captiuitatem. Et sacra historia tradit, eum sub Euilmerodach 37. captiuitatis anno (vt & Ierem. 52. habetur) ex carcere liberatum esse.
  - Per Prosopopœiam exclamat & exaggerat Propheta stupiditatem Iudæorum & Regis.
  - Ostēdit grauissimam illi futuram captiuitatē in ipsoq; regiam maiestatem desiturā. Vbi
    - Apertiùs exprimit quid illa animorum exercitatione voluerit: quòd nimirum irreuocabile sit Iechoniam abdicatum, hoc est, captiuum fore, nullumque ex eius semine regia vsurum magiestate, seu throno Dauidico. Etsi autē Zorobabel fuerit Dux, tamen non Rex vnquā populi, sed semper exteris Principibus subiectus. Et quod quidam ex Asmonæis corona vsus legitur: pertinuêre Asmonæi ad Tribum Leui. Christus demum coronam & thronum Dauidis, sed nunquam finiendum in spiritu accepit, quemadmodum prædixerat Ezechiel capit. 22. vers. 29. 27. Detrahite, detrahite, detrahite, inquit, cidarim, vel diadema vsque dum veniat cuius est: Quasi diceret trina repetitione Ezechiel, nō paucis rantū mensibus vel annis, sed multa ætatum serie regnum Dauidis ferè ad desperationē obrui, verùm restaurari iterum ad primam perpetuoq; mansuram dignitatem in Christo. Sic Amos 9. Veniet, inquit, tēpus quo Deus eriget ruinas ex Tabernaculo Dauidis, &c. Vtvt pessundatus sit igitur typus regni in æternum promissi. Psal. 89. &c. tamen corpus mansit in spe fidelium & veritate promissionis occulta, quæ tandem ad euidentiam emersit. Sic plerunque & de Ecclesia Christi agitur: quæ quidem non nisi ad tempus euidentia sua priuatur, proprio vicissim, nec vnquam abolituro triumpho destianta.

Dispositio

Dispositio Capitis 23.

PARTES Cap. 23.

- Accusat grauiter Pastores populi, interminans eis exitium. Vbi
  - Orditur ab exclamatione de Pastoribus in genere, per quos Reges ipsi cum Pontificibus, Sacerdotibus, Consiliarijs & Prophetis intelliguntur promiscuè.
  - Addit pro authoritate sermonis nomen Domini.
  - Ponit capita accusationis: nimirum priùs in genere dicta, distribuens tandem sub parabola pecuarij Pastoris. Vbi dispersio & visitatio gregis per antithesim dicuntur.
  - Minatur apertè malis Pastoribus vocabulo visitandi, quod alio à priore sensu ponitur.
  - Lætam & amplam subtexit promissionē ad consolationē piorum, de pastorali Dei cura erga verum semen Abrahæ. Vbi
    - Seipsum promittit Dominus sub eadem gregis parabola populi sui tutorem, assertorem, & amplificatorem fore, etiam post captiuitatem.
    - De alijs fidis Pastoribus spem facit, quorum opera pacificè tandem domi suæ pascantur, quales fuêre Zorobabel, Esdras, Nehemias, Iosua Sacerdos, Aggæus, Zacharias, Malachias, &c.
    - Nominat singularem vnum Pastorē excitandū: nempe Christum, cuius hic præmissa authoritate Domini loquentis, & certitudine temporis, describitur
      - Natura: dum dicitur
        - Germen iustum Dauidis: hoc est, ex ipsissima stirpe Dauidis, vel innocens, & sine peccato futurus homo.
        - Iehoua iusticia nostra: id est, verus Deus, iustificans nos. Non ergo typus præsentiæ Dei, vt olim Arca vel ciuitas, quemadmodum Iudæi nugantur: nec instrumentum, sed vnius per omnia & absolutè dictus Iehoua.
      - Authoritas, vel officium: dum dicitur
        - Regnaturus, id est, perpetuò dominaturus.
        - Quomodo: videlicet
          - Vt Rex, id est, absolutè Dominus dominantium, & Rex Regum.
          - Prudenter & fœliciter omnia gubernans: nimirum è cœlo per verbum & Spiritum suum.
          - Faciens iudicium & iusticiam: id est, iustè omnia præcipiens mandato, & exequens remuneratione.
      - Beneficium saluberrimū: quòd videlicet
        - Salutem vel vitam æternam retribuat post mortem.
        - Pacem vel securitatem: scilicet animorum in hac vita aduersus peccatum, Diabolum, &c. Porrò hic Iuda & Israel, vel pro fidelibus ponuntur ad respectum priorum, qui boni fuêre. Vel promiscuè pro gentilibus etiam ad salutem vocandis, qualium certè tunc Iudæi, idololatræ ferè omnes, typi erant. Vel quod hæc tunc adimplebuntur, cùm Iuda & Israel pariter ex captiuitate reuertentur, & simul Ierosolymis habitabunt. At vbi nunc Ierosolyma, & vna congregatio Iudæorum? Ergo verè aduenit Christus Messias, &c.
    - Confert beneficium liberationis ex captiuitate Babylonica, cum liberatione ex Aegypto, huic illam anteponens, vnde emergūt quatuor. Quòd
      - Certò Iuda etiam in captiuitatem ducetur.
      - Pro certo inde eliberabitur.
      - Illa liberatio gratia tantùm Messiæ, tot iuramentis promissi, futura sit, & fidelibus tantùm eius plenaria gloriatio communis.
      - Noticia Dei & dilucidior & diffusior erit, & quidem apud omnes in terra propria, quæ magis Christianorum hodie, quam Iudæorum sunt:
  - Pergit accusare, & seq. Vide literam A.
- Consulit Pseudoprophetas, & seq Vide literam B.

A. Pergit accusare iterum Pastores, pœnã eis interminans. Vbi

- Ponit titulum ad quos, vel contra quos loquatur. Ad Prophetas nimirum, seu Doctores populi, sed malos.
- Vtitur exordiolo pathetico, & tragico prorsus. Vbi nominibus cordis, ossium, & comparatione ebrij auxesis habetur sermonis: quasi dicat, Hinc reputans maiestatem Dei, inde corruptelam Pseudoprophetarum totus contremisco, tantùm abest vt cum eis colludere & perpotare possim, &c.
- Rationem subdit cur ita commoueatur. Vbi recenset
  - Adulterium: scilicet tam spirituale, quàm carnale.
  - Peierationem, cui pro pœna mox subiungit sterilitatem aruorum.
  - Cursum eorum ad malum: id est, omnia instituta ad malitiam.
  - Quòd fortitudo eorum non sit veritas: id est, non veritate, sed mendacio nitantur.
- Accusat denuò Pseudoprophetas cum Sacerdotibus, quasi causam adferens cur sileat, cùm fortiter esset clamandum: Quia videlicet pro malitia non habeant liberam conscientiam.
- Minatur illis iudicium Dei per tropum. Vt enim verbum Domini lucerna est pedibus iustorum, ita destituti verbo tandem corruunt, & in horribilem conscientiæ implicationem incident. Et hic annus visitationis pro tempore vltionis capitur.
- Ostendit per collationem quantum sit peccatum antistitũ, cõuincens in
  - Genere, tam Iudæos quàm Israelitas idololatriæ.
  - Specie,
    - Adulterij: nimirum tam carnalis, quàm spiritualis.
    - Mendacij, seu fraudulentiæ, vel hypocriseôs.
    - Quòd roborent manus malignantium: nimirum dissimulando ea quæ arguere deberent.
    - Quòd sint instar Sodomæ & Gomorræ: id est, paucissimis exceptis, omnes conscelerati & inemendabiles.
- Subijcit minas, supplicium commeritum eisdem denuncians, secundùm formam verborum suprà etiam cap. 9 positorum.

B. Consulit Pseudoprophetas, non esse audiẽdos, reddita ratione. Vbi ex ordine

- Ostendit Deum consilij sui authorem.
- Simpliciter pronunciat auersandos esse Pseudoprophetas.
- Addit rationem geminam: videlicet
  - Propria figmenta non Dei iussa annuncient.
  - Impœnitentibus securitatem in suis flagitijs promittãt. Vbi
    - Duo genera hominum ponit: videlicet irritatores & Pseudoprophetas.
    - Commemorat per mimesim, quid subsannatores de veris Prophetis indicare & loqui consueuerint.
- Constanter asseuerat Deum verbi sui veritatem incerta vindicta ostensurum, quæ comparatur tempestati suauissimæ, &c. Addito etiam epiphonemate, quod proprio malo tandem doceantur.
- Exagitans vicissim Pseudoprophetas, proprio depingit colore. Vbi voce Domini
  - Negat illos missos esse, sed proprio & temerario currere ausu.
  - Conditionem ponit triplicem de vera eorundẽ functione: videlicet
    - Stare in concilio Dei: id est, conscium esse voluntatis Dei.
    - Annunciare verbum Dei, & non hominum.
    - Annunciare, nõ quouis modo, sed ad emendationem vitæ, &c, vt non puluilli sceleratis hominibus consuantur, Ezech. 13.
  - Asseuerat omnipræsentiam & omniscientiam Dei contra eos, qui Deum mortalia parum curare vel dicebant, vel cogitabant.
  - Ponit per mimesim tam Dei ipsius cuncta in falsis Prophetis aspicientis, quàm Pseudoprophetarum oracula, diuina iactantium verba, Vbi ijdẽ comparantur etiam Patribus antiquis idololatris.
  - Ostendit maximum esse discrimen inter verbum Dei & verbum hominum, vt nunquam commisceri possint, addita ratione à similitudine per prouerbialem locutionem.
  - Subiungit per explanationem verbi diuini excellentiam duplici parabola, vel allusione: nimirum ignis omnia purgantis & elucidantis, atque mallei dura quæque conterentis, prout & verbum Dei lapidea atterit corda.
- Colligit deceptionem & Pseudoprophetiarum genera, quibus extrema quæque minatur. Vbi post verba: Ecce, ego contra Prophetas istos, per elipsim, vel aposiopesim, subintelligitur, Me opponam. Ponit verò tria deceptionum genera:
  - Suffurari populo verbum Dei.
  - Lenificare linguam, id est, blando sermone allicere plebem,
  - Somnia & inanes prætexere visiones. Quæ omnia hodie in Papistis locum habent.
- Obiurgat contemptores, & seq. Vide literam C.

Obiurgat cõtemptores veræ prophetiæ, interitũm eisdem denuncians. Vbi

- Ponit per hypothesim, seu conditionem contumacis populi & Sacerdotum vocem, pro nihilo ducentium onus:id est pondus,minas,& assumptionem verborum Domini.
- Instructa additur responsio, quam regerat Ieremias incessantibus: quòd videlicet ipsi sint onus, seu assumptio: addita causa vel exegesi, Quia à Deo proijciantur, tanquam fortiter illisi terræ, &c.
- Cathegoricè explicat, quid velit dicere: nempe Deum animaduersurum in quoslibet ordines verbi diuini contemptores. Vbi visitandi vocabulum omne malum comprehendit, similitudine patrisfamiliâs,vel heri,seruis suis prouidentis.
- Interserit institutionem admodum vtilem,, quæ est trimembris. Nam
  - Verbatim recenset,quomodo velit sermonem diuinum excipi ac inquisitionem de eo haberi.
  - Vetat illos amplius vocabuli Oneris meminisse: non quidem respectu dictionis sæpius in Prophetis vsurpatæ, sed quoad fastidium, illusionem, odiumq; petulantis populi. Et hic subiungit duplex incommodum.Quòd
    - Reipsa tales onus à Domino persensuri sint suo malo.
    - Ea petulantia & scurrilitas aperta sit verborum Dei euersio,seu contemptus: vel, illud membrum pro expostulatione ponitur,quòd videlicet vocem à Domino recto sensu positã ipsi prauè intelligant,& subsannent, quasi verba Prophetarum saltem mala, & pressiones odiosè & nihil aliud sonet. Porrò hic apertum est de sancta Triade testimoniũ in vna deitate, de qua alibi commodius.
  - Iubet iterum,prauis affectibus depositis,summa cum reuerentia de prophetia loqui illos,qui in Schola Dei proficere cupiunt.
- Minatur vicissim metaphora validæ proiectionis,quæ cum libreatione fieri solet, extremam internecionem,atque dispersionem Iudæorum,verba Dei seruiliter excipientium. I nunc ergo Iude pasquillis & putidis dicterijs in sacra Scriptura,qui instar Iudeorum,præsertim Christo contradicentium æternam pœnam & ignominiam subire vis.

Dispositio Capitis 24.vbi decima Ieremiæ Oratio incipit.

VISIONE ostendit Iechoniam cum abductis in captiuitatem benignum Deum expertum, contrà verò Zedechiam cum suis,iratum. Vnde apparet Orationem hanc dictam esse circa principium regni Zedechiæ impij Regis, postquam Iechonias sese Regni Babylonio dediderat,vt habetur 4.Regum 24.& hic Ieremias

- Exponit visionem diuinitùs sibi ostensam de duobus corbibus. sportulis, calathis, seu cistulis,ac canistris ficuum, hinc dulcium, inde austerarum, &c. vnà cum occasione huius paradigmatis. Porrò Templi Dei mentione, ostendit ad omnes eos visionem hanc pertinere, qui Templum frequentant, & eò malè gloriantur.
- Ponit interrogationem Domini.
- Subijcit responsionem de obiecta visione.
- Annectit visionis explicationem voce Domini. Vbi
  - Duo corbes,significant duos populos: sub Iechonia scilicet & Zedechia positos.
  - Ficus bonæ,non tam populi cum Iechonia captiui bonitatem designant, quàm quòd,Deus benignè cum eis acturus sit olim propter Messiam,& in Messia licèt propter peccatum in captiuitatem miserit priùs.
  - Ficus amaræ, rebelles cum Zedechia designant: erga quos malè Deus afficiatur, puniendos & malè perdendos,vnà cum ijs,qui ad Aegyptios transfugerint. Hæc enim de futuris adhuc dicuntur.

Dispositio Capitis 25. vbi vndecima Ieremiæ Concio incipit.

PARTES Cap. 25.

- Summam colligit concionum suarum, denuncians captiuitatem 70. annorum peruicacibus Iudæis. Vbi
  - Præfigit titulum, more suo, de authore prophetiæ.
  - Ponit circumstantiam temporis & personarum satis abundè: volens docere, sese ad viginti tres integros annos seriò laborasse, sed nondum ad frugem, &c. De supputatione exactiore horum annorum, vide Tabulam suprà, de vita Ieremiæ.
  - Subnectit scopum & argumentum concionum propheticarum, Deum seu benignũ Patrem peccatores reuocasse satis maturè ad pœnitentiam, sed illos perpetuò Deo reluctatos esse.
  - Formalia verba ponit paternæ Dei adhortationis: vt nimirum caueant sibi à diuersis peccatorum generibus, & ab idololatria, posita in partẽ vtramq; retributione.
  - Expostulat de perpetua Iudæorum malitia & obstinatione.
  - Apertam denũciat vastitatem & captiuitatem per Regem Babylonium Nebuchadnezarem, quem ab eo quod vindictę suæ Ministrum habiturus sit Dominus, seruum suum appellat. Vbi exaggerat cladem
    - A multitudine hostium in vindictam assumptorum.
    - A multitudine pereuntium Iudeorum.
    - A stupore vicinorum admirantium.
    - A cessatione omnis gaudij, etiam liciti.
    - A penuria cibi & conuiuij, quod per molę & lucernæ cessationem intelligitur.
    - Ab horrenda terræ totius vastitate.
    - A longo captiuitatis tempore: videlicet 70. annis, qui incipiũt ab abducto Ioachim & Iechonia, & terminantur anno primo Cyri Regis.
- Prædicit eodem Dei iudicio, & seq. Vide literam A.
- Mutata orationis forma, inculcat gentes propter peccata perdendas fore. Vbi
  - Parat attentionem ab authoritate Domini, ista iubẽtis proclamare suũ Prophetam.
  - Confert Deum seueriùs minantem Leoni rugienti, & circumquaque ad greges dilacerandos erumpenti. Verùm dicitur rugire è sublimi, id est, cœlo, quod patria nostra & Dei habitatio dicitur: à bonorum scilicet fruitione, quæ ibi ostensurus est Deus suis cultoribus.
  - Aperit super quo rugiturus sit: Quia super habitaculum suum, id est, super Ierusalem & Templum, quæ loca in terris pro habitaculo delegerat, se & suam gloriã ibi ostendendo.
  - Alia parabola exponit immanem Dei furorem: nempe clamore vuas calcantium. Vt enim ij fortiter sese ad agendum quod agunt impellere solent, ita Dominus Babylonios contra Ierusalem impellet.
  - Adijcit iustã & legitimam fore eam Dei vindictam. Id quod vox disceptationis exprimit. At huiusmodi disceptatio & catholica, tempore iudicij expectanda est.
  - Fusè describit supplicij impiorum. Vbi
    - Comparat exactam Dei vindictam vel igni vel vento in voce egrediendi. Deinde tempestati horribiliter omnia prosternenti.
    - Per hypotyposim & miseriæ amplificationem describit stragem & vastitatem generalissimam.
    - Monet vehementius auditus, per exclamationem ad Reges & Antistites populi, quos Pastores vocat, nec non ad Arietes, hoc est, fortes, & Duces, & Seniores, quos ad vlulatum inuitat, & volutationem in puluere, &c.
    - Addit causam à suis, & quidem generalibus ineuitabilibusque malis, quæ iterum per hypotyposim amplificat, dum
      - Alludit ad pocula, preciosa quidem, sed fragilia.
      - Præcludit illis omnẽ elabendi viam & spem.
      - Prædicit clamaturos & vlulaturos Pastores pro pascuis vastatis: id est, Principes pro regnis & palatijs suis destructis.
      - Concludit orationẽ epiphonemate, allegoria Leonis ornato. Intelligit autem Nebuchadnezarem, tanquam Leonem latibulo, hoc est, Babylone excessisse, ad deuastandas omnes terras, &c. Quanquam alij hæc de Deo quoque ad fortem vindictam egresso intelligant.

A. Prædicit

A. Prædicit eodem Dei iudicio, quo peccatores Iudæi puniẽdi sint, alias etiam gentes vastandas fore. Abi

- Meminit finitionis 70. annorum ad consolationem & spem piorum, qui non omnino nulli inter deploratissimos alios reperiebantur.
- Ostendit per occupationem ad consolandos pios & iusticiam Dei inculcandam (qua iudicium à domo Dei incipere solet) Babylonios quoq; deuastandos fore. Plura eiusmodi sequentur cap.50 51. & Esa.13.14. Impleta fuère hæc maximè sub Dario, qui occiso Balthasare, Babyloniorum destruxit imperium, & successu temporis ex Babylone Seleucia & Ctesiphon inclytæ vrbes fuère extructæ.
- Apertiùs ostendit vindictam Dei aduersus terram Chaldæorum, alijs quoque suis à Domino prædictionibus: quę illæ forsan sunt, quæ leguntur cap.50.51.
- Exaggerat cladem Babylonicam, quòd
  - Reges magni & multi aduersus eam insurrecturi sint. Id enim est quod ait: Quia operabuntur in eis gentes multæ, &c.
  - Non nisi horribilia iusto Dei iudicio suis prauitatibus meruerint.
- Generalius loquẽdo illustrius ostẽdit gẽtes etiam alias puniendas fore. Vbi
  - Vtitur demonstratione seu ostento diuino. Nam poculo à Deo sibi porrecto, docet promptam esse vindictam. Calix enim pro afflictione capitur, & vinum, cuius mira est virtus, pro extrema confusione & furore.
  - Subnectit multarũ & maximarũ Gentiũ catalogũ, quæ exitiali illo cõuiuio excipiantur. Ex quibus recensentur
    - Iudæi cum suis Principibus præuaricantes.
    - Aegyptij idololatræ & effœminati. Vide Ier.46.
    - Occidens, id est, vicinæ gentes Aegyptijs: vel, vt alij vertunt, promiscua multitudo.
    - Vzitæ, inter quos Iob vixit.
    - Philistim vel Palestini, quorum præcipuæ fuère quinque hic satrapæ
      - Ghet, quæ hîc omittitur.
      - Ascalon.
      - Gaza.
      - Echron vel Accaron.
      - Azoth.
    - Idumæi, qui fuerunt posteri Esau, aliàs Edom dicti, à rubore quasi Adam.
    - Moabitæ. / Ammonitæ. — Oriundi ex incestu Loth, Gen.19.
    - Tyrus. / Sidon, — Ad Orientem sitæ & maritimæ vrbes: quarum cladem multis prædicit & Ezechiel cap. 26.27 28.
    - Insulares, vtpotè Cyprus, Rhodes, & Cyclades, quæ quidem & ipse arma Babyloniorum sensère.
    - De Dan, regio sic dicta à filio Abrahæ ex Cethara, vide Gen.25. 1.Paral.5.
    - Theman, dicta à filio Ismaelis.
    - Buz, regio dicta à filio Nachor ex Melcha.
    - Arabes, quos propter Arabiam triplicem, fœlicem, petræam & desertam, bis nominat.
    - Zimri, regio dicta à filio Abrahæ ex Cethura: aliàs Zamri.
    - Elamitæ, qui fuère Persæ, Plinio etiam teste.
    - Medi, notissimi Orientis populi.
    - Aquilonares, scilicet versus Scythiam.
    - Rex Sesach, de quo ambiguitas est apud Interpretes. Alij enim putant esse Babylonem, quia & cap.51. Babyloniæ tribuatur: & Chaldæus paraphrastes sic interpretetur. Alij de vltimo Babyloniorum Rege Balthasare dictum volunt, sed non sine obscuritate, allusione facta aut ad etymologiam, aut ad Aegyptiacum illum Regem qui Sesach dictus est, 2. Paral. 12. & vasa Templi Domini dispersit. Sesach enim significat vanitatis aut lætitiæ poculum. Et sic Balthasar ebriosus vasis Templi Domini abutens, tandem extremam luit pœnam.
  - Addijcit mandatum Dei iubentis exhaurire poculum.
  - Addijcit expositionem, de malo scilicet ineuitabili, &c.
  - Ostendit gentes prædictas mala sua non effugituras, argumento à comparatis ducto, quo & Petrus Apostolus vsus est, 1. Par.4. & Paulus 2. Thessal.1. Si enim Deus & quidem primùm domesticos fidei puniat, quomodo tandem hostes impunitos relinquat?

Dispositio Cap.26. pro narratione historica, quæ & ipsa ordine fluit arbitrario, non naturali, post alia Ieremiæ verba.

PARTES Cap.26.

- Cócionatur Ieremias iubente Domino in atrio Templi, sed capitur à Sacerdotibus & populo. Vbi
  - Per notationem temporis insinuatur occasio historiæ huius.
  - Ostenditur author horum omnium Deus, ministerio Ieremiæ vtens.
  - Indicatur locus, vbi iussus sit Ieremias stare & prophetare, cum alijs circumstantijs: scilicet, ad quos, quid, quomodo & in quem finem: quæ instar speculi omnium temporum Pastoribus inspicienda sunt.
  - Proponitur specialis Ieremiæ oratio, quæ quasi summarium est omnium eius sermonum, in qua admonetur populus, ne pergat facere quod facit extra verbum Dei.
  - Additur comminatio ab exemplo ipsius Silo iam olim deuastati, de quo & suprà cap.7. 8 9. Vbi hæc ferè cadem fusè tractata sunt.
  - Describitur fides & diligentia in Ieremia, sicut contrà in populo promiscuè culpatur, quòd
    - Audiuerint hæc, sed non crediderint: at hodie multi ne audiunt quidem.
    - Vnanimiter apprehenderint Prophetam, mortem eius vrgentes: addita causa iniustissima qualis & contra Stephanum instituebatur, Actorum 6. &c.
- Cósident Iudices, vbi accusatus Ieremias à Sacerdotibus liberè pro se dicit. Hic
  - Describitur locus consistorij: nempe in vestibulo seu ingressu Templi dominici ad nouam portam, occasione ad id per Principes data, qui ex aula protinus ad Templum confugerant, seditione percepta.
  - Ponuntur verba accusatorum aduersus Ieremiam: instar Papicolarum nostri seculi.
  - Subiungitur apologia Ieremiæ sese heroico spiritu defendentis. Vbi
    - Repetit ijsdem verbis quod antè dixerat.
    - Inculcat Deum non minari vt perdat, sed vt reuocet.
    - Adijcit aliquid in suæ personæ defensionem, sese impunè accusari ad mortem, causa iterum repetita ab authore sui ministerij, quæ nisi intercederet, pœnæ blasphemiæ secundùm Legem (Deuter.13. &c.) reus esset.
  - Annectuntur senté tiæ Iudicú diuersæ de Ieremia. Et hic
    - Ponitur sententia Principum, nimirum saniorum cum populo, de absoluendo Ieremia. Vbi metiri est ingenium vulgi, qui pridem à Sacerdotibus & Pseudoprophetis stabat.
    - Subijcitur ratio per cófirmationem ab
      - Authoritate Dei mandantis.
      - Exemplo veteri, quòd ante annos fermè centum sub Ezechia factum fuerat, hoc est, tempore illo meliori & nobiliori, adde & sanctiori, quo tamen tam animosus Propheta Micheas illæsus mansit. Vide concionem integram Mich.3. Vnde aliquot verba citantur.
    - Opponitur per antithesim contrariú eorú iudicium, qui Ieremiá occidi cupiebant, prolato ex abrupto diuersæ omnino viæ exemplo de Vria, in quo describitur
      - Stirps cum patria.
      - Vocatio & functio eadem omnino cum Michea, sed ætas posterior. Nam Vrias, Ieremias, Baruch & Sophonias sibi synchroni fuerunt.
      - Fuga in Aegyptum à rabie Regis Ioachim quæ nó infidelitatis, sed prudentiæ fuit. Nam & retractus fortem retinuit spiritum ad mortem.
      - Retractio ex Aegypto & cædes. Vbi depingitur diligentia impiorum in prosequendis fidelibus, & collusio Principum mundi in parricidio, & mirum Dei iudicium suos interdum ad mortem proijcientis, & sepulchri etiam honore priuantis, vide Apoc.11.
    - Refertur intercessio pij & constantis viri Ahikam, qui totus suam authoritatem defensioni Ieremiæ dedicârit, eumq; adiutorio Dei furéti populo eripuerit; vt nemo vel solus in bono proposito desperet.

Dispositio

Dispositio Cap.27. vbi duodecima incipit Concio.

Svadet Ieremias per Legatos quinq; Regibus & Zedechiæ, vniuersóq; Iudæorũ populo, vt Principi suo Nebuchadnezari obediāt, nisi extrema mala experiri velint. Vbi

- Consignatur pro occasione vaticinij tempus: de quo quoad nomen Ioachim ambiguitas oritur, dum ex contextu manifestum est hæc omnia ad tempora Zedechiæ pertinere. Alij ergo dicunt hunc versiculum ad finem capitis præcedentis pertinere. Alij reuelatam quidem hanc orationem in principio regni Ioachim, sed recitatam sub Zedechia. Alij mendosè Ioachim pro Zedechia positum esse à Librarijs. Porrò ad euidentiam occasionis huius prophetiæ tenendum est breuiter ex historijs, quòd Rege Aegyptio ad monarchiam aspirante, contra Nebuchadnezarem, qui antea Zedechiam in thronum suum collocauerat, solicitatus Zedechias pariter à Babylonijs defecit, respectu fœderis Aegyptiaci, & sic quarto regni sui anno mira audacia comitia conscripsit, ad quæ Regum quinque Legatos vocauit: nempe Idumæi, Moabitici, Amonitici, Tyri & Sidonis, vt de excutiendo iugo Babyloniorum consultarent. Quod dum fieret, excitatur à Domino Ieremias pro saluberrimo consilio dando comitijs istis, ne videlicet rebellionem meditentur.
- Ponitur scopus orationis Ieremiæ, abhibito externo symbolo iugorum quinque loris collo adstrictorum: quo habitu haud dubiè in comitia Ieremias irrupit, vt apertam seruitutem pro inobedientia demonstraret: & eadem singulis mittit Regibus.
- Additur suasionis causa duplex,
  - A voluntate Dei, qui præcipuus & summus Monarcha imperium in terris vniuersale Nebuchadnezari tradere decreuerit: sed ad nepotem tantùm, &c. Deinde, Donec, inquit, & eius tempus veniat. Omnibus enim Dominus in cœlo sua momenta consignauit pro sua sapientia, bonitate & iusticia.
  - Ab vtilitate & damno: vbi in partem vtramque tam mala, quàm bona recensentur: inclinante suasione ad obedientiam.
- Inseritur media admonitio, ne Reges illi quinq; suos audiant diuinos, diuersum ex Diabolo vaticinantes, qui quidem appellantur in
  - Genere, catacristicôs, Prophetæ.
  - Specie,
    - Diuini, id est, augures ex volatu auium futura prædicentes.
    - Aruspices, ex inspectis extis seu fibris sacrificiorum. Alij somniatores vertunt.
    - Mathematici, id est, astrologi ex influxionibus cœlestibus diuinantes. Alij augures vertunt.
    - Venefici, id est, pharmaceutria operantes, vel incantatores aut malefici, vt quidam vertunt. Et hi omnes Lege diuina proscribuntur. Deut. 18. & typum habent Pseudoctorum cuiusuis temporis & Papistarum.
- Eodem argumento fit sermo dehortatorius ad
  - Regem Zedechiam: videlicet vt
    - Subijciantur Regi Babylonio.
    - Non audiantur Pseudoprophetæ.
  - Populum
    - Non audiant verba Pseudoprophetarum, dicentium etiam vasa pridem abducta recuperanda fore.
    - Seruiant Regi Babylonico, addita causa, Quia sic viuent & vrbs non destruetur.
  - Sacerdotes & vniuersam plebem. Vbi vt
    - Id potius à Pseudoprophetis exigāt, vt pro reliquijs vasorũ Tēpli sedulò Deũ precētur, ne Babylonijs cedāt, q̃ vt spē de ablatis faciāt recuperandi. Vbi per occasionem vaticinatur Ieremias
      - Ex reliquijs abducēda tandem fore inter cætera alia instrumēta (quorum larga fit mētio Ieremiæ vltimo)
        - Columnas à Salomone magna arte paratas.
        - Mare æneum: nimirum cacabum vel polubrum, abluēdis rebus, maximè Sacerdotum manibus & pedibus destinatum, propter aquarum copiam mare appellatum.
        - Bases seu sustentacula vasorum aut cortinarum pedalia.
      - Vasa insimul abducta recuperanda tandē fore: nimirum, vbi propter electos temporibus lætioribus remittentur Ierosolymam per Cyrum, vt habetur in lib. Esdræ, &c.

Dispositio Capitis 28.

DESCRIBITUR disceptatio habita inter Ananiam Pseudoprophetam & pessimus Ananiæ exitus, Vbi ex ordine

- Consignatur tempus huius disceptationis, quod tangit principium annorum regni (quorum iam quartus agebatur) non primi anni.
- Ponitur nomen antagonistæ, vel aduersarij Ieremiæ, à nomine, genere, patria & professione. Porrò quid mouerit Ananiam ad vaticinandum in comitijs, non ponitur: subintelligi tamen potest adulatio, quæ semper aulas suspicit.
- Inseritur doctrinę genus, in quo asserit Ananias contra Ieremiam
  - Deum esse authorem sui sermonis.
  - Conterendum esse regnum Babylonicum.
  - Reducenda esse vasa cum captiuis intra biennium. Vbi vicissim mira audacia repetitione vtitur præfatorum.
- Perstringitur ex aduerso Ieremiæ responsio, in qua ille
  - Modestè respondet, optans fœlicia quæque populo, quemadmodum nihil anteà quoq; ex odio quàm ex veritate prædicabat.
  - Præparat Ananiæ & populi aures ad sermonem suum audiendum.
  - Approbat suam assertionem exemplis Prophetarum veterum secundùm præscriptionem Legis Domini, Deut. 18. vt nimirum euentus ostendat prædictionis veritatem: quasi dicat, committamus Anania nos tempori, &c. Porrò Ionas subuersionem Niniue prædicens, quemadmodum Esaias mortem Ezechiæ, mendacio caruêre, quoniam conditionaliter locuti sunt. Et aliud est de comprobato dogmate loqui, quòd tempore non examinatur, aliud de prophetia.
- Audacibus Ananiæ verbis coniungitur temerarium eiusdē factum. Nam
  - Detrahit ex collo Ieremiæ iuga per violentiam.
  - Confringit in conspectu populi.
  - Quid violenta chria sibi velit, interpretatur, iuxta priorem assertionem.
- Opponitur tantæ iniuriæ modestia Ieremiæ, tacitè omnem vindictam Deo committentis: Profectus est, inquit, Ieremias in viam suam. Quibus verbis significatur noluisse contentiosius pugnare cum homine violento & impostore, à quo totus populus pendebat, & sic Ieremias vel morte tūc nihil proficere poterat.
- Describitur alter congressus Ieremiæ cum Anania. Vbi
  - Ex iussu & authoritate Domini asserit Ieremias duplicatum iri mala populi Iudaici, maximè authore Anania, qui mala fiducia vniuersos præfractiores reddat.
  - Arguit coràm falsitatis Ananiam, attentione præmissa & causa subnexa.
  - Minatur illi horrendam & subitam mortem, tempore breui prefixo: addita iterum causa. Quod quidem vindice Deo altero mense subsecutum est.

Dispositio Cap. 29. quod epistolare est & historicum.

PARTES Cap. 29.

- Instruit captiuos in Babylone quomodo se gerant, & ne Pseudoprophetis fidem adhibeant, quia post 70. annos restituendi sint. Vbi
  - Præmittitur cum titulo occasio scribendæ & mittendæ epistolæ in Babylonem.
  - Ponitur argumētum seu scopus, consilij Prophetæ: nimirum vt æquanimiter ferant iugum captiuitatis, quę aliquando fœlicem sit finem sortitura. Vbi
    - Colorat orationem pulcherrimis œconomiæ præceptis per subnexas rationes: videlicet de
      - Aedificatione domorum, vt inhabitent.
      - Plantatione, vt fructibus vescantur.
      - Matrimonio, vt multiplicentur.
      - Pace ciuitatis custodienda, vt ibidem & ipsi pacem habeant.
    - Admonet ne audiant Pseudoprophetas fœlicia nunciātes, ac Babylonem intra biennium ruituram, captiuosque cum Iechonia redituros. Vbi
      - Subtexit causam causæ, quia mendaciter loquantur, vtpotè à Domino non missi.
      - Exponit propositum Domini de restauratione captiuitatis, eorum addita ratione trifariam ex
        - Gratuita Dei misericordia, nimirū propter Messiam.
        - Inuocatione nominis Domini, per verā fidem & pœnitentiam.
        - Cultu Dei in ipsa patria, qui veros Prophetas diligere falsos odio prosequi solet. Id enim est mēbrū: Quia dixistis Dominus excitauit nobis Prophetas in Babylone: hoc est, quia iam euētu cōprobauimus in Babylone q. fuerint veri Prophetæ & qui falsi, stabimus sēper à parte Dei & verorū Prophetarū. Alij hāc particulā sequēti versui annectūt, quasi arguat Propheta captiuos Pseudoprophetis aures inclinātes, & ea ratione statim futurā Ierosolymorum quoq; cladem prædici.
  - Exponitur quid sint, & seq. Vide literam A.
- Exponit Ieremias, & seq. Vide literam B.

A. Exponitur

- **A.**
  - Exponitur quid sint passuri Ierosolymitani, & in primis duo Pseudo prophetæ, Achab & Zedechias. Vbi
    - Commemorat in genere omnes Ierosolymitanos, expressa maximè Regis mentione.
    - Prædicit eisdem horrendam cladem, vastitatem & internecionem, similitudine, hypotyposi & amplificatione sermonem exaggerans.
    - Refert causam minarum: quia semper rebelles fuerint Deo, paternè illos inuitanti.
  - Protrahũtur duo primarij inter alios Pseudo prophetæ, in quos grauiter inuehitur Ieremias, annũcians ijsdem etiam fata sua horrenda. Vbi
    - Compellat Propheta captiuos in Babylone: quibus minimum sequentia iniungere velit.
    - Addit Deum omnis sui vaticinij authorem esse.
    - Exprimit contra quos loquatur: nempe contra Achabum & Zedechiam à quibus scilicet plus erat periculi.
    - Minatur horrendum eis & prouerbiale supplicium per ipsum Babyloniorum Regem, qui palàm illos igne vstulet.
    - Recenset causas à diuersis eorum & enormibus peccatis, quorum Deus testis sit. Vtinam animaduerterent hæc Principes, & ille qui non in sede B. Petri, sed prostibulo Priapi Lampsaceni sedens fornicationes tegit, sancta coniugia vetat, mera somnia vendit, & Dei oculos claudit.

- **B.**
  - Exponit Ieremias quid Semeias cõtra ipsum egerit ex Babylone, propter scriptam ad captiuos Epistolam, & quid ipse futurum eidem prædixerit. Vbi
    - Indicat se authore Deo impulsum esse, vt scriberet & prophetaret aduersus Semeiam in Babylonem.
    - Ostẽdit causam à facto seu scripto Semeiæ indebito, cuius duę sunt partes: nam
      - Incusat inter omnes Ierosolymitanos, maximè Sophoniã, quòd hominem amentem seu maniacum, vt malè putabat: nempe Ieremiam vinculo non coercuerit. Porrò hic duo sunt consideranda.
        - Sophoniam forsan fuisse secundum illum à summo Pontifice Saraia, cuius fit mentio 4. Reg. vltimo.
        - Malè applicari inspectionem Sophoniæ Ioiadæ Sacerdoti, de quo 4. Reg. 11. & 2. Paral. 23. fit mentio. Ieremias enim non fuit de grege Athaliæ impiæ, nec Baalista, quales pius Ioiada interfici curauerat: sed verus Dei cultor: Semeias potius conferendus Baalistis. At sic hodie malefrugi Pontifices successione & inquisitione sua abutuntur.
      - Exaggerat crimen Ieremiæ, eo maximè nomine, quòd captiuis in Babylone, de diuturnitate captiuitatis scripserit, contra quam ipse & sui complices mendaciter doceant.
    - Docet qualiter Sophonias probrosè coram Ieremia literas illas Semeiæ perlegerit. Vbi insignis elucet Dei tutela, Prophetam suum à rabiosa populi violentia conseruantis.
    - Recitat quomodo iussu Dei denuò ad captiuos scripserit, irrefracti planè animi orator.
    - Exprimit sensum epistolæ per partes principales duas: nẽpe quòd
      - Malefecerit Semeias seducendo populum suis mendacijs, ne illi Dei voluntati acquiesceret.
      - Puniturus sit illum Dominus præmatura morte vnà cum suis, vt ne vnus quidem ex eius genere bonum liberationis attingat. Id enim est: Ecce visitabo eos. Item, Vt non sit vir, &c. Porrò illud, Filius non portabit iniquitatem Patris, hoc loco per imitationem posteritatis prauam facilè arguitur, &c.

Dispositio Capitis 30. vbi decimatertia incipit Oratio.

PARTES Cap. 30.

- Ostendit authorem huius suæ doctrinæ & consolationis Ieremias: videlicet Deum: idq́ octies per ordinem inculcat pro maiori efficacia.
- Docet quomodo & quæ verba dicere sit iussus: nempe scriptis tradita ad spem stabiliendam piorum de futura Iudæorum & Israelitarum liberatione ex captiuitate. Quæ quidem secundùm literam in carnali Israele impleta sunt sub Cyro, quemadmodum & Esaias abundè prædixerat à cap. 40. ad 49. Deinde pleniùs in Christo & Christianis: spiritualibus scilicet Iudæis: postremo omnium plenissimè in restitutione rerum omnium in vltima illa die.
- Consolatur captiuos, promittēs eis liberationem à Domino. Vbi
  - Ostendit ante liberationem maximam fore eorūdem calamitatē. Vbi pro amplificatione.
    - Inducit homines conquerētes se audiuisse vocē horrēdā de bellis.
    - Per occupationem adumbrat, nihil illis robor suum prodesse posse: figuram parturientis interrogatione expoliens: quasi dicat, vir quidem nunquam parit, sed tamen omnes milites fortissimi, erunt eneruati & exangues, more parturientium.
    - Exclamat per comparationem, addens calamitatem illam carituram exemplo. Diem autem Iacobi, pro afflictionis tempore Iudæis destinatæ intelligit.
  - Manifestè vaticinatur de liberatione, consolans cū captiuis cuiusuis temporis afflictos. Vbi
    - Promittitur contritio iugi seu imperij Babylonici, quod maximè in spiritu de diabolo est intelligendum.
    - Asseritur liberatio Iudæorum ex captiuitate, adeò absoluta, vt nūquam alienis seruiant. Quod quidem secundùm literam aut nullatenus aut paucissimè impletum est, seu suprà etiam cap. 23. attigimus. Nam mox à liberatione, Persæ & Græci, postea Romani dominati sunt Iudæis: sed spiritualiter completur in fidelibus verè & semper liberis. Vide Rom. 8. &c.
    - Prædicitur illos domi suæ soli Deo & Dauidi seruituros tandē. Et id secundùm literam nunquam impletum est, præsertim in filio Isai. Idcircò vel interpretibus Hebræis pro Messia vox Dauidis ponitur: ex cuius nimirum stirpe is homo fieri dignatus est. Patet & illud, Iudæos à liberatione nunquā amplius idololatriam exercuisse, sed aut verum Deum in genere, aut simul cum Christo nostro. Interdictum autem est creaturam adorare, aut adorando Deo applicare: quare conuincitur huic facilè Iudæos esse erroneos, Christū non agnoscētes, nō nos idololatras, Christū hominem diuino æqualiq́; cum Patre honore prosequentes.
    - Pergit Ieremias verbis consolantissimis ad imitationem Esaiæ compositis, captiuos & afflictos propter pietatem consolari. Vbi
      - In genere seu simpliciter confidere facit, ne timeant.
      - Rationem subiungit: Ecce seruabo à longè, id est, de terra hostili & longinqua.
      - Per antipophoram promittit seminis eliberationem, etiamsi nimirum ipsi propter ætatem terminum 70. annorum attingere non possent.
      - Addit vocem consolationis plenam, Ego tecum sum, &c.
- Minatur exterminium Gentibus, populo autem Iudaico tolerabilem castigationem. Id enim sibi vult, cùm dicit, se consummationem facturū cum omnibus Gentibus, & castigaturum suum populum cum iudicio, id est, cū moderatione, quibus per allusionem subijcitur, Mundando non mundabo te, id est, non excoquam te exactè ad purum putum: id est, non puniam. Et hic
  - Noua allusione ad chirurgiam, seu metaphora à corpore ad animū ostendit plagam populi sui incurabilem esse ab vlla creatura.
  - Eripit spem in amatoribus, hoc est, dijs auxiliatoribus vel confœderatis locandam.
  - Ostendit causam mali immedicabilis: quia Deus hostiliter cum illis egerit propter peccata: sermone propter exaggerationem bis repetito, in eum finem, vt peccata magis damnentur quàm Deus iustè puniens odio habeatur.
  - Inculcat Dominus pro sua iusticia se causam populi sui vindicaturum esse.
  - Manifestè promittit se curaturum morbos & vulnera sui populi.
  - Rationem cōmiserationis subijcit ab opprobrio propulsando, dū Ethnici de Sione sentiūt illū non amplius suo domino curæ esse.
  - Multis exponit beneficia, quib. afflictos velit afficere, illos liberando, & bona amissa restituendo. De quib. copiosè in li. Esdræ, &c.
  - Inserit quid facturi sint liberati & filij Ecclesiæ, & quid Domino pro liberatione repensuri.
  - Incipit vicissim commemorare beneficia populo conferēda, quorum appendix est, seria etiam in hostes Iudæorū animaduersio.
- Vaticinatur de Christo, & seq. Vide literam A.

A. Vaticinatur

A.
Vaticinatur de Christo omnis consolationis thesauro. Vbi describitur.

- Christi maiestas seu diuinitas, dum appellatur Adir: id est, magnificus & gloriosus seu terribilis: deinde, Dominator, hoc est, assertor sui populi: malè enim ista cuipiam hominum extra Christum tribuuntur, quando is sit Omnipotens & Saluator sui populi à peccato, &c.
- Natiuitas, dum dicitur egressurus de medio sui populi, sicut & Moses dicebat Deut. 18. hoc est, nasciturus ex Iudæis, adeoque ex stirpe Dauidis, secundùm promissionem.
- Mediatio, & quidem voluntaria inter Deum & hominem: id enim sibi vult, Et appropinquare faciam eum ad me, &c. Item: Accedet ad me, &c. Vel, hoc postremum significat idem, quod, Erit honore & virtute Filius mihi coæqualis: aut, Ascendet ad me, & sedebit ad dexteram meam, iuxta illud Dan. 7. Filius hominis vsque ad prouectum ætate ascendit: id est, similis factus est in gloria Deo Patri. Vide & Psal. 100.
- Vtilitas mediationis Christi fidelibus: quia nimirum Dei peculium sint futuri, &c.
- Pœna incredulorum seuera & immutabilis oratione figurata. Comparatur enim ira vel vindicta Dei tempestati grauissimæ sensim sese conglomeranti ac demittenti in aliquorum capita.
- Apertior fidelium noui Testamenti intellectus. Nam etsi tempore Ieremiæ quoque fideles non erant ignari mysterij Messiæ, tamen post exhibitum in Christo corpus salutis, omnia planiora facta sunt: & minimus in regno cœlorum nunc maior est maximo, etiam inter Prophetas. Vide Luc. 7. versu 28. Sic post hanc vitam omnia planiùs intelligemus in patria illa cœlesti, &c.

Dispositio Capitis 31.

PARTES Capit. 31.

Promittit liberationẽ ex captiuitate, & fusè de ea disserit ad cõsolationem piorũ. Vbi

- Repetit Dominus summam fœderis superiori capite interserti: Deum videlicet futurum Deum populi sui, & contrà.
- Probat ab Antecedenti exemplo, quod tandem etiam benefacere velit suo populo, sicut olim ex Aegypto assertis.
- Præoccupatione diluit obiectionem, qua dicere poterant Iudæi, nihil ad se prioris temporis beneficia pertinere. Et sic verba illa, E longinquo apparuit mihi Dominus, nonnulli Iudæorũ quiritantiũ esse volunt, quòd remotissimi temporis exẽpla nihilq; ad eos pertinentia Propheta vrgeat. Alij ad Prophetã referunt, qui velit dicere, Dominũ sibi denuò è cœlis apparuisse, vt consolaretur nomine eius & verbis cõsequentib. populũ.
- Per consequentia pleniùs exponit misericordiam Dei, promittẽtis ædificationem & omnis honestæ voluptatis instaurationem, Vbi vocabulum prophanationis pro communi fruitione, & quidem stabili capitur. Nam non licebat tribus primis annis de vinea nouiter plantata, velut immunda, quicquã percipere. Quarti anni fructus cedebat Domino. Quintus demum annus proferebat fructus ei, qui plantauerat. Ergo prophanare hoc loco non pro corrumpere, sed communiter seu licitè vti capitur.
- Ostendit communem voluntariamque fore etiam Israelitis, qui per Ephraimitas intelliguntur, liberationem & restauratum cultum Dei: quasi dicat. Sicut olim illi erant incertiores ad defectionem, ita tandem classicum cantaturi sunt ad colendum verum Deum: quod ascensione in Sion denotatur.
- Iubet Dominus captiuos iubilare, & in capite Gentium: id est, in metropoli quoque Babylone annunciare liberationem.
- Promittit consequenter disertam liberationem. Quæ quidem maximè in regno Christi suum habet complementum, vbi cæci, claudi, surdi, grauidæ, puerperæ, &c. viam gradiuntur inoffensam regni Dei.
- Per Antithesim affectuum exaggerat beneficium, adhibita etiam similitudine viatorũ. Vbi ratio subiecta à paterna Dei gratia omne excludit meritum, quod repudiatur etiam ab Euangelio.

Vertit sermonẽ ad gentes & insulares remotos pro maiori euidentia cõsolationis institutæ. Vbi

- Gentes & insulares quasi pro testimonio citantur ad exaggerandam etiam Dei veri potentiam, bonitatem ac sapientiam, quibus vanissimi eorum dij destituantur.
- Ostenditur quam gratiam liberati pro assertione Deo relaturi sint. Vbi per catalogum externorum Dei beneficiorum, spiritualia magis regni Christi bona adumbrantur.
- Alio orationis genere promittitur liberatio ex omnibus malis: dum scilicet omnia mœsta conuertantur in iucunditates & gaudia. Vbi inebriatio Sacerdotum pinguedine iuxta ritum veteris immolationis & conuiuij opimi dicitur, cuius locum nobis Cœna Dominica cum verbo sufficit.
- Pro exaggeratione consolationis, quæ incredibilis esse poterit, adfertur insigne exemplum prioris mœsticiæ in Rachele: quasi dicat, Quemadmodũ calamitas erit insignis, ita consolatio erit permaxima. Rachel enim vxor Iacobi, mater Iosephi & Beniamin, fuit auia Ephraim & Manasse, & per antonomasiam capitur pro matribus decem tribuum, quæ vel trucidatæ erant, vel in captiuitatem abductæ, adeò vt omnino non esse amplius viderentur. Et hinc emergit vox consolantis Dei: Prohibe vocem tuam à fletu, &c. Hæc sententia præ magnitudine materni doloris ob amissos filios adducitur & Matth. 2. in historia trucidatorum infantium Bethlehemi: quorum tamen consolatio à Domino in spiritu similiter subintelligenda datur.

Commemorat, Amplius, & seq. Vide literam A.

A.

- Commemorat pœnitétiam captiuorum & Dei clementiam erga eos, cum diligentiore ad pœnitentiam exhortatione. Vbi
  - Inducitur Dominus (tam crebra est in hac oratione, tanquam in opere Dramatico, personarum mutatio) eiulatum populi suisse audiuisse testans. Vbi per Ephraim vniuersus Israelis populus intelligitur.
  - Præmissæ confessione subiunguntur preces populi ad Dominum, pro conuersione ad seriam pœnitentiam.
  - Subijcitur consequenter efficacia eius pœnitentiæ, quam Dominus inspirat: Protinus, inquit, vt conuersus sum, pœnituit me malorum, &c.
  - Inducitur Dominus ploranti suo filio Ephraim respondens, & contestans, lugentes in pœnitentia quouis tempore sibi esse charissimos.
  - Promittitur expressiùs liberatio captiuorum, seu reuersio eorum in patriam allusione facta ad iter facientes, qui nimirum ne in reditu à iusto tramite aberrent, ex arbustis vel palmulis prominentibus nodos nectunt, vel lapides ad viam congerunt, vel alia interstitiorum signa diligenter notant, vt recta via regredi possint. Vbi vox imperatiui modi Reuertere. Item, virgo Israel, emphaticè ponuntur.
  - Petito orationis genere à connubio, admonetur populus tanquam mulier improba, ne Deum maritum propitium, per desperationem auersetur.
  - Confirmatio additur pro certiori fide populi, à promissione seu fœdere Dei, quæ mutari nequeat, vel ab insigni miraculo, quod instar nouæ creationis in populo Dei futurum sit. Et sic alij hunc locum de intaminata Christi conceptione in vtero virginis exponunt: Alij de eo, quòd ipsa mulier, hoc est, populus Iudaicus antè refugus amplexetur seu circumdet virum, hoc est, colat tandem Deum propter eliberationem. Vel, quòd Iudæi olim sint fortiores Babylonijs, quorum respectu fœminæ imbelles primùm censebantur.
- Amplius promittit liberationem ex captiuitate, & nouum fœdus gratiæ cum nouo populo. Vbi
  - Facit more suo Ieremias omnium horum authorem Deum, videlicet exercituum.
  - Manifestè dicit captiuos esse reducendos, tantamque fore tam in pollitia quàm re ecclesiastica fœlicitaté, vt homines ea fœlicitate sint sibi congratulaturi. Iusticia est politiæ sanctitas religionis insigne.
  - Addit omnis generis homines & ordines ea in pace habitaturos: quæ quidem, seu antea quoque dictum, in tempore Christi completa sunt quàm vnquam antea.
  - Subnectit causam cur benedicturi sint homines Sioni: vbi verbum inebriandi metaphoricè, quòd alij rigandi vertunt, pro exhilerationis satietate ponitur. Inde conuenienter subdit Propheta in persona populi, idcircò euigilaui, &c. quasi dicat, recreatus sum ex tristi captiuitatis memoria.
  - Promittit multiplicationem hominum ac iumentorum, & protectionem ac restitutionem Iudæorum locutione semper figurata.
  - Pollicetur fore in populo longè tersiùs de operibus Dei iudicium, quam vnquam antea: quòd videlicet vsitato prouerbio fateantur Deum esse, & fuisse summè iustum. Vide de hoc & Ezech. 18. Sic & populus noui Testamenti vnumquemque fide sua saluari aut infidelitate damnari asserit.
  - Differit de nouo fœdere faciendo. Vbi
    - Temporis certitudo denotatur, imò etiam breuitas, vocabulis Ecce & Dies. Planam supputationem tangit Daniel cap. 9.
    - Quibuscum fœdus inire velit explicatur: nempe cum domo Israelis. Cæterùm Apostolus Rom. 2. 4. 9. &c. Omnes credentes appellat semen Abrahæ.
    - Nouum fœdus dicitur respectu eius quod olim Patribus datum fuit, initio facto ab Adamo. Quasi enim manu apprehensa ad pactum ineundum, seu fidem stipulandam, Deus Adamo pellem addidit, & mox promissionem adiecit: Noe ex diluuio eripuit, & similiter promissionem adiecit: sic Abrahamo ex malis plurimis eruto iurauit: sic Mosi & vniuersis Israelitis ex Aegypto liberatis Testamentum in sua Lege sanxit, &c. At fœdus illud omne antiquandum hic promittitur multis de causis, quas attingit Apostolus Heb. 8. & vltrà.
    - Dicitur porrò hoc fœdus nouũ, maximè trifariã: quia
      - Cum nouo populo, ex Gentibus etiam collecto, sancitum est, &c.
      - Nouo modo. Nam nec templum habet, nec instrumenta Templi, nec sacerdotium Leuiticum, nec sacrificia, nec scribitur in tabulis lapidis, nec dedicatur sanguine hircino aut bubulo.
      - Nunquam alio subsequenti fœdere vel propinquiori ad Deum & cœlestem patriam, vel communiore ad omnes homines, vel augustiori ad notitiã Dei commutabitur.
    - Capita adduntur, & seq. Vide literam B.

Capita adducuntur noui huius Testamenti, quibus veteri fœderi longè præponderat, dum dicit Dominus:
- Inseram Legem meam in interiora, &c. quod intelligitur de Spiritu sancto, inspirante fidem & charitatem in corda, contra quam Lex olim in tabulis lapideis tradita fuerat.
- Ero Deus illorum & ipsi mihi populus. Quæ prerogatiua longè esse illustrior nobis, quàm veteribus Patribus. In incarnatione enim Filij se totum Pater in nos effudit.
- Vltrà nemo docebit proximum suum, &c. fuit quidem & sub veteri fœdere notus Deus, sed in Israel, at in nouo Testamento vbiq; Gentium. Multi nunc Prophetæ, Sacerdotes, Reges, &c. in spiritu.
- Quoniam propitius ero iniquitatibus eorum, &c. vnica enim oblatione & propitiatione Filij consummata est in fide salus nostra.

B.
- Ostenditur æternum fore illud fœdus certa demonstratione potentiæ Dei & luminarium in cœlo immobilium: ne quis scilicet persecutionibus extirpandam Ecclesiam suspicetur. Christus, ait, inferorum quoq; portas Ecclesiæ non prævalituras.
- Declaratur immensa & imperuestigabilis Dei misericordia erga Ecclesiam, vt quamuis illa propter peccatum repudiari posit, tamen propter bonitatem in gratia conseruetur. Et hic impossibili ex voluntate seu pacto Dei, per impossibile ex natura ac facultate hominibus designatur. Intellige autem Israelem semper de fidelibus: alioqui enim multi secundùm carnem Iudæi repudiati sunt, de quo Rom. 11. &c.
- Significantiùs ostenditur sub typo terrenæ Ierusalem Ecclesiam latißimè construendam fore, neque vnquam subruendam. Porrò loca aliquot nominata, qualia & Zachariæ cap 8 habentur, veteribus tunc erant cognita, nobis nunc non item. Obseruandum & illud, soli Deo Ecclesiam esse dedicandam: Ierosolymam item regni cœlestis quoq; æternùm mansuri typum gerere, seu Apocalypsis vltimo docetur.

Dispositio Cap. 32. vbi decimaquarta incipit oratio.

Partes Cap. 32.
- Præmittit Ieremias verißimum & potentißimum horum omnium authorem Deum.
- Consignatur tempus, quod tangit alterum iam obsidionis annum. Nono enim Zedechiæ Regis anno vrbs oppugnari cœpta est, & hic decimus iam memoratur. Vbi obiter notanda est tam diutina populi pertinacia in admittendo oraculo diuino.
- Indicatur qualis fuerit status vrbis & Prophetæ. Vrbe enim obsessa, Ieremias quoque statim in carcerem fuerat coniectus, qui dicitur fuisse in atrio domus regiæ.
- Exponitur causa captiuitatis Ieremiæ: quòd nimirum per hypotyposim fortunam omnem Iudæorum euertendam fore prædicârit: vbi per particulam Donec visitauero, mors Regis Zedechiæ in Babylone intelligitur.
- Vaticinatur regi & toti populo tradẽdos in manum Regis Nebuchadnezaris vrbem obsidentis, inde tamen liberandos aliquando, & reducendos in patriam. Vbi
  - Describitur multis verbis contractus Ieremiæ cũ patruele de agro emẽdo per visionẽ propheticam: neq; enim actio illa in carcere locũ habere potuit. Vel si quis actionem esse dicat, sẽsus tamen in idem recidit: nimirum certißimam fore reductionem Iudæorũ, poßidẽdosq; agros & vineta ab hostibus deuastata. Sic sanè agellum quoq; Hanameelis, de quo hic agitur, vastatum fuisse à Babylonijs consentaneum est. Porrò hic obseruãda sunt quatuor:
    - Quomodo dicantur Ieremias & Hanameel patrueles. Helkias enim pater Ieremiæ & Sallum pater Hanameelis fratres fuerunt.
    - Quo iure obtulerit Hanameel agrum suum emendum Ieremiæ. Constat enim ex Leuit. vltimo, & Num. 18. Sacerdotes nullam habuisse partem in terra, sicut aliæ Tribus, sed Dominum fuisse tribui Leuiticæ pro portione, cui nimirum dederat decimas, primos fructus, primogenita, oblationes, &c. Atqui in Anathot oppido Sacerdotali habuerant quædam prædia suburbana hortos & prata Et cautum erat Lege, Leuit 25. ne possessiones de Tribu in Tribum transferrentur. Inprimis autem non licebat prædia Sacerdotum alienis diuendere: licebat autem ad annum vsque redemptionis propinquo sanguinis cuique diuendere: de quo locum istum intelligere debemus.
    - Quantum constituant septem sicli & decem argentei, qui non sine mysterio ita diremptè dicuntur, respectu annorum 70. Septies enim decem, 70. constituunt. Pecunia olim non tam numerabatur quàm per bilancem seu libram appendebatur, vnde & nomen marcharum hodie nobis superest. Porrò cùm siclus coronato ferè responderet ad 25. taleros precium agri excrescere côperitur.
    - Adhibitiones testium, consignationem literarum earumque traditionem ad conseruandum in vase fictili, vt durare posit in longa tempora, & superare annos 70. &c. facere partim ad prudentiam, partim ad iusticiam in Lege Domini præscriptam, partim, vt dictum est, ad mysterium liberationis.
- Supplicat, Respondet, & seq. Vide literam A.

A.

- Supplicat Ieremias Domino, commemorans eius potentiam & beneficia, confitens etiam peccata populi, & deplorans præsentem statum. Vbi
  - Ostendit quando & ad quem orauerit: nempe ad Deum creatorem, non creaturas.
  - Orditur orationem cum significatione maximi doloris. Dolet enim vrbem sanctam & populum tam barbarico subiacere gladio, optans eripi ex tam grauibus malis.
  - Prædicat in deo secundù verissima epitheta.
    - Creationem.
    - Omnipotentiam.
    - Misericordiam.
    - Iusticiam.
    - Magnitudinem, seu maiestatem.
    - Sapientiam.
    - Omniscientiam.
    - Opera mirabilia: nempe
      - Liberationis ex Aegypto.
      - Traductionis in terram promissam & fertilissimam.
  - Confitetur suppliciter peccata populi, subijciens dignisimè à Deo puniri.
  - Refert miserrimum vrbis & vrbanorum statum per hostes vndiq; imminentes & aggere: vel, vt alij vertunt, ariete aut catapulta vrbem impetentes: serioque mirari consilium Dei de restauranda adhuc politia illa, id quod emptione agri ostendebatur.
- Respondet dominus Ieremiæ, & exponit cur iusserit agrum emere: priùs tamen dilertè dicit vrbem euertendam, & causas euersionis commemorat. Vbi
  - Confirmat Dominus, replicando verba Ieremiæ, quòd sit ipse creator vniuersæ carnis & potentissimus, &c. Inde tamen non infert, Ego possum & volo vos liberare, &c. sed potius contrarium infert.
  - Prædicit & describit per hypotyposim tristem capiendæ deuastandæq; vrbis faciem. Cogita hîc multa ex veteri Lege sacramenta & sacrificia, quæ tamen vrbem non conseruârunt: vt electicijs cultibus illegitimæq; idolatriæ minus fidendum sit.
  - Commemorat causas excidij nimirum
    - Idololatriam, quam exercuerunt in plana tectorum superficie: sacrificantes scilicet militiæ cœli & Baal, qui in genere pro falsis dijs ponitur & ipsi Moloch, de quo suprà etiam cap. 7. &c.
    - Peruicacia in malo omnium ordinum iam à pueritia ad irritãdum Dei furorem: vbi congeriem vsuræ, adulterij, deceptionis, furti, &c. intelligere promptum est.
  - Promittit restitutionem populi captiui & liberalẽ eius benedictionem: quæ quidẽ sub Cyro & Dario Hystaspe primùm, inde per Christũ cõpleta sunt. Plenissimè in die iudicij cõplebuntur. Partes benedictionis sunt
    - Recollectio dispersorum in patriam.
    - Securitas ibi habitandi fidelium.
    - Peculium Dei.
    - Vnitas cordium & confessionis.
    - Religiosus & perpetuus Dei timor.
    - Ictio noui & sempiterni fœderis de quo & capite prçcedẽti, & hîc iterum
      - Explicatur author diuini temporis: nempe Deus ipse.
      - Illustratur clarius paternum & gratuitum Dei beneficium.
      - Exponitur visio prophetica de emptione agri quòd nimirum ideò Deus iusserit Ieremiæ agrum emere, vt sit certisimæ restitutionis symbolum.

Dispositio

Dispositio Capitis 33. Vbi oratio decimaquinta incipit.

PRAEDICIT vrbem vastandam & captiuos reducendos. Vbi

- Ponit Ieremias nomen authoris suæ orationis, & statum proprium. Deum appellat Omnipotentem, & verissimum, dum dicit: qui fecit, id est, qui stabiliuerat sibi hanc vrbem vel stabiliet in futuro: vel, qui dicenda omnia consummabit, vt certò adimpleantur.
- Iubetur Propheta inuocare Dominum mox reuelantem sibi grandia & abstrusa mysteria: quæ quidem Ieremias extra reuelationem neutiquam diuinare à se poterat.
- Subnectuntur orationis partes principales duæ: videlicet de
  - Vrbe vastanda, ac de incolarum internecione & captiuitate: subnexa tanti mali causa.
  - De restitutione captiuitatis, quæ exaggeratur.
    - Figura à re medica petita.
    - Ab abundantia pacis & fidei, hoc est, veritatis promissionum Dei.
    - A latissima generalissimaque, tam Iudæorum, quàm Israelitarum liberatione.
    - A mundatione ex omni iniquitate, per locutionem figuratam, cuius symbolum extat in Baptismo.
    - A fine destinato tam mirandæ liberationis, qui laudem & gloriam Dei spectat.
- Perstans in eodē argumento, fusius disserit de liberatione. Vbi docet reditura esse
  - Gaudia consueta in vrbe & negociationes & opera agricolarum.
  - Oblationes veras fidelium, quæ maximè noui Testamenti sunt: adiecta causa veræ liberationis.
  - Varia ædificiorum genera in vrbibus & pagis. Vbi greges sub manibus minantis dicuntur de ouibus Pastorum, qui numerare solent, & minari suis gregibus dum ducunt ad pascua, vel reducunt.
  - Tempora illa florentissima veri Regis promissi ex stirpe Dauidis: nempe Messiæ, de quo hæc eadem suprà quoq; in cap. 23, relata sunt.
- Validissimè cōfirmat vniuersa prædicta, quoad nouū Testamentum. Nam asserit ex ore Domini de
  - Christo Messia, quòd
    - Sit æternus Rex mansurus.
    - Sit æternus Sacerdos mansurus.
    - Aeternum holocaustum operetur: de quibus abundè Apostolus noster capit. 7. 8. 9. & 10. ad Hebræos, & Psal. 110.
  - Eius Ecclesia, quòd
    - Sit numerosissima.
    - Aeternum mansura.
    - Abundet Sacerdotibus Deo ministrantibus & Principibus. Et hæc omnia in spirituali cultu intelligenda sunt. Aliàs enim nec Leuitæ nunc ad literam ministrant, nec semen Christum reliquit.
  - Deo ipso, quòd veraciter hæc & immutabiliter adimpleturus sit, per allegoriam statutæ noctis & diei: quamuis propter præcidentem plagam desperare omnes de Dei adiutorio poterant.

Dispositio Capitis 34. quæ decimamsextam & septimam continet orationem.

PARTES Capit. 34.

- Prædicit oratione decimasexta captiuitatem vrbis, & maximè regis Zedechiæ.
  - Ponitur author vaticinij huius, item per quem, & ad quem.
  - Circumstantia temporis denotatur.
  - Subnectitur oratio, cuius partes sunt de
    - Vrbis expugnatione vnà cum Lachis & Azecha, quæ nondum Babylonijs cesserant.
    - Eiusdem horribili vastitate & incendio.
    - Captiuitate Regis Zedechiæ, quæ præponit eiusdem fugam.
    - Præsentatione eiusdem ipsi Nebuchadnezari.
    - Ablatione in Babylonem.
    - Morte eiusdem ibi non ingloria, id quod ostendunt particulæ.
      - Morieris in pace, id est, non iugulatus ab alijs, Cur autem interim Ieremias violenter sit extinctus, & alij aliter mortui, ad occultum Dei pertinet iudicium.
      - Concremaberis, vel, secundùm combustiones maiorum tuorum, adolebunt tibi: nimirum aromatibus, quemadmodum scilicet Asa Rex Iuda conditus est cum combustione aromatum, 2. Paralip. 16. Nec vna fuit veteribus sepeliendi ratio. In funeribus tamen Regum Iudæorum solebant comburere aromata.
      - Plangent Væ Domine. de quo & suprà capit. 22.
  - Attexitur quanta fide & constantia iniunctum sibi munus Ieremias apud Regem impium executus sit. Nec dubium, hanc orationem causam vinculi eius iterum fuisse. Postquam enim perorasset, exire volens in Anathot, in porta capitur, vt audiemus cap. 39.
- Grauiter accusat oratione decimaseptima Iudæos, quòd seruos manumissos semel, iterum sub iugum seruitutis retraxissent. Vbi
  - Ponit authorem suo more legationis ad maiorem attentionem.
  - Adijcit pro occasione circumstantiam promulgatæ legis & manumittendis seruis iuxta præscriptum, Exod. 21. & Deut. 14. Id quod apparet circa principium obsidionis, Iudæos toties correptos fecisse, vt sic & ipsi à tyrannide Babyloniorum liberarentur. Et quia discesserat tunc ab obsidione Babylonius profecturus in occursum Aegyptio Regi, vt audiemus cap. 37. mox ad securitatem reuersi Iudæi, cœperunt perfidè retrahere seruos suos priùs libertate donatos.
  - Subiungit orationē, in qua, secūdum partes,
    - Memorat voce Dei Legem hac de re scriptam, & diu editam ex cap. 22. Exodi: quæ meram sapit honestatem, humanitatem & benignitatem. Est & typus æternæ liberationis post curriculum sex dierum, mundi sex mille annorum.
    - Expostulat de Patrum inobedientia.
    - Exprobrat recidiuum Iudæorum scelus, qui scilicet primam virtutem turpiter deluserint & violârint. Hoc freqnens peccatum & in Christianis grauiter accusat Petrus, 2. Pet. 2.
    - Exaggerat crimen ab eo, quòd iuramentum seu votum in Templo Dei pepigerint, & tamen eius violatione tandem nomen Dei prophanârint.
    - Minatur acerrimè temeratorib. iuramentorum per antipophorā: quòd nimirum reducere velit ad obsidionem Babylonios, vt extremā cladem in omnes Ierosolymitanos effundat. Tangit autē vindicta in
      - Communi omnes ordines, pro violato iuramento: quod quidem Dominus suum esse dicit, graui emphasi. Ibidem ponit ritum de diuisa bucula, qualis & Genes. 15. legitur, quo significabatur Deum esse spectatorem iuramentorum, eundemque dilaceratorem seu punitorem peierantium. Et sic sane omnes ferè Principes Zedechiæ, gladio dissecti tandem fuêre à Nebuchadnezare. Diuersi apud Ethnicos quoque iurantium ritus leguntur.
      - Specie, Regem Zedechiam, cuius scilicet authoritate curanda erat iuramenti integritas.

Dispositio Capitis 35. vbi decimaoctaua Ieremiæ concio incipit, ordine tamen arbitrario, non naturali.

Partes Cap. 35.

- Iubentur Rechabitæ à Ieremia vinum bibere, quod illi iuxta priscum suum institutum renuunt. Vbi
  - Ponit Ieremias authorem suæ concionis Deum.
  - Meminit circumstantiæ temporis. Fuit autem Ioachim prædecessor Zedechiæ Regis vltimi, sub quo prior oratio habita est, annis ante hanc circiter decem.
  - Exponit quomodo iussus sit ire ad domũ, seu familiam Rechabitarum, vt illos citaret in aliquod Templi Dominici cõclaue, seu cubiculum, cuius varius tunc & sacer fuit vsus, secundùm ministerium Sacerdotum. Porrò dicendum hic, qui fuerint Rechabitæ, quorũ mentio fit etiã 1. Par. 2. &c. Obab, vel Hobab, cognomento Cinæus (forsan ab oppido Cina, quod posteà Tribui Iudæ cessit, Ios. 15.) filius fuit Iethro, aliàs Raguel appellati, Principis Madianitarũ, socerìq; ipsius Mosis, Exodi. 2. &c. Et sic idem etiam Mosi per vxorẽ Sephorã affinis fuit. Discedẽte porrò Iethro ex castris Israelitarũ tempore exitus ex Aegypto, Exodi 18. mansit Hobab pro duce & monstratore viarũ Israelitis, Num. 10. promissa eius posteris, qui Cinæi dicti sunt, in terra Chanaan, liberali hæreditate, vbi voluissent. Vnde & Saul deleturus Amalechitas, inter quos aliqui eorũ consederant, iubet ab eis discedere Cinæos, quia parcere cupiat eis, propter patris Obab beneficia in Israelitas, &c. 1. Reg. 15. Filius Obabi fuit Rechab. Rechabi itẽ filius fuit Ionadab, vir magnæ authoritatis, quẽ Iehu in Israele regnare incipiẽs, ferè sociũ regni habebat, 4. Reg. 10. quamuis esset alienigena & peregrinus. Notãdũ & illud, Madianitas, seu Cinæos, vel Rechabitas, varijs in locis Nomadarũ more habitasse, & fuisse quidem circumcisos instar Ismaelitarũ, Moabitarum, & Idumæorum: veruntamen ex numero gentium habitos, & idololatras. Ex quibus, quia singulari pietate Ionadabus synceræ religioni addictus fuerat, constituerat pro vita religiosiori quosdã ritus sub titulo patris sui posteritati cõmẽdatas.
  - Narrat quomodo profectus sit ad Rechabitas, seu in visione, seu reipsa, & qualiter adductos in vnum cubiculorum, ad potum vini, iussu Domini, inuitârit.
  - Exponit Rechabitarũ excusationem, causantium ex
    - Patris sui Ionadabi decreto, cur nolint bibere vinũ. Et hic tres ponunt eius leges: Ne
      - Domos extruant: hoc est, ne mechanicas artes & fastum vitæ sectentur, sed instar Patriarcharum vitam pastoriciam in Tabernaculis exerceant, quasi mundo minùs addicti, & in cœlestem patriam intenti.
      - Faciant sementem, id est, ne implicentur mercaturæ, impostura & luxui
      - Vineam plantent, néue vnquam vinum bibant, seu Sacerdotibus quoq; ad Aram accedentibus & Nazaræis certa ratione interdictum erat. Et hæ leges vitæ potiùs erant honestatis, quàm salutis animæ: vnde hodiè minimè in exemplum trahendæ in tanta Euangelij luce, quæ minuta quæque nostræ vitæ munia dilucidè prodit.
    - Necessitate bellica, cur confugerint in vrbem, habitentq; ibidem, extra priscam suam consuetudinem. Licuit ergo eis dispensare in illis medijs & votiuis in necessitate ineuitabili, sicut sanè & vinũ bibissent extremo adacti discrimine. At aliter fidei, & confessioni salutari standum est.
- Exemplum Rechabitarũ oratione decimaoctaua applicat Iudæis Ieremias, obiurgans in eis rebellionem, denuncians pœnam, & Rechabitis præmium. Vbi
  - Monet se ex inspiratione diuina ea, quæ dicturus est, loqui.
  - Exprimit quibus sit missus.
  - Orditur orationem per interrogationem, non sine graui increpatione.
  - Collationem ponit, vbi antithesis est
    - Personarum Dei cum Ionadab, & Rechabitarum cum Iudæis.
    - Legum, seu traditionum.
    - Temporum: Ionadab enim legẽ tulit ante annos circiter 280. tot. n. à 3. regni Iehu anno ad 7. Ioachim intercedunt. Deus verò Legẽ suã promulgauit ante an. 885. quin p Prophetas iugiter intonabat.
    - Custodiæ vel obseruationis. Cũ. n. Rechabitæ absq; omni stimulo & Prophetarum exhortatione, minisq; seruârint Patrum traditiones, arguuntur Iudæi maximæ peruicaciæ, tam multiuaria instructione abutentes.
  - Desceptat cum populo, annuncians quanta diligentia verbum suum curârit semper annunciari, & ex opposito, quanta proteruia illi omnem prædicationem aspernati fuerint: additis vtrinque verborum ponderibus & affectibus per auxesim.
  - Denunciat grauissimũ supplicium verbis ferè ijsdem, quibus & antea sæpè vsus est.
  - Bona quæque pollicetur Rechabitis, ob fidelem legum paternarũ custodiam, ad modum quinti præcepti de longæuitate vitæ super terram. Quod alij illum de vita diuturna exponunt: alij de vxoribus Sacerdotum, quæ fuissent ex Rechabitis, & peperissent tandem filios coram Domino astantes. At phrasi Hebraica Stare coram Domino, ij dicuntur, qui ab eo amantur, & peculiari gratia conseruantur.

Dispositio Capitis 36. vbi incipiunt aliquot Capitum narrationes historicæ.

PARTES Cap. 36.

Præmissa iubentis authoritate, ponitur circumstantia temporis, quod quidem à tredecimo Iosiæ anno (quo primùm Ieremias prophetare cœpit, vt cap. 1. & 25. dictum est) ad quartum Ioachimi viginti tres annos complectitur, quibus iam Ieremias officio functus erat.

Iubetur Ieremias præfatos omnes suos sermones ad ista tempora in vnum volumen conscribere: quod quidem in vniuersum triplicis sunt generis. Nam sunt
- Nonnulli ad, vel contra populum Dei: nimirum præcedentes omnes promiscuè.
- Quidam habiti contra gentiles, & continentur à cap. 46. vsque ad 52.
- Quidam sermones historici sparsim pro ratione temporis interserti.

Additur causa finalis: Si fortè, inquit, domus Iuda conuertatur, &c. Notanda hîc insignis Scriptuarum vtilitas, quæ facit ne viua vox Dei & Sanctorum hominum dilabatur, ne noua dogmata & impostores subinde exoriantur, ne memoria in rebus necessarijs fluctuet. Et hodie quò maior Scripturarum per Typographiam copia, hoc inexcusabilior impiorum peruicacia extermínioq; suo propinquior.

Iubetur Ieremias omnes sermones suos conscribere in volumē. Id quod facit per Baruch, quem & scripta iubet recitare in Templo: quod facit Baruch. Et hîc

Ponitur obedientia Ieremiæ, qui
- Accersit ad se Baruch filium Neriæ, forsan amanuensem, vel ministrum, aut aliàs elegantiùs pingentem.
- Iubet scribi vniuersos sermones, quos Ieremias ex ore Domini habebat. Nunc ea vera & salutaris Scripturæ, cuius author Spiritus Sanctus.
- Mandat ipsi Baruch, vt ista cōstanter perlegat, additis circūstantijs loci, personarum & temporis: nempe
  - In domo Domini, quæ præcipuè sacris lectionibus, actionibus & orationibus dicata erat
  - Coram omni populo eò confluente.
  - In die ieiunij. Fuit verò ieiuniorum apud Iudæos aliud statum & ordinarium, quale & in die Propiciationis & in festo Tabernaculorum mense Septembri, à manè vsq; ad vesperam nihil manducabatur, & tandē citra delectū cibi sumebātur. Aliud verò conceptiuū seu liberū pro loco & tēpore susceptū, quale huius loci esse videtur in mēse Nouēbri, propter bellū Syriacū & conflictum inter Nebuchadnezarē & Nechaonē, vnde nouus victor Babylonius Ierosolymitanis imminebat. Sic pro tēpore Rex Niniue ieiuniū cū populo suscepit. Sic Apostoli Act. 13. vide & 1. cor. 7. At lōgè hîc distāt superstitiosa Papistarū ieiunia meritò pijs omnib. auersāda.
- Addijcit causam: nempe supplicem Dei precationem, & seriam pœnitentiam, quia Deus nimium sit iratus populo peruerso.
- Excusat sese, quominus ipse per se interesse & legere possit: Prohibitus, inquit, sum, vel captiuitati, vel morbo, vel hostiū insidijs, vel à Spiritu Domini, sicut & Paulus Act. 16. Et sic nunquam sunt scripta supprimenda, sed per alios etiam publicanda, & prædicanda.

Refertur fida mandatorum omnium executio per Baruch. Vbi topographia propter Templum iam desolatum non admodum vrgenda est. Id tenendum potius, verbum Dei audiendum esse, etiamsi legatur, modò cum intellectu. Vide 1. Cor. 14.

Defertur apud Principes Baruch, vocatur ab eis, & legit his librum Ieremiæ: illi verò, vt alicubi cum Ieremia lateat, iubent. Vbi
- Mentio fit inter promiscuum vulgus, quod frequentiùs in Templo versabatur, & nunc ieiuno stomacho gemens verbum Dei auscultabat, ordine nobilium interea suam aulam, vel gulam consectante: vnius Principis Micheæ, qui seu bono, seu malo proposito (incertum) ad aulam pergens, diuina prouidentia auditos in Templo sermones, reliquis aulæ Proceribus exponit.
- Refertur quomodo volente Deo res ea non sit neglecta, sed confestim Baruch à Principibus seorsim citatus, honorificè exceptus, & denuò coram eis totam perlegere iussus sit prophetiam.
- Indicatur ipsum Baruch summa fide & constantia opus omne exegisse.
- Describitur quomodo sese Principes ad lectionē Baruch gesserint. Nā
  - Expauescunt & sese mutuò respiciunt, cogitabundi de re noua & inexpectata, & habentes hinc terrore Dei, inde Regis impij, cui blandiebantur, animos consternatos.
  - Præposteram mouent interrogationem, quomodo hæc scripserit Baruch: cum potius de seria emendatione cogitare debuissent. Hos ferè simili responso eludere videtur sanctus Dei homo.
  - Nihil nocent ipsi Baruch, quin consulunt illi, vt vnà cū Ieremia in aliquod latibulū se recipiat, quia vident omnia esse corruptissima apud Regē. Atqui integri veritatis amici etiā patrocinium suscipere debebāt

Re delata, Iubetur, & seq. Vide literam A.

- Exponitur qui, & quomodo detulerint negotium Regi: nempe Principes venientes in Curiam: quod sic fieri voluit diuina prouidentia, vt Rex etiam inuitus communiter cum suis Aulicis audiret iudicium Domini. De Principibus in vtramq; partem est dicere.
- Docebitur vbi priùs reposuerint libellum à Baruch acceptum: nimirum in habitatione Scribæ vel Cancellarij Elisamæ.

A. Re delata ad Regem, audit is aliquantulum Iehudi legentem in Ieremiæ libro, quem tamen mox arripit, conscindit, proijcit in igñ, & comburit, & authores libri inquirit. Vbi

- Narratur de Rege Ioachimo, modis omnibus impio & luxurioso,
  - Quem miserit pro auferendo libro.
  - Quomodò iusserit coram se & Principibus legi.
  - Vbi tunc fuerit, & quo habitu: quia molli & voluptuoso, in Palatio superbissimo, & sumptuosissimo, de quo & superiùs cap. 22. accusabatur, curãs cuticulam ad focum, nihil orans, dum populus interea ieiuno stomacho verbum Dei audiret in Templo.
  - Quo animo lectioni attenderit: quia æstuanti, furioso & temerario. Nã
    - Exilit vix aliquot pagellis lectis.
    - Librum arripit.
    - Cultro scriptorio scindit.
    - In ignẽ cõiectũ totum cremat. Ante hunc verò nemo legitur cremasse sacram Scripturã: post ipsum Antiochus Epiphanius 1. Machab. 1. itẽ Diocletianus, demũ Antichristus Romanus prætẽdens versionũ varietatem Bibliorum, qua tamẽ & veteres vsi sunt, reuocãdo omnia ad originalia, hoc est, veritatem Hebraicam & Græcã. Aliud autem est, facilè etiamnum imitabile Magicos libros Ephesi fuisse concrematos, Act. 9.
- Subiungitur facinori Regis, quomodo etiam Principes sese gesserint. Nam alij
  - Impia securitate Regi adulantes nihil timent, nec expauescunt ad minas Dei: cùm tamen per antithesim pater Regis Iosias secus se vnà cum suis habuerit.
  - Præsertim tres inueniuntur, qui interpellent Regem, ne faciat, quod faciebat: verùm frigidè admodum, quales & hodie reperiuntur.
- Reperitur denuò exaggerata Regis impietas, mox ad vincula & tormenta ignis Ieremiam cum Baruch deposcentis: cuius tamen rabiei mirã potentiã occurrens Dominus, suis certis rationibus tutatur.

Iubetur Ieremias iterum scribere sermones suos in volumen, & Ioachimo Regi sua annunciare fata, quod & facit. Vbi ex ordine

- Author huius orationis more propetico ostenditur Deus, non somnium humanum.
- Memoratur quomodo Ieremias denuò concrematos sermones in volumen redegerit. Vbi iterum admiranda occurrit Scripturarum & authoritas, quæ est à Deo, & vtilitas ad salutarem catholicamque admonitionem, & veritas incorrupta, ac ne incendiarijs quidem, nedum aliquorum corruptelis vnquam abolenda. Ante Christum certè falsata non sunt Biblia: de eo enim corrigere Iudæos, nec Christus, nec Apostoli cessassent. Post Christum verò, imò iã antea à tempore Ptolemæi Philadelphi in omnes linguas sacra Scriptura transfusa est, vt insimul non possit, nec debeat corrumpi, aut vlla violentia aboleri. Memento Eunuchum etiã Aethiopicum Esaiam lectitasse tempore Apostolorum, Act. 8.
- Narratur quomodo Regẽ palàm accesserit, quod miraculo non caret, sicut & Helias olim ipsum Achab, quem priùs fugerat, & quæ verba corã eo fecerit, quibus plus q̃ heroico spiritu
  - Manifestè opprobrat crimen incendij.
  - Addit causam ab authoritate & fine scriptionis: quia Deus scribi iusserit, & ad prædicendum regni interitum, &c. vnde se Rex non obijcere Deo, sed subijcere debebat.
  - Minatur pœnã, quæ tribus mensibus absoluitur: quia
    - Carebit successore regni. Tametsi verò filius Iechonias creatus sit Rex in eius locum, tamen tribus duntaxat mensibus ea dignitas stetit, nec venit in rationem: præsertim quòd ea occasione in exilium etiã fuit abductus. Zedechias autem non censetur legitimus successor, quia erat patruus. Et non dubium, quin in ignominiam Ioachim & Iechoniæ in solium sic euectus à Nebuchadnezare.
    - Carebit sepultura honorifica, vt & cap. 22. dictum est.
    - Adobruetur omne eius regnum, & populus malis horrendis.
- Exponitur, atq; commendatur obedientia Ieremiæ, omnia mandata Dei probè exequentis.
- Appenditur sub finem historiæ mirabilis Dei prouidentia, conatus aduersarium eludentis. Nam vt stulti sunt, qui ventos volunt includere saccis, ita insaniunt qui verbum Domini opprimere vel tollere satagunt, cùm eius copia in contrarium augeatur, & sanguis Martyrum, vt ait ille, semen sit Christianorum.

Dispositio Capitis 37.

PARTES Cap. 37.

- Obsessa vrbe, & abeuntibus Babylonijs contra Aegyptios, rogatur Ieremias à Rege, quid futurum sit. Respondet, vrbem expugnandam, & comburendã iri. Vbi
  - Describitur circumstantia temporis pro occasione, vbi tam pro clementia Regis Babylonij, quàm pro perfidia Iudæorum admiranda: tenẽdus est breuis historiæ elenchus, prout & cap. 1. dictum est. Nebuchadnezar magnus, occupata tota Syria, deuictoq; Nechaone Rege Aegypti (qui antea bello Iosiã patrem superarat, & Ioachazũ Filiũ in Aegyptũ abducens, Ioachimum alterum filium in thronum collocauerat) postulauit iuramẽto à Ioachimo, vt sibi tandem fidelis esset, nõ Aegyptijs. Verùm Ioachim fide mutata, rursus cũ Aegyptijs conspirauit. Hinc secundò egressus Nebuchadnezar, illũ vinctum abducit, & Iechoniã filium in thronum collocat. Inde mox ex itinere tertia vice (aliquid intelligẽs vel suspicans Nebuchadnezar) remissio exercitu, Iechoniã quoq; post tres menses abducit, Zedechiã filium Iosiæ (tãtum perfidæ genti parcebat) nouissimè in regno cõfirmans. Quartò, Zedechia quoq; perfidè cum Aegyptijs colludente, instituit expeditionẽ contra Ierosolymã. Verùm Capreas Pharaò Aegyptius instructo & ipse exercitu magno ascendit in Syriam pro soluenda obsidione Ierosolymitana: Quo intellecto, Nebuchadnezar intermittit obsidionem, contra Aegyptium prodit, manuq; conserta victum in Aegyptũ fugat. In his ergo difficultatibus mittit Zedechias Legatos ad Ieremiam.
  - Exponitur quali peruicacia sese gesserint Iudæi, vel vnius Ieremiæ tempore, qui iam fermè quadragesimum functionis suæ agebat annum.
  - Recẽsetur circunstãtia legationis ob duas causas. Vt
    - Oret Ieremias pro populo: quasi verò sufficiat malè viuendo aliquem alteri munus intercessionis imponere: Ora tu pro me: vel, Ora pro nobis, &c.
    - A Domino de euentu belli pronunciet.
  - Adijcitur paucis, qualis tunc Ieremiæ status fuerit: nempe liberæ inter Iudæos functionis, quod ingressu & egressu notatur. Neq; enim semper gemunt sub cruce fideles, quamuis nunquam sint ociosi, seu exempla etiam Apostolica ostendunt.
  - Attexitur interrupta superiùs legationis occasio, quæ paulò antè tota recitata est. Hoc solũ hîc restat, discedentibus Chaldæis magnã fuisse in vrbe lætitiã, in primis garrientibus Pseudoprophetis, nihil ampliùs esse periculi à Babylonijs.
  - Subtexitur oratiuncula Ieremiæ, qua ex ore Domini
    - Indicat Aegyptios infœliciter pugnaturos, & per fugam redituros eò, vnde venerant.
    - Ostendit Chaldæos restauraturos obsidionẽ, vrbemq; captam inflammaturos.
    - Confundit vanam illorũ fiduciam, præsertim respectu Pseudoprophetarum animantium. Vbi pro auxesi adijcit hyperbolen, vt tametsi trucidassent exercitum Babylonicum, paucis tantùm saucijs relictis in tentorijs, tamen & illi erumpẽt ad vrbem vastandã. Punit enim Deus quoquomodo nocẽtes, & iuxta prouerbium, Virum malum vel mus mordeat.
- Dum discedere Ieremias ex vrbe cogitat, capitur, in carcerem conijcitur, inde eductus, ad colloquium Regis Zedechiæ miciùs tractatur. Vbi quoad
  - Exitum Ieremiæ,
    - Descibitur conatus Ieremiæ, qui Chaldæis soluta obsidione obuiam Aegyptiorum profectis, egressum parat ex vrbe in patriã suam Anathot, non procul ab vrbe distantem.
    - Ponitur causa discessionis: vt nimirum segregaret se à populo: vel certum videns periculum, vel tantam populi pertæsus cõtumaciam. Vnde discedẽdo nõ peccauit, quamuis Deo visum aliter fuerit: nempe ipsum detinere.
    - Refertur modus à loco & persona descriptus, quo Ieremias interceptus est à Præfecto custodum Ieria, qui auum habuit Ananiam, forsan illum Pseudoprophetam, quocum habuit Ieremias certamen, cap. 28.
    - Memoratur quali crimine fuerit damnatus: nempe proditionis, aut defectionis. Quod mox sanctus Dei Propheta, vt rem indignam à se depellit. Hîc disce proditionem esse magnum scelus: & Sanctos nihil minus pati, quàm crimen hæreseõs, vel perfidiæ.
    - Ostenditur quanta cum contumelia in vrbe rabiosa Ieremias exceptus sit, maximè à Principibus, verberibusq; contusus, in carcerem Ionathæ hominis sæuissimi cõiectus. Vbi domus lacus ponitur pro angusto ergastulo & tetro carcere, vbi Propheta nec spaciari, nec quietè cubare posset: interim latronibus, scurris, adulteris, &c. impunè vagantibus.
  - Accersitum ad Regem, & seq. Vide literam A.

A. Accersitum

A. Accersitum ad Regem,

Describitur quomodo Rex ad se citat Ieremiam: quia post multos captiuitatis dies & clanculum, nempe subuerens suos Aulicos, quibus sciebat illum esse odiosum. At neminem debebat in re bona metuere.

Depingitur turpis angustia Regis, ob imminens malum, qui interrogans, Nunquid sit verbi à Domino, dubitare videtur etiam de ijs omnibus, quæ sæpius prædicta fuerant, & non tam rei veritate, quàm suo commodo nouissimum etiam oraculum captat.

Refertur constantia Ieremiæ, nihil ad gratiam nutúmue Principis confingentis, sed denuò in Regem intonantis.

Intertexitur breuis oratio Ieremiæ ad Regem, in qua
- Expostulat quòd præter omne meritum teneatur captiuus, accusans potius Pseudoprophetas mendacij meritò puniendi.
- Petit tandem mitiùs tractari.
- Causam addit precationis à nimia & intolerabili carceris fœditate. Non enim Stoicus erat indolens veluti stipes dum Deum coleret.

Ostenditur satis clementer Ieremiam exauditum esse, quem tamen, vt debuerat, prorsus vinculis non absoluit Rex: metu haud dubiè Principum. Verùm & hic superat omnia Dei prouidentia, carcereque procuratur obsonium Prophetæ, qui aliàs in vrbe plus quàm Saguntina fame (vt ex Threnis apparet) laborante, multorum odijs expositus, victum neutiquam habere potuisset. Sic amara interdum dulcescunt. Deo nunquam suos deserente, vt exempla Heliæ, 3. Reg. 17. Iosephi in Aegypto, &c testantur. Vide & Psal 37. 107.

Dispositio Capitis 38.

PARTES Cap. 38.

Accusatur Ieremias corã Rege à Principibus defectionis, postulaturq; ad necẽ. Vnde Rege cõsentiente, iterum in cercerẽ conijcitur, vt pereat. Vbi
- Ponuntur nomina Principum (sed ad æternam ignominiam) Prophetæ aduersantium. Sic semper mundus & omnes eius pompæ ac vires mansuetis Dei seruis opponere se solent, debitum posthabendo officium.
- Subtexitur doctrina Ieremiæ, ob quam Principes illi infensi fuerint: Quia videlicet interitum prædicaret omnibus, qui Chaldæis reluctarentur.
- Defertur summa cum iniuria Ieremias Regi, quasi perfidus, & valdè noxius. Tali iudicio etiam hodie veri Pastores aggrauari solent, quasi gaudiorum & concordiæ turbatores sint.
- Rex effœminatus, qui innocentiam Prophetæ vtcunque intelligebat, non defendit, sed potius vel timore, vel gratia Principum iustum prodit. Tam perniciosum est Reges aliò, quàm ad Deum respicere.
- Eductus Ieremias ex atrio custodiæ, inducitur in teterrimum carcerem, cui præerat Malkias, vbi iam & lecto & cibo destitutus, fœdissimè pereat. At longanimitas Dei tempus habet præscriptum.

Intercedit Aethiops apud Regẽ pro Ieremia. Vnde extractus ex sordibus, reducitur in atrium custodiæ. Vbi
- Describitur per circumstantias liberator Ieremiæ,
  - Nomine Abdemelech, vel Ebedmelech id est, seruus Regis.
  - Patria vel natione Aethiops, sed proselytus, amore videlicet religionis.
  - Conditione Eunuchus, vel Cubicularius, vir magnæ authoritatis, & Princeps illustris. Talis erat Abdias apud Achabum, & Daniel Nebuchadnezari & Dario: in externo scilicet officio infidelitatem & impuritatem Regum non sequentes. Adeò fides integra scaturigo est omnium virtùtum in omnibus, & difficultates quasque soli Deo nixa exuperat.
- Ostenditur quanta cum fidelitate Aethiops, non tam Regis quam Dei seruus, causam Ieremiæ coram Rege egerit solus & alienigena, omnibus, etiam Regi, cõtradicens.
- Proponitur admiranda Dei prouidentia. Regem alioqui effœminatum, crudelem, leuem & impium, ad obsequium sui serui deflectentis. Quid ergo fides metuat?
- Memorantur opera fidei Aethiopis, Ieremiæ impensa, quæ vt maiori sint posteritatis exemplo, etiam per minutulas partes describuntur.
- Docetur quomodo Ieremias medijs sese accommodans cum gratiarum actione, in tolerabiliorem statum peruenerit, ne & consolatione & cibo ad diem vsque captæ vrbis deficeret.

Euocatur, Dimittit, & seq. Vide literam A.

- **A.**
  - Euocatur Ieremias ad colloquium Regis quocum disserit de cõmuni salute. Vbi
    - Ponitur locus colloquij : nempe transitus tertius in Templo Domini. Hunc alij pro porta introituque tertio capiunt, qui Aulæ regiæ adiacebat : alij pro tertio circuitu, seu contignatione habitaculorum iuxta Templum, vt abstrusior posset esse sermo.
    - Indicatur caput quæstionis regiæ : quæ innuit Regem & anxium fuisse, & prophetiæ aliquatenus addictum.
    - Subiungitur responsio Ieremiæ, cuius duæ sunt partes: nempe
      - Præfatio. Vbi
        - Pollicetur Ieremias se & vera dicturum Regi, & certum ei consilium exhibiturum, sed per conditionem : si nimirum pro veritate non occidatur, & pro consilio non contemnatur. Quæ pactio non Prophetæ leuitatem, sed Regis inconstantiam arguit.
        - Iurando confirmat Rex, sed non nisi priorem conditionis partem : quod in eo tam insufficiens est, quàm contrà iuramenti formula absoluta, & aulico more verbis & gestu seria. Idem tamen notum, quomodo fidem ante Regi Babylonio & Aegyptio in contrarium datam, fefellerit, & in Ieremiæ patrocinio inconstantissimus fuerit. Claret inde veritas eius sententiæ, quæ asserit animas non ex cælo delabi, aut ex traduce esse, sed creari à Deo, & inspirari corporibus.
      - Oratio in qua quidem vltima & ante excidium vrbis habita ad Regẽ.
        - Ponit Deum omnipotentem, & sui populi assertorem, omnis vaticinij authorem.
        - Aperit tam veritatem, quàm suum consilium, pro commodo Regis, formula à priori nihil mutata.
        - Interuenit noui dialogi occasio. Vbi
          - Aperit Rex penetrale cordis sui & superbissimi, & inconstantissimi, & effœminati, & impij, dum apertè dicit, se iacturam vitæ, honoris, opum, &c. magis timere, quàm Deum. Hic morbus multos etiam hodie tenet, ne se Deo & veritati humilient.
          - Respondet Ieremias ex ore Domini, cupiens mederi Regi deplorato,
            - Consolando : ne scilicet Deo omnipotenti diffidat, qui ea omnia à Rege, modò voci suæ obediat, prohibere possit. Talis est amplissima Euangelij promissio ad extremum vsque habitum.
            - Minãdo duriter, si frustrà ille benè consulentem audiat. Minatur autem
              - Apertam vrbis euersionem, adeò vt abstrusa etiam Regis ipsius gynæcia mulieribus euacuentur, &c.
              - Regis ipsius & filiorum captiuitatem.
              - Vrbis incendium, quod pro maiori efficacia correctionis, ipsissimo Regi adscribit. Semper enim peccata vulgi, vt & damna, Principes ipsos tanquam authores impetunt. ¶ His promiscuè interserit Ieremias per prosopopœiam formulam, qua vsuræ sint mulierculæ, exagitando Regem socordissimum, quòd ijs fiderit Principibus (ij dicuntur homines pacis & assentatores) quibus si non credidisset, turpiter in illud malorum lutum non illapsus fuisset. Vbi sensim indigna Prophetæ tractatio in lutoso carcere pro exprobratione refricatur.
  - Demittit Ieremiã Rex, accedunt eundẽ & Principes, qui & ipsi eum relinquũt in sua priori custodia incolumẽ. Vbi
    - Muliebriter deprecatur Rex incredulus fidelem, ne quicquam de colloquio effudiat. Sic plerunque Deum non timens, seruos suos timet: & Deo infidelis, infideles suspectosque consiliarios habere dignus est.
    - Assumit Ieremias conditionem : non quasi mendacio locum faciens, sed arcani adiaphori seriam custodiam insinuans, secundùm fidelitatem & charitatem debitam. Intereà, veram etiam pronunciaturus, se postulasse à Rege, ne in carcerem Ionathæ reduceretur.
    - Turmatim aduolant Principes ad Ieremiam expiscaturi colloquium. Quod quidem haud facilè tentassent, si aut admodum liberi non fuissent, aut suspectum Regem non habuissent, aut in desperationem non peruenissent in vna impietate solùm stabiles.
    - Manet Ieremias incolumis in custodia, vel carcere tolerabili : qui quidem illi mox pro asylo cedet, cæteris omnibus mactationi destinatis, mirando Dei iudicio. Sic sæpè fit, & vt in fine indicatur, solum Dei propositum, verbumq; ratum esse debet, etiamsi totum ruat cœlum, nedum Ierusalem.

Dispositio Capitis 39.

Partes Cap. 39.

- Capitur vrbs, Rex verò fugiēs cum suis comprehēditur, vrbs incēsa perit: populus verò captiuus abducitur, partim in Iudæa relinquitur. Vbi ex ordine descibitur
  - Circumstantia temporis, quę ostendit in vniuersum obsidionis menses 18. Vbi disce.
    - Deum iustissimum formidandum esse, qui tarditatem patientiæ supplicij grauitate compensat.
    - Correspondere sibi vtramque Ierosolymæ vastationem. Nunc quidem anno quadragesimo prophetiæ Ieremiæ, postea per Romanos anno similiter quadragesimo ab ascensione Domini.
    - Mensem obsessæ vrbis fuisse hyemalem, ad ostendēdam tolerantiā inimicorum populi eius, qui mollissimus fuerat in sectanda pietate.
    - Vrbem Ierosolymam fortissimam fuisse, vt non immeritò totius Orientis primariam prophani quoque authores tradant. At vbi fortitudo & refugium, irritato Domino?
  - Nomenclatura Principum Babyloniorum irruentium in vrbem, dura quidem & barbara, sed iustè ijs innotescens, qui dulce dei nomen & Prophetarum aspernati erant. Sic hodie nos Scythica & Turcica nomina (proh dolor) populariter audiuimus. Sunt porrò ex istis nominibus quædam propria, quædam appellatiua & officiorum, maximè incipientia ab Sar & Rab: Saræzer, Præfectus thesauri: Rabsaris, Præfectus aulæ: Sarsechim, id est, Magister tentoriorum: Rabmagh, Magister ædificiorum.
  - Occupatio subita portæ mediæ, seu populosioris, quo significatur
    - Vrbem illam in Nebuchadnezaris iam venisse potestatem, ipsiusque Principes loca iudicijs destinata, quibus malè vsi fuerant Iudæi pro tribunali obtinuisse.
    - Non tanto tunc furore & iniquitate occupatas fuisse vrbes atque nunc militibus sanguinarijs nec ius, nec misericordiam vllā obsessis relinquentibus.
    - Non protinus concrematam fuisse vrbem, sed post mensem ferè, variè irritatis Babylonijs.
  - Fuga Regis Zedechiæ ex vrbe cum suis primatibus per abstrusam portam, seu fuerit subterranea, seu supra teram artificiosè facta. Sic adornārunt illi fugam perfidè, qui Ieremiam antea perfidiæ insimulabant.
  - Retractio capti Regis in conspectum Nebuchadnezaris, qui tunc erat in Ribla, iuxta paludem Samachonitidem, in tribu Nephtalim: forsan pertæsus iam antè in castris obsidionis diuturnitatem.
  - Disceptatio Regis Babylonij cum Zedechia de multiplici perfidia. Vbi nec conuicia vlla proferūtur, nec nisi corām iudicatus Zedechias, damnatur.
  - Pœna grauis de Principibus, & maximè de Rege sumpta Lege nomina Principum 4. Reg. 25. Rex verò ter infœlix amisit liberos, quibus omnia iniustè & superbè aggregabat: amisit oculos, quibus vanitates spectarat: captiuus ductus est ad interitum, qui Deo seruire recusauit ad vitam.
  - Clades vrbis & vrbanorum horrenda. Nā
    - Omnia cum Templo ædificia vel igne absumuntur, vel demoliuntur. Vt sic omnis impiorum spes pereat.
    - Ex ciuibus, secundū triplicem eorum classem,
      - Ditiores & superstites à fame, gladio & pestè abducuntur in captiuitatem, tristissimè diuulsi à sua possessione per multas iniquitates acquisita.
      - Illi etiam, qui iam antea transfugerant ad Babylonios, similiter abducuntur: sed haud ita difficulter sedibus amoti, quas & antea spreuerant: vel quarum recuperādarum per victorem Babylonium spem conceperant.
      - Plebs infima, & auaricia diuitū hucusq; oppressa, relinquitur in terra Iuda, distributis illis agris & vinetis, vt sibi victum, Principi tributum parent. Sic vides miras rerum vices.
- Clemens & verax Dominus seruat in tanto captæ vrbis discrimine Ieremiam cū Aethiope. Vbi
  - Cōmemoratur peculiare Principis barbari mandatū de Ieremia tutando, & in postulatis omnibus audiendo. Sic Deus suos asserens, etiā in desperatis, vel per Angelos consolatur, vt Iacobū, Heliseū, Apostolos: vel per Principes, vt Danielē, Paulum, Act. 23, &c. vel per inuersam elemētorum vim, vt tres pueros in fornace: &c. Qui suis displicet sæpè alienigenis gratior est.
  - Ostenditur obedientia Principum in cohonestando Dei seruo, de quo, secundùm tandem materiam plura in seq. cap.
  - Describitur liberatio Eethiopis Abdemelechi, non tam historica, quàm per prophetiā illi iā antea denunciata: vt vaticinium, instar historiæ certissimæ commendetur. Vbi partes orationis Ieremiæ quinq; ponuntur.
    - De certissima vrbis clade.
    - Quòd funestam illam stragem oculis conspiciat Aethiops: antea nec gladio, nec peste, nec fame absumendus.
    - Quòd omni captæ verbis periculo eximatur.
    - Quòd promissio illa libertatis certissima sit, adeoque vita & fortuna Aethiopis pro lucro eidem cessura. Id enim vox spolij designat.
    - Quòd fidei veræ efficacia ista Aethiopi obueniant: Liberabo, inquit, te quia sperasti in me. Quid fides non obtineat? Et qui recipit Propetam nomine Prophetæ, mercedem accipiet. Math. 10.

Dispositio Capitis 40.

PARTES Cap. 40.

- Præmittit Ieremias omnis sui vaticinij & scriptionis & historiæ texendæ Deum fuisse authorem.
- Refert nomen Principis & loci, à quo & vbi primùm ex numero vinctorum in Babylonē transmittendorum ipse liber sit pronunciatus. Sic tandem innocentes à nocentibus segregari solent nutu Dei.
- Vinculis exutus Ieremias, & à Nabuzardan donatus ad Godoliā cōcedit. Vbi
  - Exponit cōcionē Nebuzardani: militarē quidem, sed benè Theologicam, qui
    - Testimonium fert iusticiæ Dei, quòd populum suum maturè quidem, sed frustrà admonitum, percusserit.
    - Tribuit omnem calamitatem peccatis Iudæorum, non constellationi, vel fortunæ, &c.
    - Optionem dat Ieremiæ, vinculis soluto, seu abeūdi in Babylonem, seu remanendi in ditione illa, vbi velit.
    - Commeatu eūdem satis liberaliter instructum, tandem (prout ita velle animaduertit) ad Godoliam ablegat. Vbi textus Hebræus habet: Nondū ille (scilicet Ieremias, responderat, quòd) reuerteretur, cùm (scilicet dixit illi) reuertere, &c. Vel enim ex vultu, aut alia re deprehendit Nebuzardan Ieremiam nolle Babylonem abire. Porrò munera multiuaria sunt, honoraria, meritoria, allectoria, vsuraria, deceptoria, assentatoria, &c. vt iuxta parœmiam Græcorum, Nec omnia, nec passim, nec ab omnibus danda, capiendaq; sint.
  - Indicat quomodo ad Godoliam concesserit. Eligens nimirū consortium pauperis populi in terra promissa, q̄ amplas Babyloniorū opes & aulam. Sic & de Mose scribitur, Heb. 11. At multos hodie talis optio falleret. Fuit porrò Godolias antea obscuri nominis, homo Iudæus, per omnia pius & clemēs, ꝓ Præside Iudæis relictis datus, vel pro salua omni religione, quam Papæ & Nerones primitùs etiam rerum potiti interturbarent. Aliâs Nebuchadnezar poterat Babylonium præficere, nisi fuisset clementissimus.
- Congregantur dispersi Iudæi ad Godoliā in Mispa, quos sui admonet officij: colligunt ij vberē eius anni prouentum. Vbi
  - Præmittitur occasio à potestate ipsi Godoliæ super eā terrā tradita. Et videtur habitasse illum in Mispa loco veteri, vicinoq; Silo, vbi & Samuel domiciliū habuit, 1. Reg. 7.
  - Ostēditur qui collecti fuerint ad Godoliā: nempe Iudæi, præsertim transfugæ & dispersi, cùm suis Ducibus ac Centurionibus, qui hîc Duces exercitus dicuntur, vt plurimùm in campo hactenus commorati. Adde his & eos, qui vel ad Moabitas, vel ad Ammonitas, vel ad Idumæos se recepissent. Ex his (vt nō omnes syncero erant animo) primo loco positus Ismael erat latro, qui postea trucidauit Godoliam.
  - Ponuntur humanissima, pia & vtilissima Godoliæ verba ad populū. Nam
    - Primus iurat omnibus apud eum comparentibus: se nimirum seriò loqui, & beneuolum esse.
    - Suadet Iudæis vt placidè Regi Babylonico seruiant, addita causa ab vtilitate.
    - Promittit suam opem, contra omnem iniustam exactionem, aut intolerabile tributum.
    - Donnat eis liberaliter colligēdos omnes terræ prouentus, quos, res mira, Chaldęos non penitus deuastasse, cùm hodie Christiani quoque vix illæsos sinerent.
  - Refertur & magna anni eius fertilitas, & liberrima Iudæorum vindemiatio, &c. Sic solet Deus patriæ suæ gratissimos remunerari.
- Aperiūtur insidiæ per Ismaelem structæ Godoliç, qui tamē improuidè indici nō credit.
  - Describitur insignis persona Iohanan, cum cæteris Ducibus, qui pariter indicārint Godoliæ structas illi cruentas insidias.
  - Aperitur ex ordine
    - Nomē insidiatoris: nimirum Ismael, ex stirpe regia oriundus. Vide sequenti capite, & 4. Reg. 25.
    - Primus author insidiarum: nēpe Baalis Rex Ammonitarum, qui semper inuideret Iudæorum tranquillitati.
    - Finis modusque insidiarum: trucidatio Godoliæ, vnde maxima rursus Iudæorum calamitas oriri putabatur.
  - Ostenditur fides & strenuitas Iohananis erga Principem suum. Nunc rara fides, rarus & fidelis admonitor.
  - Exponitur probissimi viri improba socordia, dum
    - Vetat per insidias Ismaelem tolli: vbi quidem quantum in eo laudis habet, quòd aperta lege omnia exequenda esse innuat, tātundem peccat dilatione malū pessimi animi propositum nutriens.
    - Mendacij arguit fidum monitorē, propria tātùm incredulitate. Benè quidē dicitur, Eccl. 19. Qui citò credit, leuis est corde: attamē, Seneca teste, & qui omnia credit, & qui nihil credit, ex æquo peccāt.
    - Defendere videtur Ismaelem: temerè stans pro eo, quem intimè non nouerat.

Dispositio

Dispositio Capitis 41.

PARTES Cap. 41.

- Godolias trucidatur in cõuiuio ab Ismaele, qui etiam septuaginta alios viros cõficit mox reliquias è Mispa ad Ammonitas abducturus festinat. Vbi
  - Indicatur circumstantia temporis, loci, &c. quando venerit, quis venerit, quo & cum quibus ad Godoliam. Venit mense septimo, hoc est, tertio à combusto Templo: quoniam illud exustum mense quinto fuerat. Tam properè ergo vir ambitiosus, crudelis, auarus, audax, & impius miserum patriæ fatum renouat, inuidens quòd non ipse sit Præfectus terræ creatus.
  - Ostenditur insignis humanitas & liberalitas Godoliæ, amico excipientis conuiuio, hostem clancularium, sicut Christus Iudam proditorem, &c.
  - Describitur audax, impium, truculentissimumque Ismaelis facinus, qui
    - Hospitem suum trucidat cum familiaribus & magnatibus Babylonijs. Vnde conuiuia fida & amica esse debent, tam multorum exposita insidijs, maximè ebrietate interueniente. Sic Ammonem inter pocula curat Absolon iugulari. Sic Ela Rex Israelis in conuiuio à Simri confossus, perijt.
    - Insidijs intercipit & occidit septuaginta etiam viros innoxios, qui ne verbulo quidem immanem bestiam offenderant, & pietatis exercendæ gratiã aduenerant. Ad exquisitißimum Ismaelis latrocinium referuntur & Crocodili eiusdem lachrimæ. dum flet cum flentibus, & dissimulata cæde Godoliæ, simulat se Ducẽ fore ad illum: in qua dissimulatione trucidat mox, nihil tale verentes. Porrò horum hominum diligenter describit Ieremias itineris modum: nẽpe vnde fuerint, & quali habitu: nimirum luctũ per omnia testante, puta pro publica patriæ calamitate: tandem in quem finem venerint, vt sacrificarent in domo Domini. Vnde suspicari possumus, Godoliam in Mispa collocasse Aram & Tabernaculum ne populus omni religioni careret.
  - Indicatur locus perpetratæ cædis: videlicet
    - Mispa, vbi Godolias in aula trucidatus fuerat cum suis familiaribus.
    - Lacus seu fossa in media vrbe, olim ab Asa Rege Iuda contra Baasam Regem Israelis facta, 2. Reg. 15. & 2. Paral. 16. vbi interficit peregrinos, cadaueraq; cæsorum abdit. Sic fossa Asæ, qui contra Dominum fœdus cum Benadab Rege Syriæ inierat, sepulchrum fit posterorum: vt semper impiorum fœdera & consilia nobis sint suspecta. Hic miro astu decem homines sibi ab indigna morte prouident.
  - Superattexitur nouissima etiam Ismaelis crudelitas, desæuientis in reliquias populi à Babylonijs relicti, & in filias Regis, nempe Zedechiæ, quibus vel tyrannus alienigena pepercerat: vt sic in nouam omnes captiuitatem pertraheret, hostibus fidei gratificaturus. Quanta, proh dolor, ambitio & auaritia designant in profligatissimis nebulonibus? qui quidem sola vicißim auaritia sceleri modum adhibent: quemadmodum & hic decem hominibus gratia pecuniæ indicatæ (verè vel fictè incertum) parcitum est.
- Liberãtur opera Iohannan captiui ab Ismaele, & reducuntur incolumes. Vbi describitur
  - Comitatus & apparatus Iohananis persecuturis Ismaelem pro eruendo ex manu eius populo: quod quidem plenißimum est laude, fortitudinis, charitatis, & pietatis, ne misera plebs & libertate omni & religione inter Ammonitas exueretur. Sic Abraham. Genes. 14. Sic Gedeon & Iosophat suos eripuerunt ab hostibus.
  - Locus vbi sint assecuti Ismaelem. Fortè fuerunt ibi fontes, cisternæ, vel piscinæ: ibi olim inter se paria aliquot fratrũ sub Ducibus Abner & Ioab conflixerunt, 2. Reg. 2.
  - Gaudium captiuorum sub Ismaele, qui protinùs Iohannitis adhærent, prælio interea, vt apparet, commisso.
  - Fuga turpißima Ismaelis cum septem duntaxat viris. Amiserat ergo tres ex decem suis stipatoribus, nec dubium optimates quoq; alios à Rege Baali secum habuisse. Quo tandem honore? qua conscientia, tanquam alter Iudas viuere potuit?
  - Institutum Iohananis carere nouißimum, quo prioris facinoris laudem omnẽ euertit, dum contra vetus Dei mãdatum, contra fœdus & consensum Ieremiæ aliorumq; Prophetarũ traducere vult populum in Aegyptum. Non ita metuendi erant Babylonij, nec ita amãdi vicini Aegyptij, vt dei verbũ & fiducia reijceretur. Sic videmus neminẽ hominũ esse ex omni parte integrum: & nisi carni extremã esse stultitiam.

Dispositio Capitis 42.

PARTES Cap. 42.

- Consulunt Ieremiā Iudæi, quid agāt, aut quò proficiscātur, ac obedientiam pollicentur exactissimā. Vbi
  - Accedunt cum Iohanan omnes Principes, & totus populus ad Ieremiam.
  - Petunt ab eo duo: vt
    - Oret pro eis.
    - Consilium det ex ore Domini, quid debeant facere. Atqui erant omnes subdoli, nihil aliud postulantes sibi reuelari, quàm quod animo iam diu fouebant: migrare nimirum in Aegyptum.
  - Benignum se offerens Ieremias (nec astum eorum per se deprehendens) promittit serio omnem operam, iuxta præscriptum Dei. Sic veteres nihil ex se vel potuerunt, vel protulerunt. Sic Christus nihil extra Scripturas dixit. Sic Polycarpus Ecclesijs dicebat, se nihil, nisi quod ab Apostolis haberet, tradere. Irenæus lib. 3. Eccle. hist. lib. 4. capite. 14.
  - Adstruunt Iudæi sese exactissimè voci Dei obsecuturos. Vbi quidem quàm prompti sunt ad iurandum, tam segnes ad præstandum, & hypocritæ. Promittebant & Mosi multam obedientiam, sed frustrà, Exodi. 19. &c. Talis fuerat & Rex eorum Zedechias, Ierem. 38.
- Respōdet Deus per Ieremiam iubens manere populum in Iudæa, & non migrare in Aegyptū cui tamen consilio contradicunt Iudæi. Vbi
  - Ponitur circumstantia temporis. Vnde elucet Deum exactis decem diebus responsum dedisse, qui & nunc exercere volens suos in precibus & votis, non statim exaudire solet.
  - Vocat ad se Ieremias Duces populi, & omnes promiscuè. Omnium enim est verbum Dei.
  - Ostendit se communes Deo obtulisse preces: certis nimirum illis diebus. Atqui priuatarum precum nullus debet esse modus.
  - Aperit consiliū in vtramque partem per conditionem, asserens
    - Mansionis, quam suadet, & modum, & vtilitatem, parabola ab architectura & agricultura desumpta in bonum eorum. Vbi
      - Addit rationem à clementia Dei, qui etiam inflictam illis vindictam dolere videatur.
      - Respondet obiectioni, & consolatur: ne scilicet vllo pacto metuant Babylonios: nempe vel interitum Godoliæ vlturos ob incustodiam, vel eos in Babylonē denuò abducturos: addita ratione à paterna præsentissimaq; protectione. Si enim Dominus nobiscum, quis contra nos? &c. Rom. 8.
    - Migrationis, quam dissuadet, & modum (Aegyptum appellans) & incommodum. Infamis enim semper fuit Aegyptus, non solùm idololatriā, sed maximo etiam vitæ luxu, vltra priorum Patrum indignissimam ibi oppressionem. Vbique æquè adest Deus, sed in terra nota & coniunctius & tutius colitur. Benè habet omnia qui se Deo benedicenti etiam in loco sterili dedit. Impius autem, vbi vbicunque fuerit, non effugiet pœnam.
  - Videns apertiùs contumaciam, grauiori in eos insurgit oratione, adeoq; cathegoricè intonat. Vbi p partes
    - Minatur illis, in Aegyptum profectis, seueram vindictam in
      - Genere ab exemplo terrifico deuastatæ Ierosolymæ, & allegoria à metallarijs seu conflatoribus petita. Vt enim metallum liquefactum ardet, furitq; & non nisi cum pernicie latissimè diffunditur. Sic diffundet, inquit Dominus, iram suam super vos, &c.
      - Specie: Eritis, inquit, execrationi, stupori, &c. quæ in fine cap. gladij, famis, pestis, nomine exprimuntur.
    - Epiphonemate increpat illos, & arcet à migratione in Aegyptum: addita ratione ab incommodo proprio maloq; intestino.
    - Taxat quàm grauissimè populi hypocrisim & peruicaciam. Vt nemo impunè se laturum putet Deum vanissimè tentare, & seruis eius illudere: quandoquidem veritatis abnegatione non tam abijcitur, quàm accersitur crux.
    - Repetit expressiùs genera malorum, quibus extra vanissimam suam fiduciam excipiendi sint in Aegypto.

Dispositio

Dispositio Capitis 43.

PARTES Cap. 43.

- Continuata serie superioris capitis, ostenditur qui insurrexerint aduersus Prophetam Domini. Illi in genere arrogantes & superbi dicuntur, quales seruis Dei semper recusant acquiescere.
- Exponitur quomodo hypocrisis populi & Ducũ in apertã rebellionẽ eruperit, qua nõ solùm ipsi pergunt descẽdere in Aegyptũ, sed etiã Prophetas Domini violenter abducunt. Vbi
  - Ponuntur cõtumeliosae eorundẽ verba aduersus prophetam, quibus
    - Arguunt illum, sed falsissimè, mendacij. At ipsi erant mendaces, obsequia sua pridem tantoperè polliciti. Sic habet ad tempus sua tegumenta hypocrisis, sed vbi à Deo vrgentur impij, tunc nullum modum seruant.
    - Addunt rationem à calumnia, quòd non ex Deo loquatur. Impius enim in corde dicit, quòd non sit Deus, sed ore illum in seruis Dei repudiare solet.
    - Prætendunt pro authore consilij ipsi Ieremiæ Baruch Prophetam, qui forsan durior ipso Ieremia ad populum fuerat, ac ideò crudelis ac perfidus iudicatus: vel tantùm collusores sibi fingunt vtrosq; tanquam impostores: sicut & nunc perperam & odiosè solet dici de pijs Pastoribus, agi eos vel spiritu Zuingli, vel Lutheri, vel Caluini, &c.
  - Memoratur descensus illorum in Aegyptum maximè per vim & imposturam Iohanani, Ducumque reliquorum, qui abducunt secum
    - Vniuersum populum, qui vndiquaque in patriã confluxerat.
    - Liberos & familiam omnem Zedechiæ, quæ cladi superfuerat.
    - Babylonios apud Godoliam relictos.
    - Ieremiam cum Baruch: vt si pereundum esset, perirent & ipsi: sin minus haberent quod semper seruis Dei exprobrarent. Porrò Taphnes celebris vrbis Aegypti ea esse putatur, quam Herodotus Daphnim Pelusiæ nuncupat.
- Denunciat Ieremias Iudæis & Aegyptijs, quòd delendi sint per Nebuchadnezarem. Vbi
  - Occurrit locus: nempe Taphnes (quæ Psal 78. Soan dicitur) vbi iussu Domini prophetârit Ieremias. Et quanquam alia innumera interea facta sint, sequentia tamen ad nostram eruditionem Spiritus sanctus literis mandari voluit.
  - Exponit Propheta paradigma quoddam cum circumstantia loci, quòd iussus sit facere, aspectantibus maximè Iudæis. Aegyptus cùm sit terra plana, coctilibus vtebatur lateribus: vnde officina tegularia, vel latericia proxima erat Palatio regio ad paranda ædificia, quæ forsan & tunc superbè extruebantur.
  - Declarat sermone quid paradigma figuret: nempe tã certò illac peruenturum Nebuchadnezarem, & occupaturũ omnia. Vbi videre est, quàm difficillima sit fũctio prophetica, & simul cõstans Ieremias. Qui enim humano iudicio grati as potius agere debebat Aegyptijs, & congratulari suis municipibus, idẽ spiritu Dei totus diuersum agit. In oratione autem
    - Vocat Nebuchadnezarem Seruum Domini, eò quòd à Deo dirigatur & sit instrumentum vindictæ Dei, tam Iudæis perfidis & profugis, quàm Aegyptijs idololatris & perfidorum patronis infligendæ, sicuti in processu particulatim exponitur.
    - Minatur combustionem & vastationem templis, simulachrisq; Aegyptiacis, quos per paronomasiam Deos appellat. & maximè statuæ Apidis Osiridis, aut Serapidis valdè celebris in Heliopili, id est, vrbe Solis, quam multi volunt ab Hebræis, secundùm etymologiam Bethsemes dictam. Aliàs tamen patet ex Gen. 41. & Ezech. 30. Heliopolim On, vel Auen (און) Hebræis dictam. Aut Bethsemes fuit Heliopoli proxima, aut ipsum omnino Osiridis sacellum, domus Solis dictum. Ferunt enim prophani authores, Osirim vel Osiridem cum sua vxore Iside (quæ & Io vocabatur) diuinos meruisse honores apud Aegyptios, ob varias primùm ab eis artes, & maximè literarum, aratri, vini, linique vsum repertum. Ac cùm in insula Abato, vbi Osirim vxor Isis flebiliter tumulauerat, præter omnium spem, apparuisset bos varij coloris, putârunt esse Osirim: quem tandem sub figura, & sub nomine Bouis (nam Aegyptij Bouem Apim dicunt) colere perrexerunt. Ac vt à communi nomine boum separaretur, tam ipsum Osirim, quam statuam eius, imò & bouem viuum illi ex multis alijs simili colore delectum Serapim, vel Serapidem: id est, principem Bouem nuncupabant. Sar enim principem vel dominum significat, præsertim Hebræis. Quidam à Soron & Apis Sorapim, & inde Serapim dictum existimant. Dedicatus porrò Bos, læta vel torua obiectorum manducatione, boni vel mali præsagium consultoribus & Sacerdotibus suis præbebat. Ad hæc quia per se nomen antiquum Osiris, Solem significabat, quasi dicas Multioculum. Et Isis, Lunam, pariter ambo sub quoque luminarium nomine & simulachro colebantur: præsertim quod Luna quoque instar Bouis cornua sibi sumere videretur. Isis autem, secundùm etymologiam, Prisca potest dici. Nam & Luna eodem appellata vocabulo, bene prisca & sempiterna ab eis esse credebatur. Alij priùs volunt Solem & Lunam pro dijs habitos fuisse, à mirabili & vili eorum reuolutione. Et tandem eorum nomina & cultum præfatis personis in terra dedicata fuisse. Lege de his satis fusè Ruffinum Eccl. hist. lib. 2. cap. 23. vbi quædam similia, quædam dissimilia his commemorantur. Non desunt, qui Osirim eundem putent cum Mizraim, qui fuit filius Cham, nepos Noeh, & primus Aegypti occupator. Vnde passim ab Hebræis Aegyptus Misraim etiam vocatur. Vtvt sint, omnia erant machinamenta Diaboli & stultitiæ humanæ, quia extra verbum Dei. Iam iuxta prophetiam, Esa. 19. Ecce Deus veniet in Aegyptum, & concident à facie eius omnia idola: vbiq; post Christũ conticuerunt flexiloqua gentilium oracula: irrepsêre tamen diuersi generis idola Antichristi, de quibus aliàs.
    - Exaggerat cladem Aegyptiorum ab insuperabili Nebuchadnezaris, imò & facili victoria, vt sic & spem etiam omnem in sua fortalicia suffocet: Quam facilè est, inquit, Pastori aliò migraturo reculas & vestimenta colligere, eaque sibi inuoluere, vt secum auferat, tam facilè erit vniuersa demoliri, & opes quasque auferre Nebuchadnezari Dei altissimi nutu.

Dispositio Capitis 44.

PARTES Cap. 44.

- Grauissima oratione Ieremias accusat idololatriā Iudæorum, quā exercebant in Aegypto. Vbi
  - Ponitur circumstantia personarum, quis loquatur, à quo, vel cuius nomine, & ad quos, vbi inter nomina reliqua Noph Memphim significat, quæ hodie à toto regno Agyptiorum Hebræis Mizraim dicto, Mizir vulgò appellatur, aliâs etiam Alcairum.
  - Refertur prophetica cōcio tota ardēs, obiurgatoria & comminatoria, quæ forsan vltima fuit Prophetæ, lapidibus obruto, qualis & Stephani Act. 7. Et hîc per partes
    - Proponit infœlix ac horrendum miserrimæ Patriæ Ierosolymorum exemplum enumeratis vitijs ijs, quibus Deus quàm iustissimè exarserit, maximè post seriem & diutinam, sed frustraneam per Prophetas suos admonitionem. Hîc ex æquo malitia hominum & bonitas Dei consideranda venit.
    - Obiurgat grauiter, nihil, in summa, tantis malis emendatos esse, qui intermissam iam olim idololatriam, denuò ritu Aegyptiorum exerceant suffitum, & libamina Soli, Lunæ, & exercitui cœlorum faciant, vnà cum Principibus, instar Patrum semper contumacium. Sic semper sine respectu personarum veritas annuncianda, etiamsi vita in manibus sit ponenda, latrantibus vndique impijs. Mira hîc verborum apparet emphasis, & exaggeratio, nunc interrogatione, nunc obtestatione, nunc allusione, &c. figurata, sicut & in sequentibus.
    - Recitat grauissimas Dei minas contra idololatras Iudæos, eò quòd Deus sit implacabilis factus, quemadmodum populus inemendabilis, vbi & modus supplicij abundè commemoratur. Vni reluctari Deo, omnia inuehit malorum genera, quemadmodum eidem fidere, omnia dispellit, vel vincit.
- Impia nihilominus proteruia Iudæi verbū Dei abijciūt, in idololatriam Aegyptiorū effunduntur, prædicantes impiorum fœlicitatem. Vbi
  - Producuntur personæ congredientes cum Ieremia: nempe viri, quorum vxores iam apertè litabant idolis. Item mulieres & reliquum vulgus, maximè in Patros. Sic facientes & consentientes æquè Deo & Prophetæ exosi contrarijque sunt.
  - Ostenditur aperta eorū rebellio, adeoq; professa impietas, cuius sēper duplex est nota.
    - Non credere veris Dei seruis, seu Scripturæ. Hominis enim titulo non ipsius Dei nomine veritas semper reijci solet: Tuum est, inquit, figmentum, &c. Sic de Christo, Stephano, &c. iudicatum ab improbis fuit. Sic mulieres Antiochenæ non parum contra Paulum & Barnabam potuêre, Act. 13.
    - Facere ea, quæ superstitiosus animus & libido dictat, aut malum vulgi exemplum. Porrò de rege & regina cœli, vide quæ dicta sunt cap. 7. 8. de cultu Serapidis, capite præcedenti. Immanis fuit ista populi Dei defectio, cuius tamen ipsi rationes proferunt.
      - A priori etiam suo facto: quasi verò valeat exemplum semper repugnans scripturæ.
      - A maiorum exemplo, & quidem Principū. At contraria extabant piorum Regum & Prophetarum instituta.
      - Ab vtilitate, ad quam mox videbimus Prophetam respondentem. Digladiatio ista hodie Papistarum est. Mendacissimum est fœlicitatem esse ex idololatria, quālibet vetus sit ea querela, cui respondit & Cyprianus libro contra Demetrianum, & Augustinus in libris de ciuitate Dei, & Orosius,
      - Fœminæ satis se defensas existimant, quòd quæ fecerant, conscijs suis maritis fecerant. At ea excusatio nulla est: Deo enim magis quàm hominibus obediendū.
- Respondet Ieremias, & seq. Vide literam A.

A.
Respondet Ieremias rebellium gloriationi de fœlicitate ex idololatria, & contrariũ prorsus euincit: cominatur etiam denuò illis, vnà cũ Aegyptijs, excidium. Vbi

- Acuit responsionem suam non solùm interrogationibus, sed & fusiori idololatria eorundem commemoratione, eo fine, vt Deum nõ delectatum illius copia, sed potius summè offensum fuisse ostendat. Non est existimandum Deum nostra facta incuria vlla præterire, seu stemus, seu minus mandatis eius.
- Conuincit exemplo Nupero desolatæ vrbis stipendium peruicaciæ & idololatriæ. Addi poterant his tempora Iudicum, quibus defectionis pœnas semper exoluebant Iudæi: conuersi autem ad pœnitentiam melius habebant. Sed & Salomon, Ieroboam, Baasa, Achab, Iehu, Ioram, Ioas, Achaz, Manasses, Ioachaz, Ioachim, Zedechias, &c. penitùs excisi pro idololatria, idem abundè confirmant.
- Applicat verborum vim præsentibus Iudæis, quòd & ipsi mala sua non nisi certissima preuaricatione accersiuerint.
- Exurgit iterum in sermonem obiurgatoriũ & comminatorium. Vbi
  - Ostendit, à quo & quibus loquatur. Vbi nominatim exprimit etiam mulieres, quæ videlicet acrius insistebant superstitioni.
  - Exprobrat illis contumeliam verborum, quibus pridem rupto omni pietatis repagulo aduersus Prophetã vsi fuerant. Hic vides vota omnia extra verbum Dei esse deuota & perniciosa.
  - Infert pro certitudine sui vaticinij Deum iurantem.
  - Addit genera pœnarum, illis certò imminẽtium. Vbi
    - Quasi epiphonemate asserit visum iri, quis verus, quis falsus fuerit in iudicio fœlicitatis. Vide Psal. 78. & Malach. 3 & 4.
    - Præoccupationis vice perstringens vanam illorum fiduciam in valida Aegyptiorum amicitia simul & munitione, ostendit regnum quoque & Regem Aegyptium Hophram periturum per Babylonios, instar Zedechiæ. Impletum autem hoc fuit anno quarto, vel circiter postquam eò Iudæi migrârant, vt Iosephus tradit, lib. 10 cap. 11. ¶ Porrò quia hæc durissima admodum verba fuerant, & nulla post hanc legatur oratio Ieremiæ, inde creditum est à multis Ieremiam mox lapidibus fuisse obrutum, de quo in tabula prima Præfationis iam anteà dictum. At nefarij eiusmodi patricidio non tam liberant, quàm implicant se malis.

Dispositio Capitis 45. vbi decimanona, sed arbitrarij non naturalis genuiniq; ordinis incipit Oratio.

IEREMIAS orationẽ habet ad Baruch quà mœstum cõsolatur. Vbi

- Designatur tempus pro occasione sermonis Obtulit autem orationi occasionem carnalis affectus & impatientia Prophetæ Baruch, qui (vt fusè dictum est Ierem. 36.) multo labore, timore & patientia scribens legensq; sermones Præceptoris sui Ieremiæ, aliquid commodi temporarij & gloriæ inde sibi pollicebatur: quemadmodum & Apostoli multis in locis pro suo Christo, Matt. 18. 19. 20 &c. Sic semper caro in omnibus caro: & nihil absurdius fidei, quàm temporalibus eam bonis metiri.
- Assignatur oratio Ieremiæ, quæ bimembris est. Nam
  - Exponitur cogitatio vel affectio, aut expressa Baruchi querela. Vnde claret Deum nihil latere, & nosse etiam hodie vel ex professo, vel ex infirmitate eiusmodi docentium querelas, quibus & ipsemet Ieremias quãdoq; obnoxius fuit. Ier. 15. &c.
  - Denunciatur ipsi Baruch
    - Quid facere vel cogitare debeat: vt nimirum non ad alta aspiret, nec primatum requiemue somniet. Id quod omnibus dicitur, qui piè volunt in Christo viuere, 2. Tom. 2. 3. &c. Ego, inquit, extirpo quę plantaui: loquens vel de suo iudicio in genere, quo in celsitudine collocatos humiliare solet, & humiles exaltare: vel in specie de Iudæorum clade, qui quasi plantati à Deo, mox per Babylonios extirpandi essent, vniuersasq; suas opes amissuri. Quæ ergo esset & ipsius Baruch in fluxis & caducis illis bonis fœlicitas?
    - Quo se præcipuè consoletur: nimirum gratia Dei illa, qua destituti, horribili clade, præsertim prædicta interminataq; conficiendi sint: fideles autem promiscuo quouis terrarum discrimine potentissimè & benignissimè ex quàm plurimis eruendi: maximè si illis peculiariter id promissum fuerit: vtvt tamen cadat, sors eorum semper cum Domino. Hæc quomodo adimpleta sint, instar Lothi & aliorum, in Barucho, Ieremia, & Aethiope vidimus suprà cap. 39. 40.

Dispositio Cap.46. vbi vigesima & vigesimaprima ab initio continetur Ieremiæ oratio: ad gentes autem prima & secunda.

PARTES Cap.46.

- Ponit authorem vaticinij Deum.
- Ostendit ad quos iubeatur sermonem facere: nimirum ad omnes gentes, quæ tamen numero tenus nouē memorantur, Aegyptij, Palestini, Moabitæ, Ammonitæ, Idumei, Syri, Cedareni, Elamitæ seu Persæ, & Babylonij: quoniam verò contra Aegyptios absolutè duas habuit orationes, sic decem nobis relictæ sunt orationes iam ex ordine sequētes: quarum quidem omnium summaria ea videtur, quæ superiùs cap.25. habita fuit, de generali regnorum omnium vastatione à Babylonijs, & tandem Babyloniorum quoque excidio. Et sic ostenditur Deum totius terræ esse Dominum, quamuis peculiariter populi sui Deus esse dicatur. Nec sinit Deus vt populo suo punito semper hostes illudant.
- Vaticinatur in vigesima concione Ieremias Aegyptijs insignem cladē per Babylonios. Vbi
  - Exorditur primā & peculiarē aduersus Aegyptū, regnū vetustū, superbū & luxuriosissimum orationē in qua mirè viuo sermonum colore describit ex ordine
    - Circumstantiam temporis pro occasione & argumento orationis. Ea copiosè habetur apud Iosephum lib.10.cap.7. in hunc modum: Nechao Rex Aegypti, de monarchia & ipse contendens ingenti exercitu mouet in Orientem, eundo perimit Iosiam, capit Syriā, & obuium Nebuchadnezarem Priscum fugat, & sic victoriosus in Aegyptum reuertitur. In regressu Ioachazum deijcit, Ioachimum, illi fide accepta, substituit. Inde quinto anno (qui erat Ioachimi quartus, magni autem Nebuchadnezaris primus regni annus, sicut & Ier.25. colligitur) Nebuchadnezar patris demortui iniuriam vlturus, & Syriam recuperaturus, ad Euphratem mouet. Aegyptius re intellecta, contra ascendit, cōgressus fit ad Carchamis iuxta Euphratem magna cum potentia fugatur Aegyptius, & Syria à Babylonijs occupata, Ioachimus in fidem Nebuchadnezaris recipitur. De hoc ergo futura adhuc clade vaticinatur Ieremias mira hypotyposi.
    - Apparatum Aegyptiorum grandem & solicitum contra Babylonios, fingens Regem ad expeditionem cohortari suos. Vbi omnia satis sunt plana, & armorum genera ferè etiam hodie vsitata. Verùm Domino non in eis est placitum, nec in equis, nec in tibijs virorum: sed in ijs qui sperant in ipsum, &c.
    - Trepidam Aegyptiorum fugam ex acie. Cum admiratione enim ait: Cur vidi ipsos pauidos, &c. Deus enim est, qui panicum terrorem, quam libet robustis, immittere potest, vt iuxta legis minas à folij quoque leuis motu terreantur.
    - Locum pugnæ: vt non solùm maior vaticinij veritas, sed & clade horribilior exprimatur. Vbi enim ante annos quinq; vicerant, ibi minus de fuga erant soliciti: at Deus est è cœlo alterna victoria.
    - Incessum superbissimum instructissimi exercitus Aegyptiaci, quem comparat flumini impetuoso: insolentiam autem eius notat per fluctus qui intumescunt & magno molimine voluuntur. Hic iterum alloquitur equites, iubens eos instar furiarum discurrere per campos. Commemorat gentes & diuersas earum armaturas. Vnde apparet potiorem Aphricæ partem secutam fuisse signa Regis Aegyptiorum. At quid efficient oues diuinitùs mactationi destinatæ?
    - Supplicium de Aegyptijs sumendum: causa annexa ob multiplicem eorum malitiam, & idololatriam. Vriam Prophetam Ioachimo ad indignū supplicium tradiderant. Internecione Iosiæ pij Regis gloriabantur. Erant perfidi & superbi, vnde arundinis etiam appellationem meruerant, &c. Pro sacrificio ergo reputabatur coram Deo iustissimo eorum mactatio.
    - Magnitudinem cladis periphrastica adumbratione. Nam
      - Iubet Aegyptios ascendere in regionem vel montem Gilead, vbi magna erat resinæ copia vtilis ad chirurgiam, vt inde citò sibi necessaria parent emplastra, vtrum inuito Deo nihil profutura. Vide eiusmodi de resina Hilead, & supra cap. 8. & 22.
      - Ostendit famam de strage Aegyptiorum mira celeritate per orbem perrerare ad ignominiam eorundem. Famæ summa est: Fortis in fortem impegit, & ambo ceciderūt: vt innuatur eò maior strages victæ partis, quò victrix nō nisi cruentam retulit victoriam. Sic sanè filius Dei fortem armatum (Diabolum) cruore suo peremit. Alij totum illud mēbrum de Agyptijs exponunt, qui in conflictu sese præ multitudine & maximè in fuga oppresserint.
- Vaticinatur similiter, & seq. Vide literam A.

A. Vaticinatur

A Vaticinatur similiter in 22. Concione cladem Aegyptiorum à Babylonijs: Iudæis autem læta promittit. Vbi

- Præponit titulum ex more suo orationi, in quo
  - Ostendit authorem huius vaticinij Deum.
  - Docet argumentum seu scopum: nimirum de descensu Regis Babylonij in Aegyptum ad vastandum eam. Dum enim Aegyptij priori clade nihil emendati peccatis peccata accumularent, exactis annis circiter 23. à clade Carchemisia, adducit Dominus in Aegyptum Babylonios, qui vniuersum regnū subuertant: quæ quidem calamitas priorum superabat decuplo, imò cētuplo. Prior enim clades, quāuis irreparabilis, fuerat extra regni limites, nec vltra persecutus fuerat eos Babylonius: at nunc totius territorij euersio impendet. Sic solet Deus priùs foris & frustra castigatos tandem intima plaga absumere: sicut & Sodomitæ antequam euerterentur, bello graui foris per orientales Reges castigati fuerant, Gen 14 clades ergo, præsertim publica semper pœnitētiæ debitæ nota est.
- Nō solùm narrat præuisā in spiritu vastationem, sed more rethorico oculis ferè contemplādā subijcit. Nam
  - Fingit Regem Aegyptium mandare suis seruis vt proclament hostem, regni vastatorem, adesse, vt omnes pro patriæ tutela ad arma concurrant. Hic nominat præclaras vrbes, quæ proculdubiò copiosum militem dare poterant.
  - Producta quasi tota acie in hostem & iam confligente, clamat derepentè Aegyptium exercitum inclinare ad fugam: Cur, inquit, fortes tui prostrati sunt, &c. causam addit: Quia Dominus impulit eos.
  - Demonstrat cladis magnitudinem, vno propemodum & summario verbo: Multiplicati sunt corruentes.
  - Fingit turbatos in regno luxurioso ociosos & mercatores, diffugere in periculis, ruere in complexum sociorum, querulari, hortarique mutuum vt relicta Aegypto profugiant in patriam, ne & ipsi gladio conscindantur cum Aegyptijs. Solent comparare huiusmodi homines muscis, quæ aura calente cū copia aduolant, asperiori disparent. Quorum Deus venter est & mammon, in nullo periculo fortes sunt, & nulli hominum, nullique terræ fideles. Alij hæc verba consultatoria tribuunt mercenarijs militibus hinc & inde in bellum à Pharaone congestis, & alicubi circa limites Aegypti expugnata dilapsis.
  - Refert tam iniuriosa quàm vera populariūm & militum verba aduersus Regem, qui antea Deus putabatur: quòd scilicet appellent ipsum Regem perturbationis, hoc est, timidum, infortunatum & damnosum. Sic enim melius leguntur verba: Clamauerunt, id est, pro certo clamaturi sunt, Pharao Rex Aegypti, perturbationis. Cui pro ratione subiungitur, Præterijt tempus, scilicet pristinum, gloriosum & fortunatum, vel à Prophetis denunciatum de nostro periculo, quod tamen eludere solebamus, vel quid simile. Orationem enim breuitas ipsa reddit hoc loco valdè obscuram, simul & variæ versiones. Alij legunt, Pharao rex Aegypti, designator temporum circummisit vastitatem, id est, Deus ipse arbiter temporum hanc cladem immisit. Aliæ coniecturæ minoris sunt.
  - Ostendit certitudinem plagæ Aegyptiacæ iuramento Dei potentissimi, per allusionem ad montes; quasi dicat, sicut montes firmissimis stant radicibus vt non moueantur (quia Thabor vndiq; montibus circumstratus sit. & Carmelus versus Ptolemaidem hinc mari inde rupibus cinctus) sic veniet, id est, sequetur vaticinium. Vel, veniet: id est, aderit hostis Babylonicus. Similis confirmatio habetur Esaiæ 54.
- Amplificat cladem Aegyptiorum. Vbi
  - Conuerso sermone alloquitur Aegyptum, vt sarcinis reculisque collectis festinet aliorsum migrare à facie vastitatis, &c.
  - Comparat Aegyptum speciosæ pinguique buculæ propter luxum, & delitias, inclamans ei mactationem ab Aquilonarijs seu Babylonijs.
  - Appellat ignominiosè vitulos milites mercenarios Aegypti, propter luxuriam & petulantiam: adde etiam iactantiam, indicans eos omnes dilapsos iri in bello vt vt fiduciam in eis Aegyptij habeant. Intelligere potes hæc de Aethiopibus maximè & Lybijs. Nam & Ezechiel multos ex Chus, id est, Aethiopia affuturos prædixerat, Ezech. 30. Sic fregit luxuria, parumque idoneos militiæ fecit Moabitas sub Aeglone trucidatos, in libris Iudicum. Sic otio & voluptate in Campania milites Hannibalis prostrati sunt. Additur causa à præscripto Dei: Dies, inquit, vltionis aduenit.
  - Ostendit similitudine serpentis, adeò attonitos fore Aegyptios, vt cladem intromissam cum susurro diuulgent: Vox, inquit, eius quasi serpentis incedet: addita causa, Quia copiæ hostium irruent.
  - Comparat Babyloniorum
    - Multitudinem, locustis innumerabilibus.
    - Insolentiam, robustis lignorum cæsoribus.
  - Subiungit epiphonema de subuersa penitùs Aegypto.
- Pergit cōmemorare iudiciū Dei aduersus Aegyptios. Vbi
  - Inculcat denuò ea, quæ sit dicturus, verba esse Dei.
  - Ponit summam orationis de vindicta Dei, quam Hebræa phrasi, vel potius similitudine, visitationis vocabulo exprimit.
  - Ostendit contra quos prophetet, vbi textum quidam legunt: Visitabo Amon de No: interpretantes per No, Alexandriam, cuius rex nomine Amon fuisset: Alij pro Amon multitudinem vel populum ponunt. Adduntur his reliqui Principes & dij fictitij eorum: denique fidentes illi, nempe Pharaoni, hoc est, Iudæi sub eius tutelam confugientes.
  - Addit modum visitationis: Tradam, inquit, eos in potestatem illorum, qui nihil magis quàm sanguinem Aegyptiorum sitiunt.
  - Promittit ex magna misericordia aliquam restitutionem, de qua pleniùs Ezech. 29. vt dum Aegyptios castigatos, restitutos audis post annos quadraginta, fideles minùs desperent, misericordia Dei omnia implente.
- Annunciat læta, & seq. Vide literam B.

Amicè compellat illos, vt Dei seruos, iubens animo esse explicato & hilari: quasi dicat, nolite desperare de misericordia Dei, qui Aegyptijs quoque meliora promisit: & tam ratum hoc meum vaticinium creditote de vobis olim, atque haud ita multò pòst Aegyptijs omnia præfata obuenire videbitis.

B. Annunciat læta Iudæis Vbi

Addit rationem consolationis à proposito Dei liberandi illos ex captiuitate Babylonica pòst 70. annos. Quod quidem sub Zorobabele & Iesu summo Pontifice impleta esse suprà diximus: pleniùs in Christo & Apostolis, plenissimè in restitutione omnium in die iudicij.

Subijcit doctrinam de castigatione: Ne timeas, inquit, serue mi Iacob, &c. Diuersa enim ratione castigat suos Deus, quàm infideles, quorum fœlicitas in terris spinis plena est, & temporalis castigatio præludium æternæ pœnæ ex iusto Dei iudicio: at piorum omnia in bonũ cooperantur, & castigatio timorem parit, & agnitionem sui ad humiliationem, obedientiam, pœnitentiam, patientiamque in fide. Porrò excoquere ad purum putum figuratè dicitur, de quo & aliàs.

Dispositio Capitis 47. vbi oratio vigesimasecunda incipit, ad gentes autem tertia.

VATICINATVR Palestinis interitum per Nebuchadnezarē Vbi

Ostendit titulus Deum authorem, & contra quos sit dicta oratio. Fuerunt autem Palestini qui & Philistim oriundi ex Philistijm filio Mizraim, filij Cham, filij Noe, Genes. 10. habuerunt quinque satrapias in vicinia maris, Azotum, Accaronem, Ascalonem, Geth, & Gazam: & semper fuerunt infensissimi Iudæis, antequàm à Dauide subiugarentur. Vide Ios. 13. & 2. Reg. 8.

Designatur tempus: antequam scilicet Pharao Gazam percuteret. Quod factum fuit quarto anno Ioachim (vtvt alij loquantur) quando Pharao ascendebat pugnaturus in Carchamis, de quo capite præcedenti. Tunc enim Aegyptius spoliauerat Gazam Iudæis infensam. Et quia ea plaga nihil fuerant Palestini emendati, Deus iusto iudicio excidit tandem illos per Nebuchadnezarem, sicut & alia regna vel superbientia in suo luxu & idololatria, vel cladem Iudæorum congratulantia. Eodem anno dictæ sunt reliquæ quoque orationes, quarum summarium habuimus cap. 25. cuius quidem istæ iam quasi pleniora sunt commentaria: nisi quòd oratio nona secundùm tempus aliquid variare videtur, de quo suo proprio loco. Demum Gaza non à diuitijs habet nomen linguæ Persica, sedà fortitudine lingua Hebræa, Latinis Ain literam in G mutantibus, euphoniæ causa, vt in Gomorra & similibus fit.

Inchoat Ieremias orationem, vbi ex ordine

Comparat per exclamationem exercitum Nebuchadnezaris inundanti aquæ latè omnia perumpenti: qualis figura & in Psalmis frequens est, & apud Poetas.

Interpretatur allegoriam vndarum de agmine hostium, quorum terrore tumultuq; bellico vicinæ quæque gentes clamabunt, & præ dolore instar luporum vlulabunt.

Amplificat metum & consternationem, attribuens illis manus remissas, quasique extinctum vitalem spiritum, vt naturalis quoque affectionis obliuiscantur. Quis enim dum viuat, præsertim in fuga, non sit de suis natis solicitus? At tale quid eueniet illis, qui de Deo ne tantillum quidem fuerũt soliciti.

Additur causa terroris vnà cum modo vastationis latè diuagantis. Vbi sciendum Caphtorim quidem vulgò vocari ab Hebræis Cappadoces: verùm hîc nomine Caphtorim intelligendos esse fratres & conterminos illos Philistijm, de quibus Moses Genes. 10.

Subfigurat calamitatem Palestinorum hypotiposi: Caluitium, inquit, super Gazam: id est, Gazei euellunt præ mœrore comam. Similis locus est Esaiæ 3. Item Ascalon redacta est ad silentium, quæ scilicet clamosa fuit, & tripudia exercuit. Cum his duobus locis comprehendit & reliquos.

Alloquitur Palestinos, significans eos valdè calamitosos fore, per gestus, sese secundùm vultus & vestes dilacerantium & eiulantium: subiungens pariter formam clamoris: Eheu, mucro Domini, &c.

Ostendit huiusmodi votis nihil profecturos esse, per subiectionem addens: Quomodo verò cessaret? frequens in hoc capite personarum mutatio auget affectum, sed & obscuritatem. Non quæ nos volumus, sed quæ vel meruimus vel suppliciter petimus, expectanda.

Dispositio

Dispositio Cap.48.vbi vigesimatertia incipit concio,contra gentes autem quarta.

VATICINATUR Moabitis interitum per Babylonios.Vbi.

Ponitur titulus de authore orationis,& contra quos dicta sit. Moabitæ sicut & Ammonitæ gentes robustissimæ, oriundi ex incestu Loth, Gen. 19. euaserant in aliarum omnium gentium contemptores, sanguinarij, libidinosi & ebriosi, qui incentore Balaamo, per filias in peccatum contra Dominum pellexerant Israelitas in egressu ex Aegypto: ideoque tunc iussu Domini cæsi sunt, sed & postea multiuariâ fatigati per Iudices & Reges Iudæorum, & per Sennacheribum,vt Esaias prædixerat,Esaiæ 15.16.Ideò cum nihil emendarentur,nouissimum hoc loco excidium illis denunciatur.

Incipit orationem,in qua ex ordine

- Nominat ac perstringit præclaras aliquot ciuitates, asserens eas captas & vastatas.
- Describit mira euidentia miserabilem regni potentissimi faciem,fingens luctuosos clamores, & nominans loca,in quibus clamor sit excitandus. Vbi particula,estote similes myricæ, significat idem quòd solitarij, in desertis latentes, vt natura est myricæ fruticis. Tam grauiter punire solet Dominus sæpè, sed frusta ad pœnitentiam inuitatos.
- Subnectit malorum perpessorum causas: videlicet
  - Fiduciam in munitiones.
  - Confidentiam in diuitias seu facultates, contra illud apostolicum,1.Tim.6.Ne fidant in diuitijs,&c.
  - Idololatriam. Nam Chamos fuit idolum Moabitarum, quem quidem Priapum intelligunt.
- Repetit vastationem regni per Babylonios.
- Commemorat sacramentum militare, quo Babylonij sese adstringent, ne vlli Moabitarum parcant, imò vt omnem crudelitatem cùm in ipsos tum in omnia ipsorum exerceant. Latè patet hæc sententia, Omnia officia à Deo esse iniuncta sub maledictione exequenda. Et, Magistratus à Deo constituti esse sæuire gladio contra sontes.
- Allusione facta ad vinum, ostendit Moabitas diu securos & quietos tandem transuasari seu abduci in captiuitatem. Non dubium Moabitas optimo peculiarique vino abundasse,quo tamen illi,abnegata vel solius naturæ lege,abutebantur.
- Taxat in Moabitis
  - Idololatriam. Nam cùm Deus ingentia bona illis cōtribuisset, deflexerunt ad cultum vani patroni,seu dei tutelaris,quemadmodum & peccantes aliquoties Iudæi, maximè in Bethel,&c.
  - Iactantiam à proprio robore & peritia rei militaris alios facilè contemnendo. Vbi tamen mera confusio illis denunciatur: apposita Dei minantis authoritate, Ne quid dubitent.
- Amplificat calamitatem Moabitarum.Vbi
  - Asserit per præoccupationem nō se euasuros malum (vel morte antecedente vel fuga) proprijs ceruicibus impendens.
  - Iubet omnes vicinos condolere afflictis, subiecto etiam epiphonemate: Quomodo confractus est baculus fortis,&c.
  - Conuertit sermonem ad præclaras aliquot vrbes Moabiticas, omnes quidem capiendas. Ex quibus videtur Dibon aquis circumfusam fuisse & munitam, quæ tamen hostem irrupturum prohibere non possint. Sic egregia est prosopopœia Aroeritarum sese in compitis anxiè compellantium, vt fit tempore belli & communis incendij. Tenendum quidem Prophetas & Apostolos non affectasse artem dicendi: vide tamen quanta eloquentia peroret Spiritus Sanctus.
  - Perstringit consequenter multas vrbes in campestribus Moab: de quibus aliàs alibi: subijciens demum epiphonema: Resectum est cornu Moab,&c.id est,robur & potentia,quę Deo irato veluti euanescunt.
- Pergit Propheta,& seq. Vide literam A.

Ebrietas modis omnibus maledicta: cuius proprium non ebriari solùm, sed & alios violenter vsqueadeò inebriare vt vomitus & volutatio in eo cum nefandis alijs spurcicijs sequatur: addita verborum vel contumelia in ipsa inuitatione, vel irrisione etiam, vbi edormita fuerit omnis ebrietas. Ah, quàm peculiare & pestilentissimum hoc malum multis in locis hodie!

Irrisio veræ religionis & piorum: Annon, inquit, ludibrio tibi fuit Israel? scilicet cùm decem Tribus per Salmanazarem abducerentur. Sic hodie pij ab infidelibus vnà cum suo Euangelio & Christo subsannantur. Porrò hic

- Addit Ieremias vehementiam illusionis interrogatione expressam: Num inter fures deprehensus? Quasi verò religio & populus Dei conferri potuerint, aut debuerint manifestis sceleribus.
- Addit pœnam huic sceleri Moabitarum: nempe exilium & captiuitatem.
- Conuerso sermone alloquitur Moabitas: Relinquite, inquit, ciuitates, &c. adhibito columbæ exemplo, quæ, vt tuta esse possit, in præruptæ petræ foramine nidulatur. Hoc ipsum expectent verbi Dei & verorum eius seruorum subsannatores.

Fastus & insolentia, quæ tam vulgaris erat, vt non frustra dicatur: Audiuimus superbiam Moab. Gloriabantur vbertate soli, viribus corporis, munitionibus, de quibus ait Dominus, quòd nouerit ipsorum insolentiam, nec lacerti verbis respondeant, hoc est (quemadmodum exponit) facta verbis non respondeant. Superbia diabolicum planè est vitium, & magnos mirè deiecit, quod videre est in Adamo, Saule, Nebuchadnezare, &c. Igitur in consequentibus Ieremias primò, exponit copiosè calamitates, quibus superbos Deus castiget: adeò vt Propheta alioqui cùm Deo seuerus, dicat: Propterea super Moab eiulabo. Secundò, coniungit his aliud excidi symbolum, quòd nimirum cantica illa messorum & vindemiatorum, quibus exultarunt vulgò, penitus tollentur, barbaris omnia occupantibus, & pro tali carmine, barbarico militariq; celeusmate omnia adimplentibus & corrumpentibus. Hic Honoraim ob soli fertilitatem vocat Vitulam trimam. Et Nimrim (quæ copia aquarum abundabat) siti laboraturam. Lege hæc ferè eadem apud Esaiam loco nuper prædicto.

A. Pergit Propheta copiosiùs exponere in teritum Moabitarum, recitatis iræ Dei causis ex ordine: quarum

Idololatria, per quam Dei veri immemores & operum eius in Iudæis, ficticia & facticia numina colebant. Vbi vicissim

Minatur interitum adeoq; luctû funebrem, qui per tibiam cantumq; tristè exprimitur. Talibus enim olim in funeratione vtebantur, vt & Matthæi 9. dicitur. Et hic per auxesim

- Additur causa tanti eiulatus: Quia, inquit, diuitiæ quas fecit, id est, congregauit vel abdidit olim, perierunt. i. dispersæ vel abductæ sunt, &c.
- Expolitur allusio ad funerantes, recitatis alijs etiam anxiè plorantium gestibus. Orientales enim crine alioqui in luxu delibuti euellebant comam in luctu, barbam abradebant, manus & faciem vlcerabant, lugubriq; veste seu sacco vtebantur.
- Causa iterum subnectitur, quòd Dominus instar fictilis vasis contemptibilis regnum Moabiticum confregerit. Et repetit pro certitudine versum suum quasi inter calarem, Dicit Dominus.
- Exprimit Propheta epiphonemate interrogationibus formato, confusionem Moabitarum: Quàm pauet? quàm vlulat? &c. addita causa exegetica, Ludibrio erit, &c.
- Illustrat cladem cõparatione aquilæ & colûbæ, dum fingit Nebuchadnezarem inuolare in Moab maximo cum impetu, &c. subiungens occupata esse loca munitiora & milites degenerasse in fœminas puerperas. Deinde summatim: Deleta est, inquit, Moab. addita ratione: Quia molitus est grãdia contra Dominũ. Hæc sors fortiũ aduersus verum Dei cultum.
- Præripit illis omnem elabẽdi fiduciã, murmurans tria, in quæ gradatim incidant & capiantur: metaphora à venatoribus sumpta, pauorẽ, foueã & laqueum: addita causa, Quia, inquit, inducam annum visitationis, &c.
- Fingit eos qui è pugna elapsi sunt, Hesebonem quidem (regiam vrbem) properare, vt ibi lateant, & hostilem insectationem eludant, verùm frustrà. Vbi refert ad verbum canticum Mosis Num. 21. quasi dicat, Sicut olim ab Amorræis pulsi fuerant Moabitæ propter idololatriam ex suis sedibus, ita nunc etiam vincentur à Babylonijs, quoniam ignis vindictæ Dei irrumpet ex illis locis, in quibus ipsi confidunt, &c. Vbi angulum Moab vocat, robustos, vel omnes extremitates, partem pro toto: & verticem filiorum tumultuosorum, principes populi, solo rumore belli tumultuantis ac horrentis, vt iam prædictum est.
- Subtexit his exclamationem, perstringens Moabitarum idololatriam, dum vocat eos filios seu populum, non Dei, sed Chamos. Non enim nisi patrocinio peregrini Dei pereant.

Lætiora demũ annunciat: quòd nempe posterioribus seculis restituendi sint. At id quoad literam, nunquam adimpletum est: idcircò præsagium fuit vocationis Gentium ad communionem salutis in Christo: id quod bene ad hodiernum diem completum est. Alij misericordiam illam Dei erga Moabitas accidentariam esse dicunt, vt Iudæi de peculiari Dei gratia minus dubitarent.

Concludit ipsemet orationem: quòd hactenus pertingat iudicium Dei de Moabitis, ostendere volens non solùm quòd indubitata sit ista prophetia, sed etiam quòd authore Deo eueniant omnia, quemadmodum & prædicta sunt. Deus enim totius terræ nec mentiri potest, nec quenquam formidare.

Dispositio Cap 49. vbi continetur oratio 24.25.26.27. & 28. contra gentes verò 5.6.7.8. & 9.

Partes Cap. 49.

- In vigesima quarta oratione, contra gentes autẽ quinta, denũciat Ammonitis interitũ, propter peccata eorum: postremò promittit restitutionem. Vbi
  - Ponitur titulus de authore huius vaticinij, & ad quos instituatur. Ammon fuit frater Moabi ex incestu Loth, de quo & capite præcedenti. Multa leguntur de superbia, opulentia & inimicitia Ammonitarum aduersus Israelitas. Atque vt vt per Saulem & Dauidem subiugati fuerint, tamẽ rebus Iudæorum inclinantibus, non solùm derisi sunt per Ammonitas, sed & summa contumelia occupârunt terras illas, quas olim sub Iephte repetiuerant, non autem recuperauerãt. His idcircò denunciat Propheta interitum per Nebuchadnezarem.
  - Initium sumit oratio, in qua Ieremias
    - Obijcit Ammonitis iniuriam, qua Israelitas affecerant. Nam Dominus dederat aliquot vrbes Tribui Gad in exitu ex Aegypto, quas isti per vim occupauerant. Ergo non sine stomacho interrogatione ponderat orationem: quasi dicat, Cùm & Israelitæ habeãt hæredes, quare occupatis terram illorum? Appellat autem Ammonitas non sine sarcasmo Malcham, nomine idoli sui inutilis. Verus Deus est terminorum distributor: quare ingens est scelus exturbare nationes suo loco, vel opprimere auaritiæ ergo vt saltem latè domineris, sic præripere alijs suam hæreditatem, &c. in idem recidit crimen. Vide 2. Paral. 20. verba Iosaphati: Ammonitæ, inquit, Moabitæ & mons Seir veniunt vt exturbent nos de possessione tua, quam dedisti nobis: An verò tu non iudicares eos? &c. Sic Apostolus Act. 17. asserit Deum posuisse fines habitationibus hominum.
    - Minatur Ammonitis vastitatem & captiuitatem per Babylonios. Vbi
      - Ostendit imminere tempus excidij metropolis Ammonitarũ Rabbat iusto Dei iudicio.
      - Coaceruat vniuersas opes & oppida ad absumendum igne: filias appellans Oppida subiecta metropoli.
      - Adstruit Israelitas denuò in auitis suis sedibus habitaturos, dominaturosque Ammonitis: quod quidem impletum aliquo modo est in Machabæis, pleniùs tamen Apostolis prædicantibus.
    - Obijcit & exprobrat aliud etiam crimen Ammonitis: videlicet idololatriam. Vbi
      - Describit mox impulsiua oratione pœnam irrogandam: Vlula, inquit, Hesebon, &c.
      - Addit rationem tanti doloris: Quia exuberante calamitate, Templa etiam cum Principibus & Sacerdotibus deuastentur.
    - Taxat tertium etiam crimen: nempe vanam in loca fertilia munitaq; & in opes fiduciam. Vbi
      - Parabola niuis ostendit defluere valles Ammonitarũ, id est, euanidas fore vt nihil prosint. Et alludit ad situm vallium, quæ sua natura quasi fluidæ & diffusæ esse videntur, respectu montium circumiectorum.
      - Appellat homines regni erroneos, filiam vagam: quam alij vertunt, O filia delicata: vel, O filia rebellis.
      - Ostendit erepturum illis Dominum omnem fortitudinem: & animi insolentis vigorem: quasi dicat, Si tu existimes quòd, nemo audeat tuos fines inuadere, ego præbebo me tibi hostem, vt vel vmbrã propriam metuas, nedum circumpositos hostes: atq; attoniti duces, nec in fugam effusos milites (quod alioqui ex officio & vsu solent) consolari vel colligere pergant.
    - Promittit tandem afflictis & oppressis Gentibus restitutionem. Sed enim cum nihil legamus de corporali Ammonitarum restitutione, restringenda est ista promissio ad tempus Christi, publicato Euangelio, in quo promittitur liberatio à captiuitate peccatorum. Satanæ & inferni, &c.
- In vigesimaquinta, & seq. Vide literam A.

A. In vigesima quinta oratione, contra gentes autē sexta, vaticinatur Ieremias Idumæis exitium præsentissimum, propter peccata. Vbi

- Præfigitur titulus de authore orationis Deo, & contra quos sit instituta. Esau, aliâs Edom, vterinus Iacobi, erat genearcha Edomitarum seu Idumęorum: nominis ratio habetur. Gen. 25. Et occupârant in Arabia ad mare rubrum montano Seor, habentes Duces & Reges etiam ante exitum filiorum Israel ex Aegypto. Infensissimi erant, etsi cognati Iudæis, vt extat Psal. 137. Porrò domiti à Dauide, nouas res cum vicinis Gentibus tentârunt aduersus Iosaphat quālibet virtute Dei, mox per eundem Iosaphatū repressi. Postmodum sub Ioram (impio Rege) iterum defecerunt, ad quamlibet occasionem tandem acerrimè Iudæos persequendo. Ideò Ieremias contra eos nunc intonat, imitatus, vt apparet, Abdiam. Lege & Esa. 21. & Amos. 1 Sic cernimus Ecclesiæ Dei persecutores nunquam impunitos abire demum.
- Exordium sumit oratio, in qua per ordinem
  - Refert ironicôs & taxat superbam Idumæorum iactantiam & confidentiam in
    - Sua sapientia: quæ quidem, etsi omnia commodissimè gubernat, tamē sine timore Dei & eius benedictione frenum excutit, & turpissimè occæcatur. Vide quæ hac de re disserātur Iob. 12. & 1. Cor. 3. Nemo ergo seipsum fallat, nec sibi sapiēs videatur, nisi prius sit stultus, & verbi Dei captiuus ad obediēdum Deo. 2. Cor. 10. Fuerūt autē Dedan & Theman excellentes Idumææ vrbes cū Bozra metropoli.
    - Suis opibus, quæ pro neruis belli haberi solēt. Et ostēdit nihil illas profuturas, quin diripiendas ab hostibus, similitudine vindemiatorum & furum, qui residuum aliquod relinquere solent, at nihil tale Babylonios facturos, qui abdita quæq; rimaturi sint per vindictā Dei, cuius emphasim habet: Ego denudabo abdita Esau, &c.
  - Exaggerat excidium Edomitarum, dum
    - Significat eos, quāuis sibi valde placētes & coniunctissimos vsq; adeò absumi, vt non habeant quibus curam pupillorum & viduarū suarū demandent: id quod ipsa morte morientibus acerbiùs esse solet. Alij mimesim illam Deo adscribunt, quasi Deus dicat sese susceptu-rum curam viduarum, &c. ipsis paratis ad lanienam.
    - Comminatur certissimum interitum per comparationem cum populo Dei, qui tamen & ipsi propter peccatum vnà cum sua vrbe miserabiliter sit deletus. Nota est significatio calicis, de quo Ier. 25, abundè. Huiusmodi cōparatione vsi sunt sæpè & Apostoli & Christus Luc. 23. Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet? &c.
    - Infert Dei ipsius iuramentum de vastanda Idumæa.
    - Refert quandam suam visionem, qua audiuerit rumorem dispergi de conclamatione & apparatu Babyloniorum contra Idumæos. Et simul effingit vocem legatorum: Congregamini, &c. Deus enim est primaria bellorum causa, qui semper superbiā detestatur, sed maximè pauperum & alioqui exilium. Ecclesiastici 25. quales & Idumæi erant respectu Assyriorum & Aegyptiorum.
  - Iterum perstringit vanam illorum fiduciam, quam habebant in
    - Suis viribus animiq; fortitudine.
    - Locis munitis, vnde tamen facilè detrahentur & plectentur interserta hyperbolica locutione: Etiamsi instar aquilæ in sublimi posueris nidum tuum. Cui Abdias & aliā addit: Si inter astra tete collocaueris, &c.
  - Demonstrat pluribus argumētis & modis certissimā fore Idumæorum perditionem. Vbi
    - Cathegoricè denunciat illos perdendos fore.
    - Addit modum, quo exteri quique cum stupore exibilaturi sint tam inopinatam vastitatem.
    - In exemplum trahit famosissimum Sodomorum interitum, de quo Gen. 19. Exech. 16.
    - Alludit ad parabolam Leonis in gregem irruentis (prout & Idumæi erant armentarij) significans per subiectām expositionem tam facilè fore Babylonijs irruere contra Idumæos, quàm facilè Leones ex tumoribus seu collibus Iordanis gregem inuadunt. &c.
    - Infert Deū potētissimum suas vires iactare in puniendis Idumæis, cui nemo resistere possit. Copiosiora de immensa Dei potentia lege Esa. 40. &c. Vt omnis anima timeat Dominum gloriæ.
    - Denunciat maximè Themanitis iactabundis ignominiosissimam stragem, etiam per vilissimos Babyloniorum. Sicuti plerumq; videmus gigantes sibi sua opinione per calones etiam spoliari.
    - Amplificat horribilem ipsorum interitū per
      - Hyperboles quasdam vulgatas
        - Terrā cōtremere à casu eorū.
        - Sonum fragoris audiri ad mare rubrum.
      - Parabolam
        - Aquilæ in columbas inuolantis, cuius & supra capite præcedēte contra Moabitas meminit.
        - Mulieris parturiētis cū angustia, &c.
- In vigesimasexta oratione, & seq. Vide literam B.

B. In vige-

In vigesimasexta oratione, cōtra gentes autē septima, prædicit Damasco & toti Syriæ miserrimum interitū. Vbi

- Ponit titulum orationis, exprimens nomen Damasci. Erat autem Damascus metropolis totius Syriæ, luxu & delitijs & viris bellicis & mercatoribus instar Ephesi & Corinthi famosa, quæ & purpuram dedit, Damascenam dictam. Cùm itaq; Comus, Venus & Bacchus præcipuè ibi culti fuissent, nec vrbs insana emendaretur, annunciat illi Dominus per Prophetam horrendum exitium per Babylonios.
- Exorditur orationem, in qua cōsequenter
  - Fingit attonitas esse præclaras vrbes & viciniores Babylonijs, de rumore audito bellici tumultus, &c. allusione facta ad periclitantes in mari. Hemat ea est vrbs, quæ aliquando etiam Antiochia est dicta in Syria.
  - Ostendit hypotyposi milites Damascenos esse attonitos in bello, & in fugā versos, &c. vbi exaggerat orationem
    - Metaphora parturientium mulierum, quibus similes euaserint milites, totis animis & viribus dilapsi.
    - Interrogationibus sarcasticis, appellando Damascum vrbem laudis & gaudij, scilicet pro veteri suo statu & iactantia. Vide his consimilia Esa 17. & Amos 1. vbi æquè Damascus vallis vanitatum, seu nequitiarum, & Eden, id est, hortus delitiarum appellatur. Hîc melius legitur contextus interrogatiuè: Quomodo? Annon derelicta est vrbs laudis? &c.
  - Minatur post terrorem fugamque militum de foris bellantium, vrbis Damascenæ captiuitatem, & omnium in plateis eius propugnantium internecionem.
  - Prædicit intimam, horrendam, ineuitabilemq; cladem etiam Regi in suis palatijs, assimilata seuera Dei vindicta igni succenso. Apparet autem Benhadad commune fuisse nomen Regum Syriæ.

B. In vigesimaseptima oratione, quæ ad exteros est octaua, vaticinatur contra Arabes, prædicens eis interitum. Vbi

- Ponitur titulus, ostendens ad vel contra quos hæc oratio sit instituta. Cedar fuit filius Ismaelis, Gen. 25. significans obscuritatem vel tristitiam, à quo regio occupata, dicta est Cedar, aliàs Saracenorum, Ismaelitarum, Arabumq; regio. Erant porrò ij Scenitæ barbari & Pastores syluis paludibusq; abundantes in calidiori regione, & tabernacula pro ratione pascuorum mutantes: interim duri, pagani, latrocinium prædamq; contra vicinos exercentes, & vnicam pro metropoli ciuitatem Hazor agnoscentes.
- Instituitur oratio, in qua
  - Infertur Deus loquens & cohortans Babylonios aduersus Cedarenos vastandos, & bonis omnibus priuandos, quibus Nomades abundare solent.
  - Fingit voces acclamantes, vt fugiant quisque quò possunt, & sese abscondant.
  - Reddit rationem fugæ seu absconsionis in profunda paludium, &c. Quia consiliuminijt Nebuchadnezar, &c.
  - Exprimit per mimesim voces Babyloniorum extimulantium sese contra Nomades, qui nullas habeant munitiones, sed solitarij viuant, &c.
  - Prædicit apertam validamque eorum vastationem, & disiectionem per captiuitatem, vt qui exteros quondam infestārunt, ab exteris & remotissimis iterum diuexentur.
  - Concludit orationem comminatione extremæ vastitatis, quam exaggerat vocabulo draconum, qui amplius ibi sint versaturi, exterminatis omnibus hominibus.

In oratione vigesimaoctaua, cōtra gentes autē nona, prædicit Elamitis seu Persis excidiū, promittens sub finem lætiora. Vbi

- Ponitur inscriptio, continens
  - Authorem orationis, Deum loquentem per Ieremiam.
  - Tempus quo reuelata sit oratio. Vbi multi existimant nomen Zedechiæ perperam pro Ioachim positum esse scriptoris vitio, quum cæteræ omnes orationes anno quarto Ioachim sint recitatæ, vt Ierem. 25. & 47. dictum est. Alij reuelationem istam separatam dicunt à reliquis arbitrio Dei, qui quouis tempore vocat ad pœnitentiam humanum genus.
  - Ad quos directa sit hæc oratio. Intelliguntur ij Persæ in genere dicti Elamitæ ab Elam filio Sem (non enim desunt qui Elam pro parte tantùm regionis Persiæ capiant) quorum metropolis fuit Susa. Præcipua eorum fiducia fuit in arte sagittandi, qua & venales sese præbebant, sanguinarij, & prædam iniustam cum odio vicinorum exercentes: quemadmodum etiam hodie vnaquæq; gens peculiare habet exercitium.
- Exordium sumit, & seq. Vide literam C.

A. In vigesima quinta oratione, contra gentes autē sexta, vaticinatur Ieremias Idumæis exitium præsentissimum, propter peccata. Vbi

- Præfigitur titulus de authore orationis Deo, & contra quos sit instituta. Esau, aliâs Edom, vterinus Iacobi, erat genearcha Edomitarum seu Idumæorum: nominis ratio habetur. Gen. 25. Et occupârant in Arabia ad mare rubrum montano Seor, habentes Duces & Reges etiam ante exitum filiorum Israel ex Aegypto. Infensissimi erant, etsi cognati Iudæis, vt extat Psal. 137. Porrò domiti à Dauide, nouas res cum vicinis Gentibus tentârunt aduersus Iosaphat quālibet virtute Dei, mox per eundem Iosaphatū repressi. Postmodūm sub Ioram (impio Rege) iterum defecerunt, ad quamlibet occasionem tandem acerrimè Iudæos persequendo. Ideò Ieremias contra eos nunc intonat, imitatus, vt apparet, Abdiam. Lege & Esa. 21. & Amos. 1 Sic cernimus Ecclesiæ Dei persecutores nunquam impunitos abire demum.
- Exordium sumit oratio, in qua per ordinem
  - Refert ironicôs & taxat superbam Idumæorum iactantiam & confidentiam in
    - Sua sapientia: quæ quidem etsi omnia commodissimè gubernat, tamē sine timore Dei & eius benedictione frenum excutit, & turpissimè occæcatur. Vide quæ hac de re disserātur Iob. 12. & 1. Cor: 3. Nemo ergo seipsum fallat, nec sibi sapiēs videatur, nisi prius sit stultus, & verbi Dei captiuus ad obediēdum Deo. 2. Cor. 10. Fuerūt autē Dedan & Theman excellentes Idumææ vrbes cū Bozra metropoli.
    - Suis opibus, quæ pro neruis belli haberi solēt. Et ostēdit nihil illas profuturas, quin diripiendas ab hostibus, similitudine vindemiatorum & furum, qui residuum aliquod relinquere solent, at nihil tale Babylonios facturos, qui abdita quæq; rimaturi sint per vindictā Dei, cuius emphasim habet: Ego denudabo abdita Esau, &c.
  - Exaggerat excidium Edomitarum, dum
    - Significat eos, quāuis sibi valde placētes & coniunctissimos vsq; adeò absumi, vt non habeant quibus curam pupillorum & viduarū suarū demandent, id quod ipsa morte morientibus acerbiùs esse solet. Alij mimesin illam Deo adscribunt, quasi Deus dicat sese suscepturum curam viduarum, &c. ipsis paratis ad lanienam.
    - Comminatur certissimum interitum per comparationem cum populo Dei, qui tamen & ipsi propter peccatum vnà cum sua vrbe miserabiliter sit deletus. Nota est significatio calicis, de quo Ier. 25, abundè. Huiusmodi cōparatione vsi sunt sæpè & Apostoli & Christus Luc. 23. Si in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet? &c.
    - Infert Dei ipsius iuramentum de vastanda Idumæa.
    - Refert quandam suam visionem, qua audiuerit rumorem dispergi de conclamatione & apparatu Babyloniorum contra Idumæos. Et simul effingit vocem legatorum: Congregamini, &c. Deus enim est primaria bellorum causa, qui semper superbiā detestatur, sed maximè pauperum & alioqui exilium. Ecclesiastici 25. quales & Idumæi erant respectu Assyriorum & Aegyptiorum.
  - Iterum perstringit vanam illorum fiduciam, quam habebant in
    - Suis viribus animiq; fortitudine.
    - Locis munitis, vnde tamen facilè detrahentur & plectentur interserta hyperbolica locutione: Etiamsi instar aquilæ in sublimi posueris nidum tuum. Cui Abdias & aliā addit: Si inter astra tete collocaueris, &c.
  - Demonstrat pluribus argumētis & modis certissimā fore Idumæorum perditionem. Vbi
    - Cathegoricè denunciat illos perdendos fore.
    - Addit modum, quo exteri quique cum stupore exibilaturi sint tam inopinatam vastitatem.
    - In exemplum trahit famosissimum Sodomorum interitum, de quo Gen. 19. Exech. 16.
    - Alludit ad parabolam Leonis in gregem irruentis (prout & Idumæi erant armentarij) significans per subiectām expositionem tam facilè fore Babylonijs irruere contra Idumæos, quàm facilè Leones ex tumoribus seu collibus Iordanis gregem inuadunt. &c.
    - Infert Deū potētissimum suas vires iactare in puniendis Idumæis, cui nemo resistere possit. Copiosiora de immensa Dei potentia lege Esa. 40. &c. Vt omnis anima timeat Dominum gloriæ.
    - Denunciat maximè Themanitis iactabundis ignominiosissimam stragem, etiam per vilissimos Babyloniorum. Sicuti plerumq; videmus gigantes sibi sua opinione per calones etiam spoliari.
    - Amplificat horribilem ipsorum interitū per
      - Hyperboles quasdam vulgaras
        - Terrā cōtremere à casu eorū.
        - Sonum fragoris audiri ad mare rubrum.
      - Parabolam
        - Aquilæ in columbas inuolantis, cuius & capite præcedēte contra Moabitas meminit.
        - Mulieris parturiētis cū angustia, &c.
- In vigesimasexta oratione, & seq. Vide literam B.

B. In vige-

- In vigesimasexta oratione, cõtra gentes autẽ septima, prædicit Damasco & toti Syriæ miserrimum interitũ. Vbi
  - Ponit titulum orationis, exprimens nomen Damasci. Erat autem Damascus metropolis totius Syriæ, luxu & delitijs & viris bellicis & mercatoribus instar Ephesi & Corinthi famosa, quæ & purpuram dedit, Damascenam dictam. Cùm itaq; Comus, Venus & Bacchus præcipuè ibi culti fuissent, nec vrbs insana emendaretur, annunciat illi Dominus per Prophetam horrendum exitium per Babylonios.
  - Exorditur orationem, in qua cõsequenter
    - Fingit attonitas esse præclaras vrbes & viciniores Babylonijs, de rumore audito bellici tumultus, &c. allusione facta ad periclitantes in mari. Hemat ea est vrbs, quæ aliquando etiam Antiochia est dicta in Syria.
    - Ostendit hypotyposi milites Damascenos esse attonitos in bello, & in fugã versos, &c. vbi exaggerat orationem
      - Metaphora parturientium mulierum, quibus similes euaserint milites, totis animis & viribus dilapsi.
      - Interrogationibus sarcasticis, appellando Damascum vrbem laudis & gaudij, scilicet pro veteri suo statu & iactantia. Vide his consimilia Esa 17. & Amos 1. vbi æquè Damascus vallis vanitatum, seu nequitiarum, & Eden, id est, hortus delitiarum appellatur. Hic melius legitur contextus interrogatiuè: Quomodo? Annon derelicta est vrbs laudis? &c.
    - Minatur post terrorem fugamque militum de foris bellantium, vrbis Damascenæ captiuitatem, & omnium in plateis eius propugnantium internecionem.
    - Prædicit intimam, horrendam, ineuitabilemq; cladem etiam Regi in suis palatijs, assimilata seuera Dei vindicta igni succenso. Apparet autem Benhadad commune fuisse nomen Regum Syriæ.

B. (continued)

- In vigesimaseptima oratione, quæ ad exteros est octaua, vaticinatur contra Arabes, prædicens eis interitum. Vbi
  - Ponitur titulus, ostendens ad vel contra quos hæc oratio sit instituta. Cedar fuit filius Ismaelis, Gen. 25. significans obscuritatem vel tristitiam, à quo regio occupata, dicta est Cedar, aliàs Saracenorum, Ismaelitarum, Arabumq; regio. Erant porrò ij Scenitæ barbari & Pastores syluis paludibusq; abundantes in calidiori regione, & tabernacula pro ratione pascuorum mutantes: interim duri, pagani, latrocinium prædamq; contra vicinos exercentes, & vnicam pro metropoli ciuitatem Hazor agnoscentes.
  - Instituitur oratio, in qua
    - Insertur Deus loquens & cohortans Babylonios aduersus Cedarenos vastandos, & bonis omnibus priuandos, quibus Nomades abundare solent.
    - Fingit voces acclamantes, vt fugiant quisque quò possunt, & sese abscondant.
    - Reddit rationem fugæ seu absconsionis in profunda paludium, &c. Quia consilium inijt Nebuchadnezar, &c.
    - Exprimit per mimesim voces Babyloniorum extimulantium sese contra Nomades, qui nullas habeant munitiones, sed solitarij viuant, &c.
    - Prædicit apertam validamque eorum vastationem, & disiectionem per captiuitatem, vt qui exteros quondam infestârunt, ab exteris & remotissimis iterum diuexentur.
    - Concludit orationem comminatione extremæ vastitatis, quam exaggerat vocabulo draconum, qui amplius ibi sint versaturi, exterminatis omnibus hominibus.
- In oratione vigesimaoctaua, cõtra gentes autẽ nona, prædicit Elamitis seu Persis excidiũ, promittens sub finem lætiora. Vbi
  - Ponitur inscriptio, continens
    - Authorem orationis, Deum loquentem per Ieremiam.
    - Tempus quo reuelata sit oratio. Vbi multi existimant nomen Zedechiæ perperam pro Ioachim positum esse scriptoris vitio, quum cæteræ omnes orationes anno quarto Ioachim sint recitatæ, vt Ierem. 25. & 47. dictum est. Alij reuelationem istam separatam dicunt à reliquis arbitrio Dei, qui quouis tempore vocat ad pœnitentiam humanum genus.
    - Ad quos directa sit hæc oratio. Intelliguntur ij Persæ in genere dicti Elamitæ ab Elam filio Sem (non enim desunt qui Elam pro parte tantùm regionis Persiæ capiant) quorum metropolis fuit Susa. Præcipua eorum fiducia fuit in arte sagittandi, qua & venales sese præbebant, sanguinarij, & prædam iniustam cum odio vicinorum exercentes: quemadmodum etiam hodie vnaquæq; gens peculiare habet exercitium.
  - Exordium sumit, & seq. Vide literam C.

Minatur fractum iri arcum principium fortitudinis eorum, id est, artem sagittandi in qua præcipuum robur præcipuamque habebant fiduciam, diuinitùs eneruari in tempore vindictæ. Sic hodie multi in sclopetis & bombardis frustra inuito Deo confidunt, præuaricantes.

Ostendit Persas vastandos fore & dispergendos per Babylonios, quatuor ventis vndique flantibus comparatos.

Præoccupatione confundit vanam illorum fiduciam in suo robore, docens, Deum incussurum illis pauorem, &c. Nónne verò Dei est maria & aerem pro suo arbitrio mirificè turbare?

C.
Exordium sumit oratio, in qua cósequenter

Indicat Deum tam instè quàm seuerè illos iudicaturum, quasi in solio sedentem. Id enim est, Ponam solium meum in Elam, &c. Videtur autem perstringere iniquum Persarum ius in vindicandis pupillis & innocentibus: id quod maximũ parit diuinæ vindictæ argumentum. Et ista, quamuis sacra historia non tradat, impleta tamen sunt procul dubiò per Nebuchadnezarem: postea verò Cyri temporibus, vt sequens tangit particula emerserant. Verùm maximè captiuitate Satanæ & peccati exempti fuêre per Christum & Apostolos.

Promittit, post acerba, illis meliora, redemptionemque ex captiuitate. Id quod ad vocationem Gentium pertinet. Certé in catalogo auditorum Euangelij primitùs ponuntur Parthi, Medi, Elamitæ, &c, Act. 2. Et in Nicæna synodo, teste Eusebio in vita Constantini, fuit Episcopus ex Perside. Et Theodoretus, vir sanctissimus, cuiusque plurima extant scripta, inseruiuit Ecclesijs Elamitarum.

Dispositio Cap. 50. vbi oratio vigesimanona, omnium longissima & vltima incipit: contra gentes autem decima.

PRAEDICIT Ieremias tandé Babylonijs etiam horrẽdum excidiũ propter peccatum. Vbi

Ponit titulum suo more de authore huius sermonis, & contra quos institutus sit. Fuit verò Babylon (aliàs Babel à confusione dicta) metropolis Chaldeæ regionis, cuius incolæ Hebræis Chasdim, id est, vastatores appellati sunt, propagati ab Arphaxad filio Sem. Primum habuit conditorem Nimrodũ, sicuti Niniue metropolis Assyriæ ab Assur filio Sem dictæ, extructorem habuit Ninum nepotem Nimrodi, Genes. 10. 11. Distat Babylon à Ierosolymis versus ortum milliaribus Germanicis 170. à Niniue verò. 28. Et alternatim monarchia prima Assyriorum ac Chaldæorum dicta, à Nimrod, vsque ad Cyrum stetit in hoc mundo vltra annos 1700. Eam postea Cyrus deriuauit ad suos Persas. Stupenda planè sunt, quæ de magnitudine & opulentia Babylonis authores etiam prophani tradidêre, maximè Plinius & Herodotus: propter quam reliqua quoque pars Mesopotamiæ & Assyriæ Babylonia est appellata. Et refert Aristoteles in Politicis, quòd vbi Balthasare interfecto Babylon sub Cyro à Persis occupata esset, pars quædam vrbis id tertia die senserit. Suprà Ierem. 25. per Sesak, qui vltimò poculum iræ Domini bibiturus erat, non malè nos Balthasarem intelleximus: ac hoc loco iam quomodo biberit Propheta, commentari pergit. Similia prædixerant de excidio Babylonis Esaias & Baruch, vt omnes videant Deum esse iustum, & iudicia eius æqua. Certè enim Babylon fuit in Deum ingrata, mirè superba, blasphema, hostis sanctorum, & idololatriæ plena: typum gerens primùm mundi ipsius cum omni sua gloria perituri: deinde Romæ sedis Antichristi & omnium impiorum, securitate, diuitijs, fortitudine, impietate, &c. Pollentium, grassantium & gloriantium. Ieronymus super Esa. 13. & 14. Scribunt, inquit, multi authores in Babylone templa marmorea, aureas statuas, plateas lapidibus auroque fulgentes, & multa alia quæ penè videantur incredibilia. At si liceret introire barbaras nationes & videre tantæ vrbis vestigia, videremus possessionem Hericij, & paludes aquarum. Exceptis enim muris coctilibus, qui propter bestias concludendas post multos annos instanrati sunt, omne in medio spacium solitudo est. Item: Didicimus à quodam fratre Elamita, qui de illis finibus egressus, nunc Ierosolymis agit. venationes regias esse in Babylone, & omnis generis bestias murorum eius tantum ambitu coerceri. Hæc Ieronymus. Quid igitur rebus nostris fidemus? Cur non magis sedes æternas ambimus, perpetuò mansuras vnà cum suo Rege & incolis. Plura quædam de situ Babylonis inferius quoque in hoc capite circa finem attingemus.

Exorditur orationem, & seq. Vide literam A.

A. Exorditur

Absorbet penitùs paucis verbis tam vastissimam vrbem, iubens latè prædicari captam esse Babylonem, & munitiones omnes templaq; cum suis dijs corruisse. Recenset hic quasi pro causa excidij, veteres Babyloniorum Reges, pro dijs habitos, Belum, Merodachum, & similes, appellans eos Gillulim: id est, fœditates & stercora.

Ostendit per quos sit delenda Babylon: nempe per Persas & Medos sub Cyro & Dario militantes, quos Dominus adduxit &c.

Inserit aliqua de Iudæis: Vbi

- Prædicit subuersa etiam Babylone Iudæos captiuos inde liberari. Vbi eleganti hypotyposi & prosopopœia fingit fletũ populo, sed gaudij, non mœroris. Fingit itinerantes versis suis vultibus ad Sionem exhortari sese ad adhærendum Deo misericordi, perpetuo fœdere. Quod quidem tẽpore Zorobabelis & Nehemiæ vtcunq; plenissimè sub Christo impletum est in cuius nouo Testamento Iudæi & gentes sese mutuò ad impietatem cohortãtur. Vide Zachar. 8. in fine.
- Exponit quales fuerint Iudæi ante captiuitatem, vt causam reddat cur à Deo sint deserti, & in Babylonẽ abducti. Elegãter autem per auia peccatorum aberrantes Iudæi ouibus cõparantur, sicut & Esa. 53. & Reges atque Doctores populi Pastores dicuntur, sicut & Ezech. 34. Idẽ ergo perstringitur in veteribus quod hodie in Papistis, qui multiuaria circumducti superstitione aberrarunt à spe sua salutari iam antiquitùs Patribus promissa, nempe Christo: aberrarunt à suo cubili seu loco requiei & sanitatis, nempe Ecclesia super Petram Christum fundata, cui ne portæ quidem inferorũ præualere possunt. Hinc certo Dei iudicio hostes fidei nobis nostræq; patriæ imminent, &c.
- Hortatur quàm seriò Iudæos liberatos ne maneant in Babylone, sed omni impetu in patriã contendant, & sibi vnusquisq; dux sit non expectato altero, instar hirci ante gregẽ. Non sunt enim alij respiciendi in negotio pietatis, sed cuiusq; propria laudatur intentio, & solius Dei vocantis sermo sequendus ijs, qui è Babylone Antichristi promiscuè exire iubẽtur, Apocal. 18.

Repetit vicissim Babylonem esse vastandam, & quidem per Aquilonares, hoc est, Medos & Persas, quos laudat à multitudine, potentia, peritia sagittandi, & plenaria victoria, adeò vt omnes sint saturi præda. Cùm enim Babylon, instar maris totius orbis, opes in sese receperit, debuit tandem exhauriri, sicut & Roma per Gottos & Vandalos, &c.

A. Exorditur orationẽ, in qua cõsequenter

- Vocat Iudæam cum Ierosolyma hæreditatem suam.
- Subnectit causam cur debeat regnum Babyloniců deprædari: Quoniã, inquit, gauisi estis, &c. Hic pro auxesi per digressionem
  - Petulantiam Babyloniorum adumbrat comparatione cum vitulis pascuorum & caballis hinnientibus.
  - Appellat Babylonem matrem: militum scilicet Chaldaicorum vel intelligens Monarchiam totam, quæ quidem post alias gẽtes, quibus dominata fuerat, nouissimè vastanda sit, sicut & Ierem. 25. dictum est.
- Ostendit non fortuitò vastandam iri, sed iusta Dei vindicta: tantaque clade vt prætereuntes quique obstupescant & sibilent: de qua phrasi ac emphasi alibi etiam.

Conuertit sermonem ad Medos & Persas, exhortans illos, vt omnibus viribus irruant in Babylonem: addita causa, Quia Deo peccauit, &c.

Non solùm exhortatur ad clamorẽ de victa Babylone, sed deditionem hypotyposi etiam & prosopopœia effingit. Extendere enim manus deditionis est signum, &c. Porrò hîc adumbratur & minutissimæ vrbis Ierichuntinæ interitus, cuius muri ad classicum tubarum & vocem populi Dei miraculosè subsidẽre.

Repetit causam ruinæ: iustam videlicet Dei vindictam, cuius occasione iterum hortatur Persas ad excindendam vrbem, tanta cum seueritate, vt ne agricolis quidem parcatur.

Prædicit gentes peregrinas tempore obsidionis nihil profuturas Babylonijs, sed diffugituras ad propriam terram.

Refricat causam iræ Dei: vbi per allusionem Iudæos vocat Pecus dispersum, Babylonios autem Leones: addita mox exegesi historica. Certè enim primùm ex Regibus Assyriorũ Phulazar multas occupauit Israelitarum ciuitates, vt habetur 4. Reg. 15. Inde Salmanazar decem Tribus euertit prorsus, & obduxit in captiuitatem. Deinde ex Regibus Chaldaicis Nebuchadnezar magnus semel, iterum & tertiò exercitum duxit in Iudæam, & demum Templum cum vrbe euertit. Quo nomine aptè dicitur populum Dei exossasse, id est, prorsus denudasse, eneruasse, atque contriuisse.

Minatur Regi Babyloniæ simile excidium ei, quo Sennacherib Assyrius mulctatus fuerat. Quod in collatione Sennacheribi & Balthasaris facilè elucet. Amisit enim Sendacherib, primùm exercitum omnem plaga angelica in obsidione Ierosolymitana: inde domum regressus, à suis filijs est interfectus, & imperium mox dissolutum. Sic Balthasar à suis interfecto, monarchia tota Babylonica aliorsum deriuata, &c.

Deflectit ad liberationem populi Dei: quæ quidem, vt sæpè dictum, complementum habet maximè in regno Christi, vbi secundùm nouum fœdus remissio peccatorum prostat cuius in sanguine Filij Dei, vt nemo fidelium Christi reatum suorum peccatorum sustineat. Qua de re Dominus ipse multis in Euãgelio, & Apostoli passim.

Pergit differere, & seq. Vide literam B.

Hortatur Persas & Medos ad inuadendam vastandamq; Babylonem, quam vocat terram exacerbationum, quòd omni proteruia, idololatria, rapinis & cædibus Deum hominesq; exacerbârit, vnde debeat visitari: id est, puniri iusta Dei vindicta.

Fingit spargi famam de prælio commisso ante obsidionem, & de fuga internecioneq; Babyloniorum, subijciens modum causamq; interitus. Modus est vt redigatur Babylon confracta in solitudinem. Causa, quod malleus fuerit orbis: id est, atrox bellator aduersus omnes gentes à primo venatore Nimrod, qui longè lateq; populos vexauit. Inde per causam causæ infertur Deus quoq;, tanquam fortis venator, intentus ad capiendos Babylonios, & tanquam fortis bellator ad debellandos. Sunt autem Dei arma & armamentarium omne id sub cœlo vsque ad Diabolos, quo potens est infensos sibi semper perdere & in nihilum redigere. Pertinent autem ista tam ad terrorem malorum, quàm consolationem piorum.

Compellat Persas in extremitate seu confinio Babyloniæ sitos vt triturent atterantq; Babylonios, instar frugum in horrea congestarum, mactentq; seu iuuencos ad lanienam deductos.

Inserit epiphonema, quo quidem & seueritas Dei ostenditur, & prophetiæ veritas.

Fingit Iudæos ex captiuitate Babylonica liberatos, latè in Sion diuulgare acerrimam Dei vindictam de Babylonijs: subiecta causa, nempe immani Templi Ierosolymitani vastatione. Atsi vsque adeò ægrè tulit Dominus lapidei sui Templi vastationem, quid pro viuis suis Templis, nempe fidelibus, contra impios tentabit?

B. Pergit disserere eodē argumento contra Babylonem. Vbi

Exaggerat cladem Babyloniorum particulatim. Vbi

Incitat denuò Persas in Babylonios, iubens vt conuersis in eos omnibus armis, nemini omnino parcatur.

Causam reddit: Rependite, inquit, iuxta opera sua, &c. Item: Quoniam superba fuit contra Dominum, &c. Deus sanè semper odit superbos, humilibus suam gratiam cōferre solitus, quod vel vnico Nebuchadnezaris exemplo liquidum est. Vide Dan. 4.

Pergit recensere per hypotyposim mala Babyloniorum, interserta causa iustæ Dei iræ igni comparatæ, &c.

Repetit pro cōsolatione piorum liberationem Iudæorum ex captiuitate, ex opposito verò cladem Babyloniorum. Vbi

Præfatur Ieremias, ea quæ prædicit Dei esse eloquia, qui neutiquam ignoret calamitatem populi sui.

Asserit Deum vltorem fore immanitatis vltra modum progressæ, vt vexatum suum populum tandem restituat.

Minatur Babylonijs apertum excidium in

Genere, Conturbabit, inquit, &c.

Specie, &c.

Enumerat omnes ordines, in quos pariter defæuitura sit vindicta Dei. Et quia Babylonij suis Sapientibus & viris fortibus, & diuitijs & munitionibus multum confidebant, addit Dominus: illos fore stultos: item elumbes, instar mulierum parturientium: item omni thesauro exhauriendos: itē munitiones nihil profuturas. Inæstimabiles porrò fuêre thesauri Babylonis, de quibus Strabo lib. 15. & Plin lib. 33. cap. 3. certè Cyrus Iudæis etiā aurea argenteaq; vasa restituit 5400. sicut testatur historia Esdræ lib. 1. cap. 1. Sed de munitione Babylonis admiranda leguntur apud Strabonem lib. 16. & lib. 1. Herodoti. Vrbis quadratæ latus quodq; cētenum vicenumq; fuit stadiorum, hoc est, trium milliarium Vngaricarum, præter spacium illud quod Euphrates rectà interfluus cōclusit. Murorum altitudo ducentorum cubitorum, crassitudo quinquaginta. Portæ per ambitū, centum, æreæ omnes, cū turri miraculo totius orbis, qui in altitudine quatuor millia passuum habebat, &c. Vide verò quid tantæ moli fecerit Dominus? Nam vt sequenti etiam capite à Propheta delineatum fuit, per deriuationē Euphratis milites Cyri ingressi, regiā primùm occupârūt, antequā rēliqua multitudo, vino choreisq; indulgens, in die festo vrbem captam esse vel fama perciperet.

Causam reddit tam euidentis excidij, maximè quòd idolomanias exercuerit, Deum verum contumelijs afficientes, sicut & Dares exponitur. Emim aliqui pro portentis, aliqui pro simulachris capiunt. Significat alioqui idola. Nā & Deut. 2. vox Emim pro monstrosis, robustis, gigantibusq; ponitur, quales hominibus & terrori & fiduciæ esse solent. Sic Zim cum Iim animalia sunt maximè solitaria, quæ alij Vlulas, alij Struthiones, alij Satyros vertunt.

Comparat excidium Babyloniorum Sodomæ & Gomorræ, &c.

Descibit mira hypotyposi aduentantem contra Babylonem exercitum ex multis Gentibus collectum. Vocem Kidon alij aliter vertunt, nunc pro clypeo vel scuto, nunc pro hasta, nunc pro framea, &c.

Exprimit quasi in medio rei positus, affectum Babyloniorum modis omnibus tumultuantium cum Rege. Consulatur cap. 5. Danielis pro summa huius vaticinij veritate. Cætera quæ hîc ad finem capitis sequuntur, exposita sunt suprà in oratione contra Idumæos.

Dispositio

Dispositio Capitis 51. eodem cum superiori argumento, verbis tantùm hinc & inde mutatis.

Partes Cap. 51.

- Vaticinatur de horribili Chaldæorum excidio, & de restitutione captiuorum Iudæorum. Vbi
  - Præmisso orationis authore, comparat Babylonē amœnissimo prato, quod per hostes, tanquam per vrentes ventos diuinitùs immissos, facilè corrumpatur & perdatur.
  - Adiungit causam perditionis: Quòd corde Deo sint aduersati.
  - Explicat quid per ventos intellexerit: nempe Persas vastatores, quos vicissim allusione ad agriculturam Ventilatores vocat: qui nimirum vanno excutiant frumenta, hoc est, opes Babyloniorum: sed ita, vt nihil maneat reliqui.
  - Alloquitur pro auxesi comminationis peritissimos bellandi, ne parcant Chaldæis.
  - Subnectit causam: Quia omni contumeliarum genere oppresserint populum Dei, putantes esse viduatum Deo suo, & fœdè polluerint sese. &c.
  - Exhortatur electos Iudæorum, vt fugiant Babylonem, & omnem eius impietatem, nisi vnà malint perire olim. Sic in Euangelio corruptelam mundi & Antichristi fugere cauereq; iubemur, 1. Ioan. 2. Ephes. 5. Apoc. 14. 18. &c.
  - Interserta denuò causa perditionis, cladem Babyloniorum crebra personarum mutatione ac dialogismo exaggerat. Crater vel est grauis supplicij, quod per Babylonios Deus multis nationibus incussit, vel est idololatriæ, quę ferè ex Babylone & Aegypto exortū suū habuit. Vide Ierem. 25. Apo. 17. de patera aurea. Cætera facilia sunt.
  - Fingit gratulari sibi ipsi populum Iudaicum redemptum à Domino, quòd iusticia ipsorum, & spes in Deum verum in apertum sit prolata.
  - Demonstrat euidenter ruituram Babylonem, quamuis instructissimam. Vbi verba exhortatoria tam aptè ad Babylonios pro sui defensione, quàm ad Persas obsidentes referri possunt.
  - Eripit omnem fiduciam, quam habebāt, maximè in Euphrate, quo cingebantur vndiq;. Item in diuitijs, frumenti scilicet & rerum necessariarū, quibus nihil omnino inuenitur tandem.
  - Confirmat suum vaticinium iuramento Dei, cui tribuit animam per anthropopathiam: subiecta mox genuina, eiusdem descriptione, maximè à potentia, aduersus numina gentilium vanissima.
  - Pergit disserere, & seq. Vide literam A.
  - Alloquitur populū Dei, exhortans vt in tempore obsidionis Babylonicæ animum ne despondeāt, sed expectantes salutem, pareut se profectioni. Vbi
    - Subijcitur causa consilij: Quia scilicet dies furoris Domini immineat, & Iudæi in extremam venire possint consternationem, vel primis malorum rumoribus.
    - Ostendit vnà cum sculptilibus Babylonem omnemque eius regionem euersum iri.
    - Dicit cœlum & terram & omnia exultatura ob interitum Babylonis. Similia leguntur Apoc. 18. de gaudio cœlitûm & iustorum, propter subuersam Babylonem Antichristianam.
    - Vrget iterum populum suum ad exitum ex Babylone: Qui euasistis inquit, gladium, &c. quasi dicat, Inter tot mortes ideò liberare vos Deus voluit, vt rediretis in terram sanctam. Ista typum habent mundi reijciendi & omnium impietatum à fidelibus, qui in ipsis Sacramentis & Ecclesia quærere ac visere Deum debent.
    - Tangit causam excidij Babylonici: quòd nimirum ob opprobrium extremum confuderint populum Dei, & sese fœda polluerint idololatria.
    - Eripiens omnem fiduciam quoad suas munitiones, fingit exaudiri voces quærulas pereuntium in Babylone, & fragorem ruentis vrbis, allusione facta ad mare æstuans, &c.
    - Summatim perstringit oraculo Dei miseram, adeoque historicam deletæ vrbis, ac ad fauillam fumumq; redactæ faciem, &c. Quæ quidem successu temporis, non autem semel videri potuēre. Nam scimus etiam Alexandrum Magnum, deleta Monarchia Persica, vrbem illam satis nobilem frequentasse. Ideoq; prophetia Ieremiæ vltimam respicit cladem, quæ adimpleri vel serò debuit. Sic & alia multa Prophetarum, Christi, Apostolorumq; vaticinia iam olim quidem cœpta in consummatione seculi prorsus adimplebuntur: vt liberatio piorum, perditio impiorum, confusio Antichristi, & plera que huius generis, quæ non vna videre potest ætas in genere. Sic idcircò summæ Dei potentiæ ac iusticiæ memores semper esse debemus.
- Absoluta, Concludit, & seq. Vide literam B.

Ponit causam perditionis: Quia scilicet fuerit malleus: hoc est, contritio multorum populorum, maximè Sionis: vnde vicissim debeat conteri. Et quia Sion prætulit typum Ecclesiæ, non mirum quòd Esaias quoq; capite quadragesimoprimo eam vocauit Plaustrum graue, & Tribulam dentatam. Et Zacharias capite duodecimo, Calicem inebriantem, & Lapidem oneris, lacerantem eos qui illam attrectent, & eleuent.

Addit modum perditionis, dum comparat Babylonem monti vel petræ immobili, quæ tamen nutu Dei exturbanda sit ad extremam vsque ruinam. Per lapides, intellige Reges: per angulum, regnum & gradus honorificos: quasi dicat, Non erunt amplius in te imperitantes.

Compellat voce militari, & excitat gentes diuersas aduersus Babylonem. Hic Ararat pro Armenia montosa ponitur, cuius fit mentio Genes. 8. Mini autem, vel Meni, Armenia est inferior, vt quidam volunt, à metallis & mercatura sic dicta. Ascenaz est regio Gottica, versus Scythiam, vel Germania vel Ascania, secundùm diuersas opiniones. In genere tamen ponuntur isti pro tota congerie, quæ fuit in castris Cyri ac Darij, tempore obsidionis, in qua quidem præstantissimum Ducem egit Cyrus Persa: Regem verò socer eius Darius Medus: quo tandem extincto, totum imperium ad Cyrum est deuolutum.

Proponit toti mundo contemplandam Babyloniorum cladem, & vires omnes emasculatas ad sese tutandum: Commota est, inquit, terra. &c. vbi mira verborum elegantia, & veritate rem quasi peractam narrans Propheta, videt vrbem ab extremitate ingressus: scilicet fluminis capiendam esse. Certè enim Babylonijs fœliciori aliquoties conflictu & annona multorum annorum congesta admodum securis, vbi duo Eunuchi Regis Balthasaris ad Cyrum transijssent (alterius enim filium Rex occiderat, alterũ ignominiæ causa castrarat) illi suaserunt, non tam vi, quàm astu vrbem posse capi: deriuata nempe aliò Euphratis aqua, vt flumen vadabile fiat ad irrumpendum nocte. Potuissent Babylonij ex hoc Prophetæ vaticinio sibi multum cauere ex parte fluminis, & charectarum, si non contempsissent verbum Dei: verum vt vt accipiatur, admonitio Dei non est frustranea.

Renouato dicendorum authore per comparationem à re rustica petitam, asserit Babylonios pœnas insolentiæ suæ daturos.

A Pergit disserere de interitu Babylonis. Vbi

Recenset causas perditionis, superius quoque non semel positas, quas quidem diligenter inculcari oportuit, ne populus captiuus desperaret, dum amarissimè interdum conquereretur de miserabili sua sorte, quòd quasi deuoratus fuisset à Nebuchadnezare. Licèt enim ipse fuerit mitior, milites tamen habuit atroces, qui euacuarunt, quasi vas aliquod, omni sua substantia Iudæos, &c. Porrò hisce verbis mirificè omnis persecutio populi Dei adumbratur, vt doceamur in oppressionibus diuinam opem implorare, seu Psalmista plurima suppeditat exempla.

Respondet ad querelam populi, asserens Deum fore vindicem, &c. Mare bonorum fuit Babylon quoniam totius orbis opes in ea comportabantur: cuius tamen vena omnis, seu fons perennis euacuari debuit. Vociferatio deinde instar rugitus Leonum, tam de Babylonijs consternatis, quàm Persis crudeliter tumultuantibus potest intelligi.

Exponit modum, quo Deus Babylonios sit perditurus. Fuit enim Deus quasi pocillator, conuiuio illos excipiens, & in medio luxus inebrians ad excidium: de quo & Daniel ad viuum cap. 5. Certè enim luxuriosum illud Balthasaris conuiuium fuit illis exitiale. Nec verò ita dicũtur dormire somnum, vnde nunquam exurgant, quasi non sint resurrecturi: sed vt significetur, impios perpetua condemnatione condemnandos. Cætera in hac oratione & venusta sunt multis allusionibus, & satis obuia, in quibus sanè mira elucet Dei potentia & iusticia, & prophetiæ veritas. Nam sicuti post annos circiter sexaginta clades Babylonica secuta est, ita pro certo & consummatio seculi futura est, quam & diluuium, erepto Noeh cum suis, & interitus Sodomorum, erepto Loth fideli, antè adumbrauit, teste Christo Matth. cap. 24. Luc. cap. 17. &c. Vt semper vigilemus, ne cum mundo pereamus.

Exclamat cum admiratione de horrenda Babylone vastitate, hyperbolicis locutionibus, figuris & allusionibus exaggerata. Per Sesach diximus cap. 25. Babylonem esse intelligendam. Adobrutio marinis fluctibus tangit exemplum Pharaonis. Vocabulum visitãdi, de quo & suprà, ostendit vindictam Dei, cuius causa subindicatur in mentione Beli. Fuit enim Belus Nini pater, secundus Rex Assyriorum, successorq; Nimrodi, qui Saturnus Babylonicus dicebatur, sicut Belus Iupiter Babylonicus, teste Beroso. Qualem porrò imposturam exercuerint Sacerdotes simulacri Beli, tandem diuinitùs confusi, ostenditur & in fragmentis Danielis. Ideò opima illa sacrificia minatur Deus sese erepturum, seu bolos ex ore Beli: hoc est, ex faucibus Sacrificulorum, reuelata omni impostura, qua illi vniuersa donaria & sacrificia absumebant.

B. Absoluta

Absoluta contra Babylonem oratione, ablegat illã Ieremias per Seraiã in Babylonem, quiprælectam ibi demergit tandem in Euphratẽ. Vbi per circumstantias

Designatur persona, & quidem celebris, cui commiserit Propheta suos sermones deferendos. Hic videre est, Deum Opt. Max. ab initio gentibus quoque prouidisse. Vti enim antè in Niniuen metropolim Assyriæ Ionam ablegârat, ita nunc verba Ieremiæ in Babylonem metropolim Chaldei transferri vult. Sic olim Paulus mysteria fidei ad Romanos transmisit, quæ tamen neque quibusuis, nec per quoslibet, sed per selectos viros tentanda sunt: vt thesauri cœlestes nec in contemptum abeant, nec perdantur. Quomodo enim verbi Dei impuri non abutantur, quibus vel Magistratus res noxia est? Dicitur verò hic Seraias Princeps quietis, id est, quietus, probus, & valdè docilis: alioqui enim nunquam suscepisset rem tantam odio & periculo plenam: facilè etiam, more Aulicorum, Prophetam Dei contempturus. Alij volunt Principem quietis dictum ab officio, vel quòd fuerit iucundus congerro Regis, vel cubicularius, vel munerum collector: quæ tamen expositiones minoris sunt momenti.

Indicatur tempus quando hoc factum sit: Quarto videlicet Zedechiæ anno, hoc est, annis circiter sexaginta sex antequã hæc euenirent Babylonijs, & septẽ annis ante Ierosolymæ excidium: quod facilè colligitur ex ijs, quæ cap. 1. 37. & 45. pro elencho historiarum diximus, auspicata captiuitate Babylonica à migratione Iechoniæ. Fortè concionatus fuit Ieremias hunc sermonem Ierosolymis, anno primo Nebuchadnezaris, qui erat Ioachimi quartus.

Modus & occasio apponitur: Legatio nempe in Babylonem, à vel pro Rege Zedechia. Qui enim cum Iudæis fingunt Zedechiam quoque tunc eò profectum esse, nulla ratione nituntur. Atqui hîc elucet pietas & docilitas Seraiæ admiranda, vt dum vicem Regis gereret, susceperit nihilominus iussa Prophetæ, capitalia sanè, & multis modis suspecta in regia Nebuchadnezaris, qui forsan graui de causa tunc placandus, non irritandus fuerat.

A

Additur præceptũ Ieremiæ quadrimembre: videlicet vt

Perlegat Seraias in Babylone omnia Prophetæ verba: quam lectionem alij priuatam esse volunt, solo nimirum lectore conscio: alij publicam & manifestissimam, tanquam pro suggestu & in via publica: quamuis sciamus linguam Hebræam cum Chaldaica non per omnia cõuenire.

Summam totius sermonis in os sibi ingestam, teste Deo, in Babylonios effundat.

Verbis recitatis, symbolum, seu chriam addat: nempe iaciendo lapidem cum alligato codice in Euphratem.

Quid paradigma illud sibi velit, interpretetur: ita nimirum demergendam esse, nec exurrecturam vnquam Babylonem, & nec hominibus, nec bestijs, scilicet securibus, vllo æuo habitandam. Paradigma seu signum hoc fuit temporale, specialeque Sacramentum: ideoque non semper & omnibus obuium, sicut sacra Cœna & Baptismus, vsus perpetui apud fideles. Hinc colligitur fatuas esse ceremonias, nisi diuinas habeant expositiones. ¶ Hic qui priuatam volunt fuisse lectionẽ, à Seraia in vrbe, secundùm vniuersam magnificentiam priùs visa (sic enim legunt contextum: Cùm ingressus fueris Babylonem, & conspexeris eam, &c.) & actus illos sequentes, maximè consulunt mitigationi Iudæorum: quibus nimirum Seraias omne suum consilium aperire tandem potuerit, vt ne desperarent, sed bono animo vindictæ Dei memores essent. Qui verò publicam fingunt lectionem, extollunt tam Ieremiæ, quàm Seraiæ animositatem, vnà cum insigni potentissimi Nebuchadnezaris modestia, quòd nec Seraiam tunc corripuerit, nec post expugnationem Ierosolymæ vllis verbis Ieremiam de tam diro vaticinio pulsauerit: mitior Ioachimo, qui in Vriam desæuijt, & Zedechia: æqui parandus autem Phulbeloco, qui Ionam præsentem facilè admiserit, pœnitentiamque publicam sua tempestate indixerit. Vtinam hodie tales vel Christiani nominis Principes essent, vel summi illi Antistites, quos olim Gentiles isti iudicabunt.

Concludit Scriptor Amanuensis omnes Ieremiæ actus & sermnoes. Vnde colligimus, caput sequens non comprælendi sub libro prophetico Ieremiæ: deinde lamentationes separati esse operis à reliquis Ieremiæ vaticinijs.

Dispositio Cap. 52. quod appendicem habet veritatem prophetiæ approbantem, seu Esdra, seu alio quopiam, non Ieremia authore: nam sub finem capitis earum rerum fit mentio, quæ diu post mortem Ieremiæ facta sunt: vniuersa verò, quæ sequuntur, congruũt cum ijs, quæ tradita sunt Ieremiæ 39. & quæ leguntur in fine libri 4. Regum & in fine libri 2. Paralip.

PARTES Cap. 52.

- Obsidetur ac capitur vrbs Ierosolymorũ, capitur & Zedechias, & vincitur, &c. Vbi
  - Commemorat historia ætatem & natales Regis: quæ sanè nihil prosunt, vbi nostris peccatis Deus offenditur.
  - Attingitur peccatum Zedechiæ, propter quod ira Domini ita efferbuit. Quod respectu Dei prius fuerat: respectu verò Nebuchadnezaris, posterius. Sic idololatria & perfidia punita semper. Vide Ezechiel. 16. de fide data omnibus & Magistratibus præstanda, maximè vbi libera nobis permittitur religio.
  - Describitur quomodo sit obsessa & capta vrbs cũ Rege. Vbi
    - Notatur tempus quo cœpta est obsidio.
    - Ostenditur vniuersum Nebuchadnezaris exercitum adductum esse ad mœnia Ierosolymæ, turribus, plateis, aggeribus, &c. expugnanda.
    - Ponitur vniuersum obsidionis tempus: a nono videlicet Zedechiæ anno ad vndecimum: quod sanè miserrimum populi statum ostendit in tam diutina obsidione, & simul contumaciam aduersus omnia Prophetæ vaticinia admirabilem.
    - Subditur quomodo sit capta vrbs.
    - Memoratur ex ordine de Rege Zedechia, quomodo
      - Sit miser in fugam effusus.
      - Venerit in potestatem Babyloniorum.
      - Ab ijs pertractus sit ad regem Nebuchadnezarem.
      - Babylonius illi perfidiam & contumaciam exprobrârit.
      - Sit punitus tam in se, quàm in suis filijs.
      - Ad cõplementum omnium tormentorũ
        - Vinctus sit catenis.
        - Ductus in Babylonem.
        - Carceri ibidem mancipatus.
        - Captiuus habitus vsque ad mortem.
      - (Quæ omnia Ieremias ad vnguem prædixerat, ad typũ ijs omnibus, qui Deo & officio suo neglecto libidinẽ propriam sequuntur.)
- Comburitur tẽplum vna cũ vrbe, mœnia diruũtur, populis partim in captiuitatẽ abductis, partim relictis in terra. Vbi
  - Signatur tempus, per quod ex Ierem. 25. colligere datur, quanto tempore frustrà Ieremias impœnitentibus prædicârit. Deinde dies 30. intercessisse inter captam & exustam vrbem. Sic sanè nihil præcipitanter etiam in victoria faciendum esset.
  - Designatur author incendij Nebuzardan, de quo & Ierem. 39. qui nimirum vicem Nebuchadnezaris egit Ierosolymis, & Templum æterni Dei incendit, quod Iudæi nunquam crediderant. At ita necesse fuit peruerso eius legitimo vsu. Quid hodie expectandum i js, qui viua Dei templa exurunt, lapidea autem idolis extruunt? Olim theatrum totius mundi, non candelis, sed Sole, Luna, & stellis conspicuum, erat vice templi Patribus, qui ex fide solius Dei creatoris sacrificabant passim sub dio. Inde sub Mose iussit Deus portatile sibi parari Templum, quod dicebatur tabernaculum testimonij, seu rectiùs Ecclesiæ. Tandem sub Salomone stabilis Domino domus extructa fuit, quam in typum Christi & Ecclesiæ peculiariter sibi vendicauerat Deus, seuerè interminans. 3. Reg. 9. non soli sibi, aræ sacrificia, & preces offerentur. Quod ergo ruina illa nobis demit, modo in spiritu vbique Christo seruiamus? Ioan. 4. Actor, 7. &c.
  - Destruitur Palatium Regis, cum magnificis alijs ædibus. Vide Ierem. 22. Odit Deus luxum, qui te excusso domos quoque facilè subuertet.
  - Diruuntur muri, seu mœnia vrbis per circuitum à multis & sanctissimis Regibus extructa. Sic indefatigabiles ferè sunt, quos Deus in vindictam immittit. Et frustrà ædificatur atque custoditur domus vel arx, nisi Dominus adsit propitius custos.
  - Ponitur sors populi terræ sub duplici ordine. Nã
    - Fuere qui ex vrbe transfugerant ad Regem Babyloniorum.
    - Fuerant ex capta vrbe superstites: horum promiscuè ditiores abducti sunt in Babylonem: tenues verò ad arua colenda relicti, vt solius seruitij amplius non dominij terra Israelis foret.
- Diripiuntur, Adijcitur, & seq. Vide literam A.

A. Diripiuntur

A. Diripiuntur bona Templi,& Magnates à Rege Babyloniorū trucidantur. Vbi

Ponitur census spoliorum Tepli. Legimus verò primò spoliatum fuisse Teplum, cùm Ioachim captiuus abduceretur: deinde cùm Iechonias amigraret. Nunc tertiò ea auferuntur, quæ residua fuerāt & minoris precij. Arca enim, mensæ aureæ, candelabra, &c. hîc non memorantur. Porrò ex spolijs recensentur

- Columnæ duæ æneæ à Salomone factæ, de quibus & 3. Reg. 7. Typum gesserunt Christi & Ecclesiæ. Dextram illarum nuncupārat Salomon Iachin, id est, confirmet: sinistram verò Boas, id est, robur, eò quòd robur Ecclesiæ, quam Paulus Columnam & Basim veritatis vocat, Deus ipse firmare soleat, & omni donorum genere exornare.
- Mare æneum, seu polubrum & cacabus ingens, à copia aquarum sic dictus: ad purgationem Sacerdotum & hostiarum. Sustentabatur bobus æneis duodecim, id quod significat in Ecclesia ablutionem omnium sordium, cuius ministerium in prædicando humeris incumbit docentium, initio facto à 12. Apostolis.
- Varia in genere vasa, in quibus vel elixabantur carnes ad sacras epulas, vel excipiebatur hostiarum sanguis, &c. Sacrificia illa erant significationes futuræ passionis expiationisque peccatorum in sanguine Domini: vnde erant grandia Dei sacramenta. Eodem modò Ministri Euangelici illuminant, purgant, cibant, & potant doctrina fidei & pœnitentiæ. Attamen euincitur excidio Ierosolymorum, multiuariaq; Templi direptione religionem & salutem externis symbolis non esse alligatam.

Recensetur classis trucidatorum: nempe

- Ecclesiastici, quorum
  - Summus Pontifex Seraias, Pater Esdræ Prophetæ.
  - Sophonias secundus post Seraiam.
  - Custodes liminis Templi tres: hoc est, promisores thesaurorum sacrorum.
- Proceres regni quorum
  - Eunuchus, id est, Aulicus, primarius Magister campi, seu Dux militum supremus.
  - Septem viri contemplantes Regis faciem, id est, summi & assidui Regis consiliarij.
  - Scriba seu rationista totius prouentus, vel militiæ.
  - Sexaginta viri de populo terræ, hoc est, nobiles & primarij totius regni.

Hi omnes numero 74 præstātes viri trucidātur in Reblat, ob peccatum, maximè rebellionis aduersus verbum Dei, &c.

Adijcitur census captiuorum. Vbi

- Dicitur in genere populum Iudaicum abductum in Babylonem: nempe vltima hac vice.
- Per consignationem temporis, quoad annos Regis Babyloniæ recensentur numeri captiuorum. Nam
  - Septimo anno (hoc est, in fine septimi, & circa initium octaui, quod colligitur ex 4. Reg. 24. vers. 12.) cum Ioachim abducta fuēre tria millia virorum, & viginti tres. Ille autem septimus Nebuchadnezaris, fuit vndecimus Ioachimi: cùm constet ex Ierem. 25. quartum Ioachimi & primum Nebuchadnezaris concurrere.
  - Anno decimooctauo Nebuchadnezaris, qui vndecimum Zedechiæ tangit, exusta vrbe & æde sacra, abducti fuēre per Nebuzardan octingenti triginta duo homines, quos more linguæ Hebrææ Animas vocat.
  - Vicesimotertio Nebuchadnezaris, hoc est, quinquennio post exustam Ierusalem, abduxit Rex Babylonius septingentos quadragintaquinque viros in Babylonem: nimirum ex dispersis & profugis in vicinas regiones, atque in Aegyptum. Hisce enim annis oppugnauit Nebuchadnezar Aegyptum, eamque cepit. Expugnauit & Tyrum, vt Ezechiel quoque prædixerat. ¶ Summa captiuorum constituit 4600. verùm admodum implicatè. Conuincitur enim ex 4. Reg. 24. multò plures, saltem ex Iudæis, abductos in captiuitatem. Nam & cum & sub Iechonia (qui ad differentiam à Ioachim patre dicitur Ioachin per n) translata sunt vltra 10000. quod sic efferre placet propter genuinam eius loci (versu 14. & 16.) expositionem. Alijs dicentibus 10000. & 7000. promiscuè concludere captiuos sub Ioachimo (qui hoc loco 3013. positi sunt) & sub Iechonia. Vt sic primò mille concludantur in proximis septem millibus, & tandem illa septem millia addita captiuis sub Ioachimo, nempe ter millibus, & viginti tribus, constituant in summa decies mille, cum appendice viginti trium hominum. Alijs contra asserentibus, cum Iosepho numerum saltem cum & sub Iechonia abductorum constituere decies millia: item septies millia, & semel mille, hoc est, in vniuersum octodecim millia, additis insuper à Iosepho triginta duobus hominibus, qui omnes hoc loco omittuntur.

Exponitur restitutio, & seq. Vide literam B.

A

Exponitur restitutio Iechoniæ, quā prædixerat Ierem. cap. 24 & hic

- Notatur diligenter tempus: nempe 37. annus captiuitatis, qui erat primus Euilmerodachi. Regnauit ergo Nebuchadnezar supra 44. annos: Euilmerodach 30. Balthasar tres. Vnde & captiuitas 70. annorum emergit, initio facto, vt iam sæpè dictum, ab a. ducto Iechonia. Obserua verò Regem inclitum Iechoniam, qui iuxta consilium Ieremiæ periclitari solus maluit, quàm regnum cum vrbe euerti, tam diutinam pertulisse captiuitatem certo Dei iudicio. Et tamen quod credibile est, in patientia expectasse restitutionem, de qua copiosè Ierem. 24. & 29. Sichemorrhousa vexata est morbo ad annos duodecim: alia item mulier, Lucæ 13. ad annos octodecim: Paralyticus ad annos 38. & cæci aliquot sua cæcitate multis annis, plurimi captiuitate, vt Ioseph & Manasses, omnes sanè ad pietatis, patientiæ, pœnitentiæ, speiq; exercitium. Ne ergo murmuremus, terminúmue Deo præscribamus, qui cùm voluit, excitauit ad misericordiam cor Euilmerodachi, sicuti & Cyri, & Artaxerxis, & aliorum subinde.
- Commemoratur modus restitutionis, qui facilè ostendit sub imperio summi Regis fuisse multos alios Reges & Principes, & Iechoniam supra omnes illos exaltatum, mensæ liberæ ad mortem vsque participasse. Sic semper potens est Deus inuocantes se tueri, & magnificare. Et hoc pacto clauditur ista historia lætissima restitutione Iechoniæ, qui cùm Neri, hoc est, lucerna mea, in Scripturis appelletur, Lucæ 3. typum habet restitutionis Christi, veræ lucis in sua ad tempus (vel propter peccatum, vel ad fidem exercendam) oppressa, & quasi pessundata Ecclesia, de quo & suprà in fine capitis 22. Deo vero & altissimo sit laus & gloria in infinita secula seculorum, Amen.

Dispositio Threnorum, seu Lamentationum Ieremiæ: ac primùm de Prolegomenis Tabula.

PARTES, seu loci Tabulæ de

- Nomine, seu titulo huius libelli. Vocatur enim
  - Ab Hebræis Echa: id est, Quomodo, à prima operis dictione, qui tamen ijdem in Commentarijs appellant Cinoth: id est, Lamentationes.
  - A septuaginta Interpretibus & Græcis omnibus Threnos, quod & ipsum lamentationes, seu fletum significat.
- Qualitate, seu genere styli. Cópositus est enim à Ieremia carmine: verū longè alia à prophanorum metris ratione. Poliuntur enim carmina vsitata vt plurimùm
  - Pedum numero, vnde hexameter, pentameter, &c. dici solent.
  - Temporibus syllabarum, vnde hæc breuis, hæc lóga, &c. esse consetur.
  - Figuris & schematibus rhetoricis, maximè ad breuitatem & obscuritatem vergentibus.
  - Materia assumpta non tam ad veritatem, quàm delectationem cùm scribentis, tum legentis.
  - Libertate componétis, vt vel suos, vel aliorum affectus pro suo voto exprimat.
  - Rhythmis seu consonantijs syllabarum, nunc in medio, nunc in fine carminum.
  - Dictionum in statu metri, vel libera, vel necessaria versura, quam constructio coordinet.

  At hic in sacris Odis in contrarium modum pro

  - Pedum numero liberiùs sentétiola breuis, vel succincta ꝓpositio assumitur cū alijs comparibus.
  - Quantitate syllabarū, vel altior, vel suppressior pronunciatio, adeoq; modulatio magis, q̄ scansio versus habetur.
  - Figuris & coloribus humanis habét Hebræi breuitaté diuinam, & obscuritatem mysticam.
  - Materia sola suppetit veritas vel dicti, vel facti alicuius exprimendi.
  - Libertate componétis affectus magis necessarius exprimitur ad vsum quàm peregrinus accersitur ad abusum.
  - Rhythmis syllabicis vel literæ solę vsurpantur tam in principijs, quàm in finibus metrorum.
  - Versura nō sunt anxij, quòd eam quantitatis ratio (quam Hebræi minus curant) exigat.

  Vtrinque tamen hæc communia interueniunt: nempe

  - Vetustas proxima condito mundo. Id quod vel vnica Mosis & Orphei collatio ostendit.
  - Vsus frequentior inter doctos: adde etiam sanctos & pios. Sic Mosis & Dauidis in veteri Testamento: in nouo verò Zachariæ Patris Ioannis, Mariæ Virginis, & Simeonis Iusti, Lucæ 1. & 2. admodum celebria sunt carmina.
  - Vtilitas, præsertim memoriæ, quæ semper necessarijs, vtilibus, honestis pijsque exerceri debet, ne soluta torpescat, aut correpta pereat.
  - Iucunditas tam in harmonica consonantia, cum bonis quibusque quàm in propria melodia. Diuina enim meditatio, & omnis Psalmodia pastus est animæ sitientis, verum bonum, & custodia affectuum in vanitates ruentium, vt non ab re post Dauidem sanctum Regem Basilius etiam Magnus latum Odarum encomium in suis Opusculis pertexuerit. Porrò Iosephus & Ieronymus frustrà dixerunt ista metro Sapphico & trimetro ab Ieremia esse composita, cùm longè aliud sanior experientia doceat, & censura magnorum virorum asserat. Diuersi enim sunt ab his Eliani illi cantus, de quibus Munsterus, & alij nonnihil.
- Tempore, Partitione, & seq. Vide literam A.

A.

- Tempore, seu occasione huius scripti. Tangit enim illa miserandam Ierosolymorum & Templi augustissimi conflagrationem, populique Iudaici exilium, & exitium deploratissimum, quemadmodum & præfixa Septuaginta Interpretum verba ostendunt. Ideò aberrârunt quidam, dicentes primò cum Hebræis, hæc fuisse scripta, lectaque coram Ioachimo, & in ignem ab eodem proiecta, vt habetur Ierem. 36. secundò, cum Ieronymo, hæc decantata esse super morte Iosiæ Regis, vt fit mentio 2. Paralip. 35. Nihil enim videbimus quod Iosiæ conueniat, quamuis vno in loco mentio fiat Regis. At Iosias nec in exilium tractus est, nec alibi, nisi Ierosolymis, sepultus.
- Partitione huius operis, ex quinq; capitibus constantis: nam in
  - Genere quatuor priora continet, quatuor Threnodica carmina: quintam autem orationem habet peculiarem ad Deum.
  - Specie,
    - Primum caput versus habens vigintiduos, secundùm simplicem literarum Hebraicarum numerum deplorat casum Vrbis, Templi, & totius Ecclesiæ, cuius Pastor fuerat Ieremias per annos circiter quadraginta. Tale est carmen Dauidis, quo deplorat carmen populi Dei, & occasum Saulis cum filijs, 2. Reg. 1.
    - Secundum caput totidem habet versus per initiales literas, eundem characterem & argumentum, nisi quòd commemorat seuerum, attamen iustum Dei iudicium. Exaggerat item infœlicitatem populi sui, & hostium insolentiam. Tribuitur porrò à plerisq; mendo graphico quod in hoc capite litera פ pe ante ע ain ponitur, sicut & in reliquis.
    - Tertium caput breuioribus constat versibus, & ideò ternis, sub toties repetitis elementis. Argumentum etiam hoc variat à superioribus, quòd Propheta personam induit afflicti populi (in imagine tamen cuiusuis afflictissimi) æstus animi querulantis mira copia effundens.
    - Quartum caput primis duobus capitibus, tam metro, quàm argumento similius est, tantùm quòd maiore præ omnibus delictorum confessione & zelo vastatæ Iudææ incomparabili.
    - Quintum caput sine metro, concludit & querimoniam pro miserijs, & confessionem pro delictis, & supplicationem pro auxilio à Deo iustissimo, potentissimo, clementissimoque.
- Vsu seu fructu Threnodiæ, qui quidem multiplex est: nam
  - Instruimur ad verum carminum vsum, vt seu læti, seu mœsti aliquid proferamus, non id spurcum, inutiléue fiat.
  - Veritas omnium Dei dictorum inculcatur, seu minas, seu promissiones spectes.
  - Typus est Ieremias insignis modestiæ & pietatis, cùm Principibus, tum Pastoribus, ne tam suggillent, quàm misereantur plebis peccatricis calamitatem.
  - Docetur qualiter omnes in periculis sese gerere debeant: vt nimirum quisque sese intueatur, propriam incuset inobedientiam, impatientiam vitet, &c.
  - Exhibetur nota Ecclesiæ, quæ non ea est, vt nunquam peccet, nunquam puniatur, ab infidelibus non vincatur, sed vt etiam symbolis quibusq; amissis, spem in inuocatione, fidem in confessione, & charitatem in patientia ad extremum vsque halitum retineat.
  - Consolatio suppeditatur à comparatione. Si enim hostibus fidei tanta nonnunquam largitur Deus, quid fideles, nisi summum quid expectare debent? Si filiorum plectitur peccatum, quantò peruersius impij habituri sunt?
  - Obuiæ sunt hîc causæ ferè omnes interitus regnorum & politiarum, vt quisque easdem vitet, si sibi & suis superstes esse velit.
  - Ostenditur caduca esse omnia, mundum fallacem, & omnem eius splendorem vitreum, vt non nisi in æternis acquiescamus.

Dispositio Capitis 1. *sola versuum paraphrasi & elucidatione dictorum Ieremiæ tumultuanti animo effusorum.*

HVIVS Capitis versus.

א Aleph. Habet exclamationem de inopinata vrbis Ierosolymæ ruina, cuius integritatis tribus bonis totidem excidij mala per antithesim subiungit. Sedere verò hic pro prostratum esse capitur vel sessio tribuitur Ierosolymæ, tanquam mulieri ad dolorem sese componenti, vt & sequentia ostendunt sub typo fœminæ pronunciata.

ב Bet. Habet antithesim status prioris cum præsenti. Fuit enim petulans ac diffluens voluptatibus, nunc pernox versatur in lachrymis, Iactauit se proximorum regnorum amicitia, nunc ab omnibus non solùm deserta est, sed & hostiliter ridetur. Id quod maximè de Idumæis dicitur, Vide Psalmum 137.

ג Gimel. Deplorat captiuitatem & duram oppressionem populi Dei, loco eius, quòd olim ipse hostes suos comprimebat, & quietè viuebat.

ד Dalet. Habet occultam antithesim: nam ante captiuitatem tritæ erant viæ & portæ vrbis, læti accedẽtes, maximè pro solennitate, vnà cum Sacerdotibus, & Virgines iucundæ ac securæ, cum tota vrbe: quæ nunc omnia in contrarium versa sunt. Hinc discimus, libera esse piorum gaudia, sed modesta in timore Dei. Et, leuem esse iacturam omnem præ iactura religionis, in qua præcipuum consistit gaudium.

ה He. Deplorat vicem versam politiæ Iudaicæ, quoad verba illa Deuteronomi capite vigesimooctauo: Ponet te Dominus in caput, & non in caudã, &c. qua phrasi principatus & seruitium per antithesim dicuntur. Inde reddit rationem malorum, quòd peccarint, & quidem multiuariè, subnexa mali exaggeratione, quòd etiam infantes, spes nimirum generis, & pars innocentior, ad angorem parentum abacti sint in captiuatem.

ו Vau. Fingit Sionem præ sua formositate plurimis donis & fastu, præsertim Principum delicatè incedentium, virginem decoram: subijciens per antithesim, allusione facta ad Ceruos, eorundem marcorem, anxiam discursitationem, vel edullij gratiã, & timidam à facie hostium fugam.

ז Zain. Repetit grandia populi Dei mala, vt respectu eius fœlicitatis, qua retroactis temporibus vsus fuit. Quod ad innumera vitæ bona applicari potest, quibus si abusi fuerimus, contraria expectanda sint mala. Pro exaggeratione tristiciæ additur aperta rebellionis confessio, qua & hodie infortunia omnia accersiri solent: vnde hostibus etiam fidei subiecti, religionem extrema tandem cum anxietate subsannari videamus. Sabbatum hîc vel pro tota religione ponitur: vnde Iudæi Sabbatarij dicebantur: vel allusione ad vim vocis facta: vt nimirum vniuersa eorum incessatione & otio essent, vrbe iacente, terra inculta & deserta, &c. quemadmodum interminatus fuerat Deus, Leuitici capite vigesimosexto: Terra, inquit, ipsa Sabbatum colet loco vestro: dum scilicet neque arabitur neque frugem feret, &c. Vide & Ieremiam capite decimoseptimo.

ח Heth. Confessionem habet enormis peccati, quo tota Ierosolyma (quæ hîc sub typo mulieris confusæ infertur) vaga sit facta, propter exilium. Id enim commotio significat. Deinde quòd contempta sit ab omnibus, quasi ea turpitudine reuelata, quæ nisi tecta maneat in mulieribus, æstimatio omnis pessum it. Hinc retroitio fit cum gemitu: hoc est: abiectio spei amplioris restitutionis. Daniel quoque cap 9. pœnam omnem peccatis tribuebat, &c. At secus faciunt prophani, Deum potiùs quàm sese incusantes:

O patria, ô diuûm domus Ilium & inclita bello
Mœnia Dardanidum: ferus omnia Iupiter Argos
Transtulit.———

Item:

Postquam res Asiæ, Priamique euertere gentem
Immeritam visum superis, &c.——— Aeneid. 2.

ט Thet. Taxat impudentiam insignem, quòd in peccatis & proteruia gloriata sit fœmina Ierusalem, quasi fimbrijs ostentans immundiciam, quæ ablui potiùs debeat. Oh quàm vulgare hoc hodie malum, adulteris, ebriosis, superbis, percussoribus, conuiciatoribus, &c. Inde taxat gentis incogitantiam, qua ad miraculum corruerit. In formula orationis ostendens à quo expectanda sit consolatio, non tam nostro merito, quàm ideò saltem ne in perpetuum hostes fidei nostræ insultent, &c. Huius generis ferè semper preces piorum.

י Iod. Queritur maximè de Templo sacris suis supra alia omnia inæstimalibus exhausto: intellige Altari, Mensa, Arca, &c. Et quòd hostes in adyta Templi penetrãrint. Diligens enim erat cautio, ne gentium ingressu Templum pollueretur, vt videre est Deut. 23. & Act. 21. Sic corpora nostra, Templa Spiritus Sancti, cauenda sunt, ne sceleribus polluantur, 1 Cor. 3. &c.

כ Caph. Deplangit, & seq. Vide literam A.

כ Caph. Deplangit famem, qua præcipuè in obsidione laboratum erat, frustrà eam minante Prophéta tempore incolumi. Meretur eam & hodie abusus in copia, & nulla panis cœlestis: nimirum verbi Dei æstimatio, cuius etiam penuriâ aliquando laboratur. Vide Amos 8. Esa. 5. Subiecta precatiuncula, docet ad quem in calamitatibus currendum sit, sicuti & Dauid multis Psal. 107.

ל Lamed. Facit loquentem Ierusalem adhuc sub typo fœminæ ad prætereuntes, vt sympathia maior sit, ad ansam etiam futuræ cautionis. Hic vocabulum vindemiationis emphasim habet. Cùm enim Coloni fructû Deo dare recusassent, dignè hostibus rimandi ad vltimos vsque botros tradita sunt. Initium porrò versus rectiùs sic habet: Non ad vos omnes, qui transitis per viam? quasi dicat, Non tangimini vlla misericordia, ac dolore mearum plagarum, &c. seu legas interrogatiuè, seu minus.

מ Mem. Exprimit vnde malum in Iudæam sit deriuatum: malum scilicet intimum & exacerbissimum (duriora enim sunt, quæ vel animum, vel ossa, quàm quæ corpus afficiunt, sic minante etiam Deo, Deut. 28.) igni æstuanti comparatum. Porrò dum comparat Deum iudicantem Venatori rete expandenti, ostendit nos omnes nastrâ naturâ esse efferos, ac in cursum vetitum effusos: vnde Psalmista, Nolite, inquit, fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.

נ Nun. Ostendit verissimas omnium malorum causas esse peccata, vt dum leue exhortationis verbique Dei iugum gestare recusârit, grauis vigoris vindictæque Dei subiecta sit, quod excutere nullo modo queat. Iugum illud erant Babylonij, &c.

ס Samech. Deplorat miram & dignam confusionem omnium propemodum ordinum. Digni sunt Principes & Pastores capita populi sese sceleribus pulueri miscentes, tandem pessundari, & omni honore priuari. Digna est iuuentus indictas sacrificiorum ferias (quibus & hodie mactatio brutalium affectuum docetur) negligens vt lanienæ conseruetur cum Virginibus, &c. Allusio ad torcular emphasim habet extremæ afflictionis, iusto Dei iudicio. Sic Esa. 63. Torcular calcaui solus, id est, vltus sum Idumæos, à quibus nunc populi mei vindex, quasi sanguine madidus reuertor.

ע Ain. Ostendit se ob calamitates omnes plorare, tristitiam congerie verborum amplificans. Nam cùm paucis verbis posset dicere, Ierosolymam esse perditam, insistit tamen copiæ non sine mysterio. Sola precatio, sola confessio, solus pro peccatis dolor satietate carere debet inter bonos. Porrò possunt hæc verba tribui tam Ierosolymæ, quàm Prophetæ ipsi. Nam & Paulus, quos docuerat, filios nuncupat, 1. Cor. 4. Gal. 4. &c.

פ Pe. Fingit Ierosolymam gestu periculis circumuentorum & auxilium implorantium frustrà manus extendisse: addita ratione, quòd Deus hostes illi supermiserit. Ad quos frustrà Deus tota die manus expandit, in admonendo, frustrà & illi in plectendo hominum etiam implorabunt auxilia, quando Deus sit, qui vel odium, vel amorem ac inimitias inter homines etiam conciliare possit.

צ Zade, Occurrens obiectioni fatetur se non iniusticiæ vel crudelitatis accusare Deum tantoperè quiritando, sed propria magis peccata. Hæc modestia semper imitanda nobis. Os porrò dicitur hîc, pro expressa Dei voluntate, quam vbi nos amaricamus, digni sumus amaricatu: Honestantes me, inquit, honestabo, &c. Tam virginum, quàm iuuenum est (quibus hodie frena laxari solent) obtemperare Deo, ni perire malint.

ק Kuph. Conqueritur in persona mulieris Ierosolyma, seu Ecclesia Dei sese irato Deo nihil profecisse amasijs suis: quales & hodie sunt vel preces meritoriæ Sacerdotum spurcorũ, vel gloriosa Seniorum præuaricantium, ac idolorum consilia, vel iniquæ confœderationes cum proximis: maximè autem cultus illi Diuorum, qui nunquam non in confusionem cessêre vnà cum suis delubris. Maledictus enim omnis, qui fidit in homine, &c. Ieremiæ capite desimoseptimo.

ר Res. Conuertitur tandem ad Deum, illi candidè reuelans omnes animi recessus, & confitens peccata. Sine libera namque peccatorum confessione, nulla est venia, 1. Ioan. 2. At sic nos confiteri tandem vel innumerabiles mortis species docebunt, seu cum fide, vt hoc loco, seu absque fide, vt in Iuda & Caino alibi memoratum.

ש Sin. Queritur adhuc neminem ex vicinis & amicis ad consolandum præstò fuisse, imò sese hostiliter delusam: addita duplici correctione, seu mitigatione doloris. Primùm quòd Deo magis, quàm hominibus id omne imputet, quasi dicens cum Iob: Dominus dedit, Dominus abstulit, &c. Deinde quòd eadem sors olim hostibus eueniat, de qua vide Daniel, 5.

ת Thau. Exponit copiosiùs quod præcedenti versu dixerat de vicaria hostium punitione. Dicitur verò Deus facta hominum reuocare sub conspectum suum, quando statuit ea punire, quorum oblitus fuisse videbatur. Sic Ierosomitanos tandem punierat, æque puniturus & Babylonios. Quod quidem Propheta non tam imprecatione, quàm vaticinio dicit, exaggerata clade Babyloniorum, figura vindemiationis, in qua omnes ferè botri resecari solent. Et hæc quoad primam Elegiam, quam claudit insignis summariaque sententia, Mala illa esse fidelibus dolorifica, quæ pro peccatis veniunt. Et, Non esse hostibus nostris quippiam imprecandum, nisi ijdem sint & hostes Dei.

Dispositio Capitis 2.

Huius Capitis versus.

Aleph. Habet admirationem dolore implicatam de ingenti cõfusione Ierosolymæ, tanquam formosissimæ pridem virginis. Videbatur vrbs tanquam in gremio Sionis montis cum arce conspicui iacere in subiecta planicie. Ita porrò Deo attributa, significat saltem Deo malum displicere: vnde factum sit, vt insolentem ciuitatem quasi in cœlum olim exaltatam, ad inferos, instar Capernai, detruserit, non reputans quòd fuerit instar scabelli suppedanei, seu quietis atq; habitationis, quoad alligatum eò temporalem illum visibilemque cultum, de quo 3. Reg. 8. Psal. 99. 132. &c. Dicendo verò ita, non litem intendit Propheta Deo, sed confessionem edit. Vox scabelli, admonet Deum nec totum fuisse inclusum in Templo Ierosolymitano, nec hodie in terris, sed sursum quæri, colique debere. Poterunt enim quæuis loca etiam spurcissimæ gentes occupare.

Beth. Prosequitur eandem querelam, exaggeratis saltem verbis, vniuersa nec stellis, nec fortunæ, sed Deo adscribens. Tabernacula Iacob pro toto oppido eleganter dicuntur, ad exprimendam pacem amœnitatemq; loci sub priori conditione. In amœnis enim pratis scenopegia fiunt. Adduntur tamen & munitiones vrbis, cum Principibus, quibus facilè hostes potiti sint, irritato Deo.

Gimel. Exponit copiosiùs vniuersi regni cladem. Per cornu, metaphora à bobus sumpta, designatur robur & potẽtia regni à Deo fracta & conuulsa per Babylonios. Id quod per æthiologiam sequens particula anthropopathôs ostendit: quasi Deus manum auxiliatricem retraxerit ab Ierosolymitanis, ingruentibus aduersus eos hostibus. Certè vires omnes in bello Deus addit, vel demit, vt Psalmi non vno loco docent. Auxesim habet vindictæ Dei, figura quoque ignis æstuantis, & omnia deuorantis.

Dalet. Commemorat quomodo se Deus non adiutorem populi sui, sed hostem infensissimum exhibuerit, comparata eius vindicta sagittis & igni. Sic Homerus fingit Apollinem iaculari tela lethalia in castra Græcorum. Et de igne exarsuro in Israele, quem nemo posset extinguere, prophetarat iam olim Ieremias capite 4. quemadmodum & Esaias contra Babylonios: Erit, inquit, lux Israelis in ignem, &c. capite 10. Sic semper thesaurisamus nobis exitium abusu longanimitatis Dei, ad Romanos, cap. 2.

He. Redundanti copia exponit quæ antea dixerat de seuera Dei vindicta, dum assimilat Deum hosti: item voraci belluæ, & machinis munitiones quasque diruentibus, eò quòd hostes ista facientes, ipsius nutu roborati sint. Quæ quidem doctrina, quia difficilis erat, persuasu ideò prolixiùs inculcatur, vt populus expergefiat à tali socordia, Deus est verus consolator, idem etiam verorum dolorum author iusto suo iudicio.

Vau. Redit ad deplorãdam religionem, vnà cum Templo, regio throno, & sacerdotio dissipatam. Micheas certè prædixerat Sionem vt agrum arari, & Ierosolymam in aceruos lapidum redigi, &c. Id quod tunc impossibile videbatur. Appellatur Templum tentorium Dei dirutum ab hostibus, instar tugurij, vel sepis hortensis. Subest autem maxima iræ Dei exaggeratio erga populum, quòd cum statis ferijs & Regem & Sacerdotem amouerit. Regnum enim erat tessera fauoris Dei ad ipsos tuendos. Sacerdotium verò pignus paratæ reconciliationis. Quòd ergo Deus quodammodo gratias suas in nihilum redigeret, meruerant enormibus sceleribus & cœtuum sacrorum prophanatione, de qua & Ierem. 17.

Zain. Versatur in eodem argumento, deplorans Templi & sacrorum omnium excidium: item Palatiorum ruinas, nec non blasphemas hostium debacchationes, quoad solennes Iudæorum cantus in Templo Domini. Quæ quidem repetitio auxesim habet peccatorum populi, qui horribilem istam mutationem prima fronte Chaldæis magis, quàm sibi ipsis, ita merentibus imputabant. Sic propter iniquitatem non solùm Templa nostra lapidea, sed & corporea possunt in perditionem tradi, si, inquam, non glorificauerimus portauerimusque Deum in corpore nostro, prima ad Corinthios, capite tertio, &c.

Heth. Deplorat muri & propugnaculorum ruinam, contra id quod Deus ipse olim murum igneum sese circum Ierusalem fore promiserat. Zachar. 1. Id quod etiam ostenderat in obsidione Sennachetibi. Prosopopœa est lugere muros, sicut anthropopathia præcogitasse Deum. Quo innuitur certa illa ratio, qua hos exaltat, illos plectit Deus, potens etiam in minutissimis.

Thet. Deflet non tam vectes, & rupta portarum repagula per irruentes Chaldæos, quàm intercisas iudiciorum in portis occasiones, vbi viri prudentes & fortes veluti vectes aut columnæ iudiciorum erant. Inde mox addit, Regem & Principes abductos. Porrò non ita negat Ieremias legem & visionem propheticã iam haberi, quasi nullus superfuisset liber, vel Propheta, sed quòd in Babylone muti propemodum essent omnes, propter interdictas solennitates. Scimus & Danielem in secreto orasse, versa facie ad Ierosolymam. Visiones autem seu prophetiæ Danielis & Ezechielis longo tempore sunt cœptę, nec ea copia ac libertate, quæ fuerat ante captiuitatem. Sic oportebat dulcissimis oraculis illos priuari & fame verbi torqueri, ad quos manè surgendo frustrà porrexerat manum Deus, Ierem. 9. Non est maior anxietas, quàm verbo Dei destitui in extrema angustia, quod vel Saulis horrendo liquet exemplo, 1. Reg. 26. qui exosum priùs Prophetam etiam in funere quærit, sed Diabolum inuenit, 1. Paral. 10.

Iod. Repræsentatur, & seq. Vide literam A.

Iod. Repræsentat quasi per hypotyposim cladis grauitatem, dicens: Senes omni honore spoliatos, luctum tantùm exprimere, & virgines antea superbas, & instar pauonum incedentes, saccis feralibusq; vestiri. Frustrà Senes Ieremias officij sui admonuerat, vt pro sua authoritate loquerentur omnia ad ædificationem: sic & virgines debitæ modestiæ, &c. vnde iam vices habeant versas.

Caph. Refert anxium Prophetæ dolorem de perditione populi, sicut & Ieremiæ 9. dicebatur: Quis dabit oculos meos in fontem lachrymarum, &c. Multi dicentium antea spreti mirè sugillarent populum vapulantem, ac Ieremias totus est pius. Per viscera, cor intellige, membrum maximè vitale: & per iecur in terram effusum, ipsam exanimationem. Iecur enim sanguinem concoquit & dirigit per membra, vt corrupto iecinore totum tabescat corpus. Fuit & illud tristissimum, vt non solùm passim maiores iugularentur, sed & paruuli fame deficerent, idque in vrbe.

Lamed. Copiosiùs exponit miserandam paruulorum sortem, qui frustrà pro pane clamantes ad matres, in gremio extincti sint, tanquam saucij. Et in prostrema obsidione Ierosolymæ, matres proprios natos deuorârunt. At tam dira sorte infantum non culpandus Deus, qui sanè paruulos amat, & liberos pro parentibus non punit: sed peccata parentum incusanda, quibus vt infantes non imbuantur, interim maturè tolluntur ad æterna bona sub temporali pœna capessenda quod idem & de Betlehemiticis infantibus est dicendum.

Mem. Habet conuersionem sermonis ad Ierosolymitanos, negans vlla posse exempla proferri ad mali ipsius solamen. Pœnarum socios miseris releuamen habere. Solemus similitudinibus ægritudines varias mitigare. Tu non es primus, neq; vltimus: habes multos tibi similes, &c. Ecclesia Iudaica, sicut peculiariter floruerat, ita sine compare conquassata est.

Nun. Exprobrat Iudæis securitatem illam & delitias, quibus adulatores vsurpârint sibi pro Doctoribus & Prophetis, dum Ieremiam & alios peccata coarguentes respuerent. Sic Micheas exprobrat, quòd Prophetas sibi quæsiuerint, qui promitterent vberes vindemias, & copiosas messes, cap. 2. & Paulus 2. Thess. 2. iustè ait excæcari illos vt mendacio credant, qui veritatem non sunt amplexi. Per pœnitentiam occurritur iræ Dei: &, Si nos iudicaremus nosmet, à Deo non iudicaremur, 1. Cor. 11. vide & Esa. 6. Ne conuertantur & sanem, &c. Per catachresim vocantur hic Prophetæ Impostores, quorum onera vana, id est, visiones vanæ, & expulsiones, id est, materia exilij ab euentu dicuntur. Veri Doctores luminaria sunt, medici, seruatores, sal, &c. Falsi verò fontes aqua carentes. 1. Pet. 2. qualibus tamen mundus applaudere solet.

Samech. Inducit ignotos quosque interogantes ex summo ruinę stupore, An credibile vnquam fuerit, tam exquisitæ celebritatis vrbem ita vastari. Certè Ierosolyma terrestre quoddam Palatium Dei erat, propter Templum, vnde & salutis doctrina expectabatur iuxta insignem illam promissionem: E Sion exibit Lex, & Sermo Dei è Ierusalem, Esa. 2. Et Ezechieli promiserat Deus vrbem illam fontem & originem fore salutis toti mundo, Ezechielis 47. quo nullum maius gaudium esse potuit fidelibus.

A. Ain. Infert hostes proteruè insultantes miserijs populi, expressis emphaticè omnibus sarcasmi gestibus. Sic semper probris & subsannationibus hostium digni sunt ij, qui Deo placidè vocanti rebelles fuerunt.

Pe. Reuocat populum à præfatis hostium ludibrijs (quibus penè enecari poterat) ad rectum Dei iudicium. Non enim aliud Scriptura meditandum docet, q̄ impios ipsos esse, Dei flagella arcano consilio nos castigantis. Nec tamen illud ita est arcanum, vt aliquis excipiat: Quis ascendet in cœlos? Quis descendet in abyssos? Quis traijciet mare? Nam Deus satis patefacit suam voluntatem, verùm homines reddunt obscuram per infidelitatem & contumaciam. Dies antiqui emphasin habent: quasi dicat, Non biduo vel triduo, sed multis antè annis fuistis admoniti, &c.

Zade. Exponit clamorem populi ob immensam afflictionem, vnde pro auxesi iubet etiam murum vniuersum in ferias profundi lachrymas. Lachrymæ victi & vulnerati animi testes sunt. Pœnitentia debet esse ex corde, & non momentanea, quæ similis sit matutino rori, seu apud Oseam exprobratur. Vide Luc. 18. 2. Cor. 7. de compunctione animi, & assiduitate orandi.

Kuph. Requirit ab Ierosolyma eodem cum superiori argumento assiduam inuocationem, addita causa. Certè nullibi legimus Sanctos leuasse manus, nisi ad Deum: vide 1. Tim. 2. Eleuatio manus promptitudinis est nota: item subiectionis ad superos: denique deditionis coram victore. Porrò animæ hic paruulorum, non quoad fictitium Purgatorium dicuntur, sed quoad indignam necem, ob peccata maiorum.

Res. Fingit, vel potius dictat verba precum ad Deum singulari affectu. Particula illa, Vide cui sic feceris, nunc comparatiuè exponitur, quasi dicat, An alicui extra me: nunc absolute per emphasim, quasi dicat: Cùm sim tua hæreditas & semen benedictum, eò mirabilior hæc mea clades. Horrendum est matres paruulos ad mensuram palmæ, seu post abortum, seu post partum, atque dulciter in gremio gestatos præ fame necare. Et nisi huiusmodi quid sub Zedechia factum fuisset, frustrà mentionem faceret veridicus Propheta. Sic sub Ioram in obsidione Samariæ: sic etiam in vltima Ierosolymorum expugnatione factum legimus. Aequè horrendum fuit in Templo Dei Sacerdotes mactari, quos vel tangi Deus vetuerat, Psal. 105. & qui potius pecudes ibi iugulabant. Omnia inuertunt peccata.

Sin. Ponit querimoniam viduæ mulieris Ierosolymæ, seu Ecclesiæ de clade promiscua, attribuendo omnia iusto Dei iudicio.

Tau. Commemorat calamitates perpessas, terrores vocando Chaldæos turmatim & alacriter prouentes contra Ierosolymam. At si ipsi ritè peregissent festos dies, terroribus caruissent, de quo Ierem. cap. 17. Exclamatio illa: Quos educaui, & enexi, &c. tam Prophetæ quàm vrbi Ierosolymæ attribui potest, seu superiori quoque capite in Ain diximus.

Dispositio Capitis. 3.

Hvivs Capitis versus trinus, qui est

א Aleph. Continet prosopopœam, qua Propheta seu in persona Ierosolymæ, seu afflicti cuiuslibet deplorat immissam à Deo calamitatem, perstans semper in metaphora pastoritia. Frustrà ergo existimant, hanc lamentationem peculiarem esse Prophetæ, eò quòd in carcerem fuisset coniectus.

ב Bet. Habet querimoniam de multiuaria clade sub metaphora senij, vel morbi, & ferarum. Sic Ezechias quoque: Quasi Leo, inquit, contregit ossa mea, Esa. 38. Sunt & aliæ translationes ab hostibus arcem aliquam circumuallantibus felle & omni molestia: item à vespillonibus petitæ. In hisce hyperbolicis locutionibus semper tenendam est, non posse satis aggrauari magnitudinem doloris, quem pij percipiunt ex sensu & terrore iræ Dei.

ג Gimel. Continet metaphoram à feris petitam, quòd sit vidua Ierusalem vsque adeò cincta, seu laqueis implicita, vt euadere ampliùs non posit. Deus inijcit nobis varij generis compedes, obdurat sese ad vota nostra, adimit & obstruit omnem elabendi viam propter peccatum: secus tamen fidelibus, quàm impijs.

ד Dalet. Asperam instituit querimoniam de vindicta Dei, quem comparat Leoni & Vrso, carnali quadam intemperie, ad ostendendam grauitatem obsidionis.

ה He. Exaggerat quod superius dixit. Maius enim est in renes mittere sagittas, quàm instar scopi collimare in quéquam. Certè Iesus Saluator noster non tantùm scopum se exhibuit, sed vulnus quoque in latere accepit, & indignissimos pertulit sarcasmos: satiatus quoque est ad consummationem poculo myrrhato, &c.

ו Vau. Extollit amplificatione vehementi suam calamitatem, dum comparat Deum immanissimo Giganti, qui victo cuipiam dentes perfringat, & ignominiosè cadauer per puluerem trahat. Alij allusionem volunt ad lapillos in cibo vel pane latentes, qui insigniter dentes lædant in suaui comestione. Robur omne & spem apud Deum perijsse, significat nihil omnino esse integrum. At in spe contra spem credidit & Abraham olim.

ז Zain, Conuersionem habet ad preces. Ita solent pij post grauem in tentationibus luctam sese recolligere, & Dei misericordiam implorare per spem promissionis, eò maximè, quòd Deus semper retinet suum ingenium, & bonus est.

ח Heth. Commendat misericordiam Dei sempiternam, quasi restituta sibi & spe confirmata Ierusalem. Certè omnia suo tempore deficiunt. Exarescunt torrentes, metalla exhauriuntur, flumina deficiunt, prata item cum fructibus: At misericordia Dei manet inexhausta, & in mille generationes super fideles. Quin & super malos quotidie Solem exoriri faciens, &c. Emphaticè loquitur, quod anima sua dixerit, &c. Multi enim ore saltem dicunt quòd Deum habeant suam portionem.

ט Thet. Ostendit planiùs oportere eos credere, qui velint Deum misericordem & veracem experiri. Simul tradit cum encomio quid vera fides facere soleat. Expectat enim, hoc est, non præcurrit Deum. Item, quærit Deum, id est, vult se omnibus modis approbare Deo, quod impij non faciunt. Denique continet se in silentio & spe, Esa. 30. vide & Abac. 2. Aurea his subnectitur sententia, quòd commodiùs ista vniuersa procedant, vbi à teneris assuescitur iugo pietatis: quando quidem senes & adulti falsa opinione magis laborent. Vide Eccl. 12.

י Iod. Describit pulcherrima consignatione personam iugo Dei subiectam, seu fructum docilitatis, de qua priùs dixerat: Talis homo primò solitarius est, id est, non anachoreta, sed à corruptis vulgi moribus sese subducens, mundanis vtens, quasi non vtens, 1. Cor. 7. Secundò, sedet & tacet: acquiescens nimirum Deo sine murmure, dum suscipit super se iugum. Tertiò, ponit os vel faciem in puluerem, hoc est, meminit se esse mortalem, spernendo omnem ornatum & gloriam, contra quam impij altum sapere dicuntur, & os in cœlum ponere, hoc est, insolentia spirare, & erecto collo, ac nimium superciliosè Deo & hominibus obloqui. Particula, Si fortè, non dubitationis, vel fluctuationis est nota, sed humiliationis ac patientiæ, de qua & consequenter in percussione maxillæ, &c.

כ Caph. Celebrat misericordiam Dei ad consolationem piorum, argumento ducto à natura Dei sub metaphora hominis filios proprios, quamlibet sceleratos, non ex toto corde plectentis. Vide multis de misericordia Dei Psal. 103. Esa. 1. 26. Matth. 7. &c. Certè nisi Deus quasi vestitus sua clementia in medium nostri prodiret, absorberet horror omnes sensus nostros.

ל Lamed. Petit vicissim consolationem à natura Dei, mundanis & corruptis Principibus opposita, innuens conculcare vinctos terræ, verum iudicium peruertere fallaciter, à Deo omnino alienum esse. Alij volunt illa verba quiritantium esse Iudæorum, quasi ij æquo durius castigentur, Deo nihil aduertente Et sanè nihil peius, quàm si fingas Deum res humanas non curare.

מ Mem. Sumit iterum consolationem à diuina prouidentia, sine qua nihil omnino prouenit, seu bonum, seu malum videatur, iuxta illud: Ego Dominus, & nullus vltrà formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum, Esa. 45. Quòd cùm ita se habeat, non est conquerendum, maximè præuaricatoribus, de immissa afflictione, quasi illa temerè veniat: acquiescendum potius gubernationi diuinæ, qua mala non probantur, sed moderantur, ac terminantur, secundùm incomprehensibilem maiestatem & sapientiam. Alij ista omnia volunt à Propheta dici aduersus blasphemiam hypocritarum, quasi compescere velit acri obiurgatione tam crassum stuporem. Nisi enim persuasum sit nutu Dei omnia regi, quis in eum recumbet? quis non frenum ad omnem lasciuiam mordebit?

נ Nun. Admonet, & seq. Vide literam A.

A

נ Nun. Admonet vt posito torpore & tædio, quo quis se frustra macerat, in sese potius descendat, & ex corde seu fide non ficta Deo supplicet quod vnicum est in rebus aduersis remedium. Iol.2. dicitur: Scindite corda vestra,& non vestimenta. At maior pars lingua saltem ad Deum accedit,corde ab eodem longè remoto, Esa.29.

ס Samech. Commemorat sub figura orationis quæ & quanta sint perpessi propter peccatum. Vmbraculum ponere vel significat idem quòd castra metari, tabernaculis erectis, vnde excursio fiat ad trucidandos hostes: vel dicitur de integumento misericordiæ, quoniam aperta miseriarum visio parit sympathiam: vel quòd distantia sit posita à Deo propter peccatum, seu sequentia quoque exponunt, iuxta illud: Non est abbreuiata manus Domini,nec aures eius aggrauatæ, sed peccata diuiserunt inter nos & Deum, Esa. 59. Quisquilias reiectionis Paulus quoque peripsemata mundi appellat, 1.Cor.4. id est, scobes & ramenta. Sanè Deum ignominia afficientes & ipsi ignominiosi fiunt,1.Sam.3.

ע Ain. Pergit orando commemorare sua mala, & signa contritionis profert ob conscientiam peccatorum. Hæc quoque verba tam Prophetæ ipsi quàm vrbi Ierosolymæ possunt attribui per prosopopœam.

פ Pe. Exaggerat quod prius dixit de seria contritione cum certa spe auxilij. Per anthropopathiam fingitur Deus, quasi per fenestram è cœlo prospicere nos. Et nomen vindemiationis idem est quòd, ipsa visio cladis populi conficit mihi animum. Alij sic legunt, Præ omnibus filiabus, &c. quasi dicat Propheta se supra omnes muliebriter lugere.

צ Zade. Exponit noua orationis forma quanta mala pertulerit à Chaldæis. Aucupium & venatio cum modis omnibus viam elabendi præstruat, & lapidibus quoque iniectis in puteo,prædam conficiat,rectè ea metaphora dicit, Iudæa seu vrbs Ierosolyma cum Propheta se prorsus desperasse. Et Dauid exprimere volens desperationem,dicit se demersum fuisse in aquis profundis,Psal.69. Particula, sine causa, apponitur respectu piorum, non Zedechiæ & aliorum perfidorum.

ק Kuph. Erigit per fidem robur animi ad precandum & confidendum contra carnis & Satanæ suggestionem. Tale certamen & Dauid habuit, dum canit Psal.22. Deus mi vt quid dereliquisti me. Eximia enim est fides quæ statuit Deum esse suum: vicissim ingens est conseruatio infirmitasque carnis sentire se derelictum esse à Deo.

ר Res. Extollit quasi pro fructu precationis promptam Dei bonitatem, adiuncta ea prouidentia,qua nec calamitates populi sui ignorare possit,vt tandem misereatur, nec insolentiam hostium vt eosdem olim plectat. Non æqui Iudices erant causæ Babylonij: nam maximè odio gentis & religionis grassati fuerant: quemadmodum hodie multi contra nos peccatores. At Christus erit iustissimus vndequaque Iudex causarum.

שׂ Sin. Prosternit coram Deo æstum animi iustam vindictam implorantis, maximè ob ignominiam Deo & religioni incussam. Sessio & resurrectio significat totam hominis conuersationem,vt Psal.139. Et Canticum hic pro ludibrio ponitur.

ת Thau. Postulat confidenter vindictam Dei super hostes: sicut & alibi,præsertim aduersus Babylonem, Beatus, inquit,qui rependet tibi,&c Psal.137. Modus vindictæ ex ordine ponitur: excæcatio seu traditio in reprobum sensum,quod alij clypeum cordis, alij circumcinctionem vertunt, &, persecutio, hoc est, infinita & implacabilis ira. Magnorum facinorum magnæ sunt & pœnæ, quas tamen fideles impœnitentibus semper imprecantur,atque non tam optant per se,quàm diuinant per iustum Dei iudicium,de quo certissimi sunt.

Dispositio Capitis 4.

HVIVS Capitis versus.

א Deplorat in genere Templi Ierosolymitani ruinam: appellans, vel Templum, vel religionem aurum purissimum & obryzum,sed valdè obscuratum per Babylonios: addita epexegesi quòd etiam sanctuarij lapides dispersi sint ignominiosè. Abundauit quidem aureis vasis Templum Domini, sed preciosiora sunt vasa Ecclesiæ ipsi fideles, quibus neglectis, non mirum multa Templa cum superfluis ornamentis hosti cedere. Iam diximus suprà hanc lamentationem non esse de morte Iosiæ.

ב Deflet non minus Principes nobilesq; viros & præstantissimos quosq; ordines,auro puro forsan,vel ob vestimenta comparatos in contemptissimam abiisse sortem. At quid hodie ementiti illi nobiles,lasciuia tantùm & adulatione generosi expectare debent? Hic obiter tangitur impleta esse ea omnia,quæ in typo figuli Ieremias prædixerat cap.18.&c.

ג Auget comparatione miseriam obsidionis modis omnibus lachrymabilem. Per Thannim intelliguntur sæuissimæ belluæ,quæ alioqui Hebræis dracones sunt: & cùm ij non destituant suos catulos lacte,(quod per exertionem mammæ notatur) mulieres tamen Ierosolymitanæ coactæ sint famis necessitate relinquere suos infantes,& esse similes Struthionibus. Struthio enim stupidum animal, in mense Iulio parit oua,& abscondens in sabulo deserit,quæ postea calore Solis excussa prodeunt. Vnde & Iob.39. Dereliquit Struthio in terra oua sua, & in arena calida fouentur,&c. Multæ matres vel necessitatis vel lasciuiæ ergo neglectos suos partus sic curant hodie.

ד Exponit planiùs quod superius sub allegoria dixerat,Non sine affectu matrum prorsus aridarum.

ה Amplificat malum,& seq. Vide literam A.

ה Amplificat malum, quòd indignitas non tantum gregarijs pueris contigerit, sed delicatissimis in vrbe hominibus. Varijs abutimur modis delicijs & lauticijs cibarijs à longè petitis. Sic interdum vel puerulí repunt in holosericis vestibus, Damascenis, Attalicis, purpureis, coccineis & aureis filis consutis. Deliciamur in lectulis ventosis & pretiosis: quæ omnia mirè euertere potest Deus, vt tandem sagula interulaq; amiciamur, vel in sterquilinio iaceamus volutemurque. Curandum ergo ne cibaria vestimentaq; plus vltrà exquiramus, contenti parabilibus atque decoris. Huc facit parabola epulonis Luc. 16.

ו Extollit magnitudinem cladis Ierosolymitanæ per comparationem. Sodoma in momento perijt. Sodoma non libidine hostium deprædata est. At contrà accidit Iudæis. Comparatio ergo pœnam magis quàm culpam respicit. Quanquam enim fœditas Sodomitica non legatur inter Iudæos, tamen apertam Dei vocationem respuere, excellit vel peccatum Sodomiæ. Vide Ezech. 16. Esa. 1. Matth. 10. Tolerabilius erit in die iudicij Sodomæ, quàm ciuitati reijcienti Euangelium, &c.

ז Memorat insignia Dei dona, quibus quoad decorem & speciositatem Iudæa fuit ornata. Mentio verò Nazaræorum, de quibus plura Num. 6. duo importat: primò, comparationem ad cæteros lautiùs viuentes, cum Nazaræi præ temperantia exangues habiti fuissent: secundò, religionem strictiorem, & quasi minus dignam tam enormi clade, de qua consequenter.

ח Apponit incredibilem mutationem status superioris, maximè propter famem, qua vbi succus consumitur cutis astringi solet, & in rugas se luridas complicare, vt vix ossibus hæreat. Sic verbo Dei spreto nullæ, quamlibet exquisitæ ceremoniæ, Deo placere possunt.

ט Amplificat famis calamitatem à comparatione. Inde vulgò dicitur,

> Triste genus mortis miseris mortalibus omne,
> Est tamen in primis triste perire fame.

Prouentus agrorum sunt nobis instar gladij, vel vt tueantur à morte præ copia, vel vt interimant præ inopia.

י Addit alterum amplificationis membrum à prodigiosa strage maternæ inuersione, de qua & suprà.

כ Adhuc exaggerat vindictam Dei comparatam igni omnia absumenti, seu prædixerat Ieremias cap. 4. verbum effundendi: item consumptio fundamentorum emphaticè ponuntur.

ל Extollit quasi per exclamationem insignem Ierosolymæ magnificentiam, quæ tamen citra omnium hominum opinionem deuastata sit. Certè non solum oderant vicinæ quæq; gentes, sed etiã formidabant Iudæos toties victores à seculo. Hinc innuit Propheta, non tam humanis viribus quàm diuina vindicta Ierosolymam excidisse.

A. מ Incipit verissimas reddere causas tantorum malorum, accusans Pseudoprophetas & Sacerdotes impostores, atque indignissimas passim cædes. Multis regnis ista hodie quoq; frigidam suffundunt tam tolerabiliter neglecta. Non debemus esse contenti solis titulis officiorum sub salute nobis commendatorum.

נ Ponit iterum pro causa mali spiritualem illam cæcitatem, quã luce verbi Dei destituti passim cæcutire solent, vt vnatur in omnem pollutionem. Emphasim habet, quòd eorum quoq; sanguine polluti, sint nefarij, qui ne vestes quidem eorum contigissent: id est, omnibus modis innoxiè: vel, particula illa damnat Sacerdotes & Leuitas, quos vel in platea nemo temerè attingebat, nec ipsi quicquam immundum. Ait ergo Propheta vsqueadeò eos degenerasse, vt non potuerit non contingere ipsimet vestimenta vulgarium: id est, immunda quæq; tractare per præuaricationem.

ס Mimesim habet vel verborum Pseudoprophetarum aduersus veros Prophetas, quos non secus ab se repellebant, ac si immundi essent instar leprosorum (de quibus Leuit. 13) vt etiam inter gentes diuulgatum sit, Iudæos tam præfractos non posse libertatem patriæ obtinere: vel, videntur verba esse hostium, Iudæis iam captiuis insultantium: vel, pro se Ieremias, aut in persona Ierosolymæ dolens, memorat vsum illum legalem, quo (ad leprosos literaliter) dicebatur, Discedite, discedite, &c. vt iam tanquam reipsa immundi discesserint dissipatique sint per varias gentes, profiteanturque se non posse reuerti amplius ad incolendam patriam.

ע Affirmat Deum par pari meritò rependere, vel eo nempe quòd Pseudoprophetæ non sint reueriti veros Prophetas, vel quòd promiscuè inter Iudæos Prophetarum & Senum reuerentia nulla fuerit. Hæc ex animo semper sunt meditanda. Aut intelligit, quoad hostes, Sacerdotibus & Senibus in captiuitate nullum prorsus impēdi honorem. Porrò particula Non respiciet vltra, &c. non excludit veritatem prædictionis de liberatione certissima post 70. annos, sed respectum habet extremi status populi, cui omnes viæ præstructæ esse videbantur.

פ Adfert aliam interitus causam: nempe vanam in Aegyptijs fiduciam, quibus contra Deum fœdere associati fuerant.

צ Deplorat obsidionis atrocitatem, qua fieri solet, vt balistis & catapultis coerceantur ambulantes in plateis, & in expugnatione omnes viæ elabendi præstruuntur.

ק Designat hyperbolica locutione nullibi ipsos fuisse tutos ab hostibus.

ר Deplorat miserrimam Regis vltimi Zedechiæ captiuitatem, cùm is expugnata vrbe euadere tentasset. Vnctio regia cum oleo illo prophetico significabat dona Dei plurima Regi, typo Messiæ cõferenda. Quia idcircò populi fœlicitas à Rege pendebat, & regia dignitas pignus erat fauoris Dei, visa est protinus cessare benedictio, vbi solum omne euersum est, magis sanè in Zedechia ablato quàm in Iosia domi sepulto. Vtinam hodie istorum meminissent Iudæi omni Templo & regno carentes. Nec hic refertt Zedechiam fuisse deterrimum respectu Iosiæ: nihilominus enim vnctio ipsa typus erat Messiæ ad regnandum promissi. Inde ipse idem vbi venit, Christus Domini apellatus est, etiam à Simeone Luc. 2. Et, Christus noster captus fuit & interfectus à Iudæis, sed tamen morte sua restituit nobis spiritum vitalem, &c.

ש Temperat dolorem, & seq. Vide literam B.

ʋ Temperat dolorem vicaria hostium punitione, quos hic ironicôs interpellat. Maior erat acerbitas Iudæis impeti illos ab Idumæis, Chaldæorum etiam antesignanis, quando ambæ gentes originem ducebant à duobus germanis Esau & Iacob. Vide de calice & de Idumæis Iere.25.49. Mich 7. Psal.137.

B. ת Claudit hoc caput consolatione de interitu populi Edom, memorans priùs exactissimam Dei vindictam erga populum suum. Non intelligit hic nunquam posteà Iudæos plectendos, aut in exilium abituros, quod sanè etiam hodie sustinent per Romanos, nec completæ iniquitatis meminit, respectu culpæ Iudæorum, quam postmodum etiam auxerunt repudiatione Mesiæ, sed loquitur tantùm de completa transmigratione, vrbe & Templo in solitudinem redactis, quod impossibile esse videbatur. Et quò maior clades in posterum quoq; illos manere non potuit. Vide de eadem loquendi forma & Esaiam cap. 40. Porrò hoc maximè differunt Threni a prophanis Elegijs, quòd hæ nullam habent intersertam consolationem.

Dispositio Cap.5. quod continet precationem, cum querimonia.

PARTES Cap.5.

- Parat Propheta attentionem ex abrupto per anthropopathiam, dignum esse docens, vt Deus recordetur calamitatum sui populi, quos emphaticè opprobrium appellat. Recordari verò Deum nihil est aliud, quàm auxilium, quod latere videbatur, produci ab eo in apertum sine mora.
- Instituitur flebilis commemoratio eorum, quæ tristissima populus Iudaicus sit perpessus. Vbi
  - Enumerat speciatim mala obsidionis & captiuitatis: nempe
    - Amissionem vniuersi territorij & priuatarum ædium per Chaldæos.
    - Orbitatem multiuariam, quæ contigit per famem, pestem, gladium & captiuitatem.
    - Penuriam ingentem, quæ non quæritur de lauticijs, nec de vini triticiue defectu, sed de aqua & ligno, vulgaribus alioqui vbilibet & cuiuis.
    - Oppressionem intimam, quæ non à tergo, vel à latere, vel à facie immineat, sed quæ in ceruicibus omnino sedeat.
    - Mendicitatem extremam, qua ad apertos hostes confugere coacti sint hinc & inde. Hęc erat aperta maledictio loco eius quod Dominus dixerat Deut.15. Tu dabis mutuum alijs, & non mutuaberis, &c.
    - Plagas vindictæ Dei super eis geminatas: quasi dicat, Non nostra solùm, sed parentum quoq; peccata luimus. Quod tamē nec in Dei nec in maiorum cōtumeliā dicitur, sicuti olim veteres exprobrabant, Exech. 18. Patres nostri comederunt vuam acerbā, &c. sed auxesim habet malorum ad mouēdum affectum, vt tandem misereatur Dominus, posteros incredibiliter puniens.
    - Contumeliosam captiuitatem, qua iugum seruorum, hoc est, ignobilium & incircumcisorum ferre coguntur.
    - Necessitatem durissimam, qua cum periculo vitæ ac si in deserto viuerent, coacti sint panem quotidianum procurare: Hæc enim omnia rectiùs quadrabunt ad tempus & totam duratione obsidionis.
    - Tabem, squalorem & exiccationem totius corporis prę nimia fame hyperboli adumbrata.
    - Stuprationem promiscuam matronarum virginumque Iudaicarum, quæ nomine oppressionis vel afflictionis honestiùs exprimitur.
    - Immanem illam barbariem, qua Principes ignominiosè suspensi sunt, & Senes nulla reuerentia habiti. Alij hic atrocius quiddam intelligūt: nempe coactos fuisse miseros proceres ad manus sibi inferendas.
    - Seruitutem indignissimam, qua adolescentes ad molam seu pistrinum coacti sunt, instar asinorū, & ad operas calonum etiam cum dispēdio virium teneriorum. Frustra enim hic Ieronymus & alij Sodomiticum quid cogitant.
    - Vastitatem illam vrbis, qua nec iudicia exerceri tandem possunt in portis, nec adolescētes choralia canticaq; sua, seu in Tēplo, seu in vrbe intelligas. Et in Chaldæa nihil horum illis permittebatur, vt sic veluti extingueretur nomen populi Israelitici, nec aliqua amplius fieret coalitio.
    - Extremam mœstitudinem & luctum, qui nullam admittit hilaritatem, & morte ipsa est deterior.
- Ponitur, Subiungitur, & seq. Vide literam A.

A. Ponitur per confessionem causa tantorũ malorum. Vbi

Per exclamationem defleт Ieremias erepta esse sibi omnia ornamenta. Corona enim non tantùm pro diademate, sed pro symbolo lætitiæ & ornatus accipitur. Quoniam & hodie in conuiuijs, ludis & spectaculis coronarum est vsus. Nec hic exasperat exulceràtue corda ad fremendum aduersus Deum, sed consilium suggerit humiliationis, vt sentiant meritas se luere pœnas, vnde consequenter addit: Væ nobis, quia peccauimus. Scelerum ergo agnitio magis quàm sensus plagarum materia est pœnitentiæ.

Ponit symbolum veræ contritionis, seu humiliationis, id quod à corde confitentium incipiens in facie & oculis definit. Lachrymæ sunt succus cordis contriti, seu liquores animæ patientis. Obtusa acies oculorum, seu hebetatio, de qua Dauid quoq; sæpius, facilè prouenit ex serijs lachrymis, quibus tamen anima illuminatur.

Assignat causam præcipuam doloris: quòd nempe id promeruerit populus præuaricatione sua, vt sanctissimus Dei locus ad horrendam vastitatem redigeretur, in qua vulpes solùm discurrerent. Prædixerat hæc Ieremias satis copiosè suprà cap. 7 &c.

Subiungitur imploratio auxilij diuini pro restitutione Ecclesiæ ac politiæ. Vbi

Præmittit Ieremias, oculis quasi ad Deum sublatis, celebrationem maiestatis sempiternæ, vt ostendat frustra Deum in terris quæri, aut rebus secularibus alligari, nec esse desperandum in periculis de eius omnipotentia. Solium cum sessione, significat mundi gubernationem æquissimam, vt vt nobis confusiusculè quædam currere videantur, &c.

Contendit ex fide (ideoque familiariter) cum Deo pro matura opitulatione, quando plus satis oblitus esse videatur suorum afflictorum. Simili modo Dauid & Sancti quique expostulationem suam in sinum Dei deposuêre, ad argumentum exactæ iam pœnitentiæ per fidem.

Petit materiam amplioris fiduciæ atque pœnitentiæ: nempe conuersionem (passiuè) à Deo. Certè enim omnes in diuersum claudicabimus, nisi à Deo renouemur. Alij conuersionem istam ad externam restitutionem restringunt, prout & sequentia verba explanare videntur.

Conditione claudit & firmat suam precationem, quòd nimirum sicut impossibile est Deũ fœderis sui cum populo Iudaico percussi obliuisci, ita impossibile sit eum perpetuò destitui: Nisi, inquit (respectu habito ad superiora) reijciendo reiecisti nos, &c. Alij duriorem volunt esse orationem, quæ implacabilem Deum esse queratur, & tentationũ insultus exprimat: Sed tu, inquit, repudiando repudiasti nos, &c. Certè fieri non potest vt Deus populum suum, quem elegit, reijciat vnquam, Rom. 11.

Finis Threnorum, seu Lamentationum Ieremiæ.

ΕΙΣ ΤΑΣ ΔΙΑΤΑΞΕΙΣ ΚΑΙΝΑΣ ΣΥΝ-
θήκας καὶ ἐπιστολὰς τῶν Ἀποστολικῶν, καὶ τὰς
Ἀποκαλύψεως Ἑξάστιχον.

Φαῦλοι ἀνθρώπων ἄκρα ὦρος ὁ ῥύπτουσι,
Καδμείαν μογεροῖς καὶ σερυβάλλοισι κακαί,
Ταὶ δὲ ἐπεὶ φλογεροῦ πᾶσαι μινύθουσι σιδαροῦ
Χρυσελκᾶ χρύσον τᾶδε μαρεῖ δὲ φλογί.
Αὐτὶς δ᾽ ἔντι φέροντι φαύλας κακὰ μύρια θνατοῖς,
Λοιμὸς τὰς ψυχᾶς. στόματι μοῖρα κακά.
Ἀλλ᾽ ὃς ζατάσῃ τάγε θεῖα ῥήματα γνῶναι,
Οὐκ ἀπολεῖ ψυχάν, στόμα φυλάξοι ἑόν.
Οὗτος κεν μογέει διατάξεις τὰς στεφαΐσιν.
Τοῦ δὴ ἐπιστάμενοι ἴδμεναι ἠδὲ λάβεν.
Ἑρμηνευθεὶς γραφὰς πανυρθεῖς γὰρ τίνος ἀπαιτεῖ
Καὶ κενὰ μὴ σπάζει, σύμφορα πάντα λέγῃ.

Θωμᾶς Ἀγαῖος Καβλυνῶος.

ἌΛΛΟ.

Ὡς μὲν ἀπ᾽ ἀλλήλων, εἰ αἰσθήσεις, διαλείπει,
Σῶμα βροτῶν ἀφιλὲς, καὶ τὸ ἄγαλμα κενόν.
Τοῦτο γὰρ ἄγγραφον ὄν, κωφὸν ἢ μιμήματ᾽ ἀπαρκές,
Ἀλλὰ μύαν κεῖνον, φλὲψ δὲ ἄπειρα τρέφει.
Τῶς εἰ μὴ γραφικὴν ἄσσον τά γε νεῦρα συνάπτῃ,
Ἡ διανοία κλάσῃ. φῶς ἢ ἄπεστι λόγου.
Μὴ τυχὴν δὲ σοι ἀρκεῖ ἀναγνοοῦντι τοῦτον,
Ἀρχηγέτῃ καθ᾽ ἅπερ δεῖ γε ἄγοντι λίνου.
Μή ποτε οἱμοῦ ἀπόρου ἀφ᾽ ὅδου μήκει διαπίπτῃς,
Τὰς Στεφάνου δέλτους πολλάκι χερσὶ δίνον.
Ἔνθεν ἔπειτα μάλιστά σε καρπώσασθαι ἰδήσεις,
Ὡς μόγις ἐν ῥήτραις οὐ σοὶ ἔπεστιν ἔχειν.

Ματθαῖος Σκαρίζαιος Χβιΐδης.

VITA CHRISTI SANCTISSIMA, ex Euangelistis in Tabulam contracta, quæ ab omnium hominum vita discernenda est: quandoquidem hîc omnia casta, pura, sancta, & cum miraculo sunt.

Describitur in Euangelio Iesu Christi

- Conceptio miraculosa, de spiritu sancto, sine humano semine, absq; peccato, vt conceptos humano semine in peccato sanctificaret à peccato.
- Natales generosi, seu genealogia præclara. Nascitur enim ex Patriarchis, Regibus & Sacerdotibus, eò quòd sit pater futuri seculi, Rex ac Princeps pacis & Sacerdos in æternum.
- Natiuitas miraculosa. Nascitur enim ex Virgine, inuerso naturæ ordine: sic enim Patres & Prophetæ prædixerunt: vt videlicet immundam natiuitatem nostram mundaret: item, vt Mediator, Caput, Sacerdos & Pontifex noster esse posset.
- Circumcisio. Est enim Legi subiectus: pro nobis videlicet, non tantùm officijs Legalibus, sed etiam maledictioni & pœnæ, quam nos eramus meriti, vt fieret hostia pro nobis, placans Patrem & liberãs nos à maledictione Legis. Atq; hæc circumcisio Christi in Cruce maximè impleta est, sanguine pro omnibus effuso.
- Nomen, quod est Iesus. Ipse enim saluum facit populum à peccatis eorum.
- Infantia. Vbi describitur
  - Pastorum transitus in Bethlehem, vt videant Iesum natum, qui postea de Christo nato testificantur.
  - Christi adductio in Templum.
  - Magorum aduentus, vt Christum natum videant, & adorent.
  - Fuga Christi in Aegyptum, vt nos exules in patriam reduceret.
  - Tyrannis Herodis, qui, vt Christum, pro salute hominum natum, perderet, pueros interfici iussit.
- Pueritia & adolescentia. Vbi describitur
  - Mansio Christi in Templo, inconsultis parentibus, vbi specimen suæ vocationis exhibet, disputans haud dubiè de aduentu & regno Messiæ, quod Iudæi mundanum fore arbitrabantur.
  - Obedientia, quæ parentibus debebatur.
- Iuuentus. Vbi describuntur, & seq. Vide literam A.
- Passio: ne videlicet nos pateremur æternum. Hic considerentur
  - Acta in
    - Horto: vt,
      - Lucta & pauor.
      - Proditio.
      - Præhensio, &c.
    - Curia Hanę & Caiaphæ: vt
      - Quæstiones.
      - Accusationes.
      - Condemnatio.
      - Contumeliæ, &c.
    - (Atque hæc omnia propter nos Christus suscepit, vt pro nobis satisfaceret.)
    - Domo Præsidis.
    - Loco Caluariæ.
  - Septem verba Domini in Cruce.
  - Miracula quæ in Passione acciderunt, quæ & mortis Christi precium commendant & patientis maiestatem.
  - Effectus.
- Crucifixio, vt chirographum nobis aduersum cruci affigeret, Coloss. 2.
- Mors, vt eius morte vitam haberemus æternam.
- Sepultura, vt & nos in Christi sepulchro iaceamus: dum videlicet patimur hanc carnalẽ naturam mortificari, & fide expectamus resurrectionem.
- Resurrectio, quæ facta est propter nostri iustificationem. In Resurrectione verò considerentur, historia resurrectionis, effectus, applicatio, quæ fit in hac vita per fidem, qua credimus verè nos recidi propter hunc resuscitatum: item testimonia Resurrectionis, &c.
- Ascentio, de quo lege in Actis apud Lucam, qui describit, Vnde & quando ascenderit, qui testes Ascensionis sunt. Tu hic de effectu etiam Ascensionis & applicatione cogitabis.
- Regnum Christi, quod non esse mundanum ipsemet Christus ostendit: quod quidem nos in persecutione consolatur.
- Iudicium illud vniuersale iucundum pijs, terribile impijs. Quod fiet ex libro Vitæ Apoc. 20. id est, iuxta Euangelium. Qui enim credit, habet vitam æternam: qui non credit, condemnabitur.

Baptismus, vt eum nobis iam pro circumcisione proponeret, atque nos à peccatis mundatos esse demonstraret.

Tentatio, vt nobis tentatis succurreret, vt tentatorem vinceret, vt & nos in illo vinceremus.

Ieiunium, vt cibus primi hominis, quem præuaricatione gustauerat, hoc Domini ieiunio solueretur.

Peregrinatio, quam partim docendi, partim aduersarios vitandi causa suscepit. Peregrinatione fatigatus est, vt viam nobis in cœlum faceret, ac nos in patriam illam æternam duceret.

Discipulorum vocatio ac electio, vt per hos per totum mundum EVANGELII doctrina spargeretur.

A. Iuuentus. Vbi describuntur res gestæ, quæ partim humanitatis, partim Diuinitatis sunt testimonia. Vt sunt,

Conciones, quarum aliæ

Simplices, quarum præcipuæ sunt ad

- Nicodemum de iusticia fidei, Ioan. 3.
- Mulierem Samaritanam de aqua viua & Messia, Ioan. 4.
- Turbas de beatitudine: De vera Legis interpretatione, Matt. 5. de eleemosyna, precatione, ieiunio, sollicitudine, Matth. 6. De iudicio temerario: de Pseudopropheris cauendis, Matth. 7. De Ioanne, Matth. 11. De timore Dei, Luc. 11. De manducatione corporis & sanguinis sui spirituali, Ioan. 6. De veritate doctrinæ suæ, vbi & reprehendit eos, quòd quærant eum interficere, Ioan. 7. 8.
- Apostolos quid agere debeant, quid eos pati oporteat, Matt. 10. De sua passione, & cruce Christianorum, Matthæi 16. De præmio veræ confessionis de Christo, Matth. 16. De humilitate exemplo pusilli: de scandalo, igne, sale: de Angelis puerorum: de fratre corripiendo: de ligando & soluendo, Matth. 18. Marc. 9. De desolatione Hierusalem, consummatione seculi, & signis aduentus Christi, vbi præcipit cauendum esse luxum, superbiam, auaritiam. Item orandum & vigilandum esse, Matth. 24. De dilectione mutua, Ioan. 13. De diuinitate sua, fructu mortis suæ: de Spiritu eiusque officio: de pace sua, Ioan. 14. De fide & dilectione sui per similitudinem vitis & palmitum, Ioan. 15. 16. De patientia ibid. De regno Christi, Act. 1.
- Ciuitates, in quibus plurimas virtutes ediderat, quibus ob ingratitudinem exitium minatur, Matth. 11.
- Pharisæos, de debitoribus, Luc. 7, De mundicie interna & delectu ciborum, Matth. 15. De diuortio, Matth. 19. De Messia, cuius filius sit, Matth. 22. Item cùm multum Væ illis pronunciat, Matth. 23.
- Hierusalem, vbi ei exprobrat, ac calamitatem prædicit, Matth. 23. Lucæ 19.
- Mulieres plorantes ac sequentes Christum, Luc. 23.

Parabolicæ de

- Semine, quam & interpretatur.
- Zizanijs, interpretatur etiam hanc.
- Grano sinapis.
- Fermento.
- Thesauro.
- Negociatore.
- Verriculo.
- Seruo debitore.
- Pastore & ouibus, Ioan. 10.
- Eo qui inciderat in latrones.
- Amico ætes panes petente mutuo.
- Cœna magna.
- Centum ouibus, decē drachmis, & filio perdito.
- Diuite epulone & Lazaro paupere.
- Pharisæo & Publicano.
- Operarijs.
- Homine genere claro.
- Patrefamiliâs plantante vineam.
- Rege qui fecit nuptias filio suo.
- Decem virginibus.
- Talentis.

Insignia quædam, & seq. Vide literam B.

B. Insignia quædam Christi facinora ac miraculosa, quorũ hæc sunt præcipua:
- Ex aqua vinum fecit in nuptijs, vt gloriam suam manifestaret.
- In festo Paschæ eijcit ementes & vendentes è Templo, vt significaret Templum Dei ab omnibus peccatorum sordibus purgatum esse debere.
- Curat puerum Reguli, leprosos, Centurionis famulum, socrum Petri, paralyticum, manum aridam, languidum ad piscinam, mulierem sanguinis profluuio laborantem, surdum impeditæ linguæ, cæcos, mulierem contractam, hydropicum, & c.
- Eijcit Dæmonia & liberat Dæmoniacos.
- In verbo eius capitur ingens piscium multitudo.
- Filiam Principis, adolescentem viduæ filium, & Lazarum suscitat.
- Sedat tempestatem magnam verbo.
- Duobus piscibus & quinque panibus 5000. hominum, septem panibus 4000. pascit.
- Ambulat super mare.
- Transformatus est coram Discipulis, præsentibus Mose & Helia.
- Maledicit ficui & arescit.
- Ad vocem Christi, Ego sum, milites in terram prosternuntur.

Disputatio crebra qua sese ac alios defendit, refellit verò hostes veritatis ac sectarios.
Reprehensio errorum aduersariorum. In hoc enim venerat vt errores corrigeret.
Lotio pedum, quam, quid sibi velit, ipsemet interpretatur.
Institutio Cœnæ in memoriam mortis suæ.
Oratio, in qua nunc gratias agit, nunc petit, seu deprecatur.
Institutio ministerij, vt ædificetur Ecclesia.

AD LECTOREM.

Colligis hinc Christi quàm sit sanctissima vita,
Et tamen hic pœnas, exitiumq; tulit.
Languores igitur portat nostrumq; reatum,
Vt nos sanctificet, restituatq; pios.

Dispositio cap. I. Matthæi Euangelistæ.

DESCRIPTIO Christi,

- A natalibus: Demonstrat enim quòd hic Iesus is sit, quem Patribus Deus iam olim promisit: hoc faciebat vt ostenderet qua generationum serie ex Abrahamo & Dauide, iuxta oracula Dei, natus sit. Sciebat enim hoc principium esse omnium eorum, quæ ad fidem Iudæis faciendam requirebantur. Ac statim in initio Iesum Christum, Dauidem & Abrahæ Filium vocat, vt Iudæorum animos attentiores in Patrum Catalogo, quem subijcit, expendendo, reddat. Hi enim duo sunt ex patribus præcipui & principaliores, & reliquorum velut capita quædam, quorum existimatio & memoria Iudæis omnibus semper sacrosancta fuit, præsertim propter promissiones illis de Christo, ex ipsorum semine nasciturо, factas. Voluit hac ratione & promissionem primùm Adæ in Paradiso factam, & post diluuium Abrahæ repetitam, Dauidi renouatam inculcare.
- A Parentibus. Vbi ostendit quòd
  - Iesus non Iosephi filius sit, aut ex Iosephi semine cõceptus, vt Iudæi putabãt, Matt. 13. Ioan. 6. id probat, quia
    - Iesus in vtero Mariæ conceptus est, antequam congressi essent.
    - Ioseph vir iustus, sciens Mariam à se non esse cognitam proposuerit illam se relicturum, & clàm ab ea discessurum.
  - Iesus conceptus sit de spiritu sancto, quod probat
    - Cœlesti testimonio: videlicet Angeli.
    - Causa rei: quare videlicet oportuerit istum ex Spiritu Sancto concipi, & non vulgari modo. Ideò commodissimè additur conditio futura quis puer ille futurus sit, vt dignus fuerit, non ex virili semine, sed è Spiritu Sancto concipi. Ne verò putaretur rem agi fictam, declaratur Spiritu prophetico, iam olim ita prædictum, huius Virginis conceptum & partum.
  - Non solùm à Virgine conceptus sit, sed & ex Virgine natus. In hoc enim est Euangelista, vt ostendat Mariam ante partum à Iosepho non esse cognitam: vt maneat veritas oraculi, non solùm concepisse, sed & peperisse Virginem. Malè colligit ex hoc loco Heluidius, Mariam posteà cognitam à Iosepho plures filios peperisse. Colligit enim primùm, præter Euangelistæ mentem, ex verbis Euangelistæ: deinde ipsa quoque verba non euincunt hanc sequelam. De qua re vide Hieronymum.
- A nomine, quo quid acturus & præstiturus sit, significatur: nẽpe saluaturus populũ suũ à peccatis suis.

Dispositio Capitis 2.

Loci Cap. 6.

- Reuelatio Christi nati. Vbi describitur.
  - Locus natiuitatis Christi.
  - Tempus natiuitatis: videlicet cum Rex alienigena regnaret.
  - Quibus reuelatus: Pastoribus & Magis, Iudæis & Gentibus, vt Christus tam Iudæis quàm Gentibus natus esse crederetur.
  - Vbi quæsitus à Magis: Hierosolymis in loco celebri.
  - Confessio Magorum de Christo Rege Iudæorum.
- Turbati Regis Herodis fraudulentia. Vbi describitur
  - Subdolum ac crudele Herod's ingenium.
  - Sors Regis Christi & regni illius. Principes enim mundi mox ad rumorem illucescentis veritatis turbati, veritatẽ Christi ac pios etiã omnes extinguere conãtur.
  - Astus, hypocrisis, & impietas Herodis, qua concilium cogit contra Christum, & Magos clàm ad se vocat.
- De Christo inuento & adorato. Vbi docetur
  - Quo duce ad Christum venerint: Duobus videlicet indicijs, oraculo Prophetico & Stella.
  - Quo affectu fuerint Stella visa. Sic solent pij peracta tentatione indicibili gaudio affici, quando iucundissimum diuini fauoris splendorem recipiunt.
  - Ingressus ad Christum.
  - Adoratio Magorum.
  - Xenia Magorum pro consuetudine, qua solent Reges muneribus coli & agnosci.
  - Oraculum admonitorium, quo Dei erga Christicolas prouidentia demonstratur.
- De fuga Ioseph in Aegyptum. Vbi describitur
  - Oraculum Dei per Angelum de fuga.
  - Quamdiu in Aegypto manendum.
  - Ratio fugæ.
  - Obedientia Ioseph.
- De sæuitia Herodis: qui locus tria habet,
  - Quàm immani crudelitate in Bethlehemiticos infantes Herodes iratus sæuierit.
  - Vnde motus in hanc iram exarserit.
  - Loci Prophetæ isto facinore Herodis adimpletionem.
- De reuocatione Ioseph per Angelũ. Vbi describitur
  - Apparitio Angeli.
  - Præceptum Angeli.
  - Ratio præcepti.
  - Obedientia Ioseph.
  - Quò ex Aegypto venerit.

Descriptio Capitis 3.

QVATVOR partes Capitis. 3.

- Descipiptio Ioannis præcursoris Domini.
  - A prædicatione, quæ bimembris est:
    - Docet quid sit faciendum.
    - Reddit rationem illius.
  - Ab austeritate vitæ, quam declarabat in tribus, vestitu, zona & cibo.
- Populi accursus ad Ioannis baptismum, & confessio.
- Concio Ioannis ad Pharisæos & Sadducæos. Vbi
  - Opprobrat illis non propriam tantùm, sed & paternam malitiam, cum dicit: Progenies viperarum.
  - Obiurgat illos acriter per interrogationem, cum admiratione coniunctam.
  - Admonet eos ne de generis origine glorientur: nam nasci ex sanctis patribus nihil planè prodest, si non eorum fidem, pietatẽ & obedientiam imitemur.
  - Minatur illis excidium, quod per Romanos postea illi genti allatum est. Facit autem id similitudinibus arborum infructiferarum & agricolæ triticum suum purgantis, quibus iudicium Dei, quod Israeli imminebat, ob oculos exponit. Vbi per Aream populum Israelis, per horreum regnum Dei, per ventilabrum sermonem regni, per triticum electos, per paleas reprobos, per ignem supplicium impiorum intelligit.
  - Ponit discrimen inter se & Christum. Quod qua ratione faciat, exponit Lucas Lucæ 3. Putabant enim Ioannem esse Christum.
- Quibus initijs manifestatio Christi cœperit. Huius loci partes sunt
  - Cur Christus, & vnde, & quando ad Ioannem venerit.
  - Quomodo Ioannes ministerium baptismi Christo negauerit.
  - Quam ob causam Christus baptizari voluerit, & sumitur ratio ab ipso Ioannis baptismate, quod diuinitùs erat institutũ, huic se subdere genus erat iustitiæ.
  - Quomodo per apparitionem Spiritus Sancti, & vocem paternam cœlitùs delapsum inauguratus sit.

Dispositio Capitis 4.

PARTES Cap. 4.

- De tentatione Christi. Vbi describitur
  - A quo ductus: A Spiritu.
  - Quonam ductus: in desertum.
  - In quem finem: Vt tentaretur à Diabolo.
  - Ieiunium Christi miraculosum.
  - Descriptio tentationis Satanæ. Vbi disce
    - Quàm sit callidum & astutum tẽtatoris huius ingenium: obseruata enim tentandi oportunitate, filios Dei aggreditur, vt hic Christum dum esuriret.
    - Quibus armis Satã Christum impugnauit.
      - Veritatem paterni testimonij impugnat.
      - Affectu inanis gloriæ, ac fiducia diuinæ protectionis, res periculosas subire suadet.
      - Promittit illi regnum mundi, modò à Deo ipso deficiat.
    - Quomodo Christus hæc ignita Satanæ tela exceperit: videlicet verbi Dei telo.
  - Ministerium Angelorum deturbato Satana.
- Quomodo prædicare cœperit. Vbi describitur.
  - Secessus Christi.
  - Causa secessus.
  - Prædicatio Christi, quæ eadem est cum Ioannis prædicatione.
- De vocatione Discipulorum. Vbi vide
  - Quos vocet. Hic disce,
    - Qui fuerint: Petrus, Andreas, Ioannes, Iacobus.
    - Quales vel cuius conditionis: Erant enim piscatores.
  - Ad quid: vt videlicet ministri essent prædicandi regni cœlorum.
  - Quando: Quia prædicationis suæ initio, vt dictorũ ac factorũ spectatores essent.
  - Quomodo vocat, hoc videre est in Luc. cap. 5. Miraculosam piscium capturã doctrinæ subijcit, qua vocandis virtutẽ Euangelij regni Dei ob oculos exponeret.
  - Quomodo vocati se gesserint, vbi & natura fidei, & virtus diuinæ vocationis ostenditur.
- Quomodo Christus in Galilæa primùm circumeundo, docendo, & malè affectos sanando, nominis sui celebritatem per totam Syriam prouexerit.

Dispositio Capitis 5.

PARTES Cap. 5.

- De credentium fœlicitate, in ipsa etiam mundi huius infœlicitate, vbi docemur quid expectandum sit Christi discipulis in hoc seculo, propter quem patiantur, & quid tandem in cœlis accepturi.
- De Apostolis, qui fœlicitati isti studio pietatis respondere debebant. Vbi
  - Docet quid sint terræ & mundo, ex officio & ministerio regni cœlorum futuri: videlicet sal terræ, & lux mundi.
  - Monet illos vt ad quod electi sunt munus concreditũ fideliter obeant, sciantque se futuros in hoc mundo velut ciuitatem in edito monte sitam: omnibus videlicet exempli causa propositos: & veluti lucernam in domo accensam & super candelabrum positam vt luceat.
  - Adiungit incitamenti gratiã finem horũ: nempe gloriam Patris cœlestis. Vbi docet
    - Quid faciendum sit verbi Ministris: Luceat, inquit, lux vestra, id est, Gratiam diuinæ cognitionis, quam per me accipitis, proferatis in apertum.
    - Vbi debeat lucere lux Ministrorum: Corã hominibus, non in seipsa.
    - Quomodo lux hæc lucere debeat: Vt videant, inquit, opera vestra bona. Intelligit hic per bona opera, fructus Apostolici muneris, quorum gratiã Apostolos in mundum misit.
    - Quis finis spectandus verbi Ministris: videlicet gloria Patris cœlestis.
- Vera & genuina Legis diuinæ explicatio, contra illius corruptionem quæ per Pharisæos & Scribas erat introducta, huius loci partes
  - Præfatio, quæ habet tria membra
    - Negat se ad destruendam Legem & Prophetas venisse.
    - Vehementi assertione contendit Legem esse adimplendam, ita vt ne iota quidem vnum sit præteriturum ex Lege.
    - Quantam iustitiam Lex Dei à nobis requirat, id quod Legis expositione demonstrat.
  - Expositio Legis
    - Non occides, vbi quid vetet & quid præcipiat ostendit.
    - Non mœchaberis, vbi & visus libidinosus dãnatur, & occasio.
    - De repudio, vbi docet nõ ex qualibet causa repudiendam esse vxorem.
    - Non peierabis, vbi quoduis iuramentum temerarium ac illegitimum prohibetur.
    - Oculum pro oculo, &c. vbi lex talionis exponitur, nam vsus eius peccati Magistratus est concreditus.
    - De dilectione proximi, vbi quis sit proximus exponitur per admonitionem.

Dispositio Cap. 6. in quo Christus vitam Pharisæorum & hypocrisim notat, vt suprà doctrinam damnauit.

- PARTES Capit. 6. Admonitio de
  - Eleemosyna, cuius duæ sunt partes,
    - Docet quid in præstandis eleemosynis fugere debeamus: Nempe inanem gloriam & hypocrisim, & additur ratio & exemplum: hypocritarum scilicet, quæ malum hoc dissuadent.
    - Quid in præstandis eleemosynis facere debeamus: vt conscientia Dei contenti simus. Additur pollicitatio de retributione paterna. Exprimit hîc & notas hypocrisis & ostentationis, quarum prima est, præmissa proclamatione auribus & oculis vulgi ingerere: altera, dare eleemosynas, non in priuatis ædibus, sed publicis conuentibus.
  - Oratione, cuius partes,
    - Quid in oratione fugere debeamus: Hypocrisim scilicet, ostentationẽ & multiloquium. Addit autem hypocritarũ notas consuetas, quas quotidiè ob oculos habebãt.
    - Quomodo sit instituenda oratio: In abscondito videlicet, non in propatulo, ne more hypocritarum affectemus publicum.
    - Quæ forma orationis esse debeat.
      - Præfatiuncula.
      - Petitio, quæ partim ad Deum, partim ad nos pertinet.
      - Doxologia.
  - Ieiunio, cuius partes sunt,
    - Quid in ieiunio fugiendum: Hypocrisis & ostentatio.
    - Quomodo ieiunandum: vt alieni simus ab omni hypocrisi, & hilares.
  - Cauendo auaritiæ vitio, quam vitandam esse dicet.
    - A loco: In terra, inquit, in loco transituro, vbi non diu sumus mansuri.
    - A terrenarum rerum vtilitate: Vbi, inquit, ærugo, & tinea corrumpit.
    - Ab effectu auaritiæ, corda enim per auaritiam excæcãtur, quibus excæcatis, nihil est reliqua vitæ actio, nisi meræ tenebræ. Id declarat similitudine oculi, per quẽ, mentem, cor, & animum hominis, vel bonum, vel malum, seu excæcatum intelligit.
    - A generali sententia, qua naturam, ingenium, vel certè ius dominorum in seruos, deinde & officium seruorum dominis debitum exprimit.
    - Ab exemplo volatilium.
    - Ab absurdo: absurdum enim est sollicitum esse pro his rebus quæ in nostra potestate non sunt.
    - Ab exemplo florum.
    - Ab inhonesto.
    - A præmijs seu ab vtili: Hęc omnia adijcientur vobis.
    - Ab inutili seu damno: Sufficit diei malitia sua.

Dispositio Capitis 7.

- LOCI Cap. 7
  - De vitãdo iudicio temerario. Vbi
    - Prohibet iudicium temerarium.
    - Rationem reddit, qua à iudicio temerario suos dehortatur.
    - Inuehitur in hypocrisim Pharisæorum: Quid autem vides festucam, &c.
    - Iudicij ordinem & modum tradit.
  - De æstimatione religiosa doctrinæ Euangelicæ, ne illam canibus & suibus proijciamus. Vbi & rationem præcepti addit.
  - De precandi perseuerantia, impetrandi spe, & facilitate, vbi spem nostram erigit, exemplo à paterno ingenio sumpto.
  - De summa Legis omniumque Prophetarum.
  - De porta ad vitam arcta, ad gehennam lata. Vbi Christus duos hominis fines ponit, ad quorum alterutrum tandem decurrendum sit: vitam scilicet & perditionem.
  - De cauendis falsis prophetis, agnoscendaq; ex fructib. arbore: falsi enim Prophetæ à via arcta ac recta abducunt. Vbi
    - Describit eos quales sint. Quòd
      - Se nobis coniungant, ac nostræ partis se esse simulent.
      - Sint hypocritæ, in vestimentis ouium venientes.
    - Docet quomodo agnosci possint: id quod similitudine arboris malæ exponit, vbi & de mercede Pseudoprophetarum disserit.
    - Ostendit apertè de quibus Pseudoprophetis loquatur. Non enim de his loquitur qui ex professo sunt aduersarij, sed de illis, qui suo se nomine venditaturi essent, qui se seruos Christi simulent. Atque ideò dicit: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, &c.
    - Monet ne quibusuis credamus, etiamsi in nomine suo miracula faciant.
    - Docet, quid hi falsi Prophetæ in die iudicij, à Iudice Christo audiant.
  - Non satis esse audire verbum Dei, sed oportere illud opere etiam præstare. Id aperit similitudine ædificij per antithesin, vbi stultitiam illorum notat, qui putant satis esse si Christum verbo tenus agnoscant, sermonemque suum auribus audiant externis, licet nihil opere præstent eorum quæ Christus docuit: id est, nullo paternæ voluntatis studio teneantur.
  - De authoritate Christi apud populum, in docendo.

Dispositio Capitis 8.

PARTES Capit. 8. de

- Leproso. Vbi describitur
  - Fides leprosi & cultus.
  - Oratio leprosi.
  - Modestia, ait enim, Si vis.
  - Bonitas & virtus Christi in curando leproso.
- Centurione. Vbi describitur
  - Modestia seu humilitas Centurionis, quòd seipsum agnoscit indignum cui beneficium præstetur, & Christum glorificat.
  - Humanitas & dilectio erga seruum.
  - Fides. Atque hic vtitur argumento à minori ad maius.
  - Commendatio fidei Centurionis per Christum.
  - Admonitio de latitudine regni Christi.
  - Reiectio Iudæorum & pœna.
  - Fidei effectus.
- Curata socru Petri, & alijs ægrotis & dæmoniacis.
- Scriba, qui quid quæsierit, ex Christi responso liquet.
- Discipulo Christi, quem ad hoc Dominus selegerat, vt prædicaret regnum Dei, eratq; iam illum cum alijs missurus ad prædicandum. Hic cùm negotij magnitudinem non perpenderet, & carnalem erga patrem affectum præferret cœlesti ministerio, poscit à Christo vt ad sepeliendum priùs patrem abire permitteretur. Christus id non permittit, docens primarium regni Dei negotium non esse, quacunque de causa etiam in se bona, deserendum.
- Tēpestate suborta in mari. Vbi describitur
  - Tempestatis magnitudo.
  - Quomodo Christus hic se gesserit.
  - Quomodo se Discipuli in tempestate gesserint.
  - Quomodo Christus primùm Discipulos, deinde ventos & mare increpauerit.
  - Virtus Christi.
  - Admiratio populi & glorificatio.
- Dæmoniacis duobus. Vbi describitur.
  - Diuinæ virtutis in Christo declaratio.
  - Ingenium Dæmonum cùm dicunt, nihil sibi cum Christo esse commune: quibus verbis profitentur se nullam sperare, nec velle salutem à Christo: etsi verò in bono, nihil in malo tamen habent quod contra Christum agant.
  - Votum Dæmonum, vbi infirmitas Satanæ, & virtus Christi declaratur.
  - Furor Satanæ in porcis.
  - Petitio Gergesenorum, vt Christus ab illis discederet.

Dispositio Capitis 9.

PARTES Cap 9.

- De Paralytico. Vbi describitur
  - Fides baiulorum.
  - Fides Paralytici.
  - Amputatio causæ morbi, id quod boni Medici est.
  - Murmur & blasphemia Scribarum.
  - Probatio potestatis istius, qua Christus remisit peccata ægroto: probat autem id testimonio diuinæ virtutis & efficaciæ.
  - Admiratio populi & glorificatio.
- De vocatione Matthæi. Vbi describitur.
  - Conditio Matthæi.
  - Vocatio.
  - Obedientia Matthæi.
  - Apparatus conuiuij.
  - Accursus Publicanorum & peccatorum.
  - Iudicium Pharisæorum de Christo.
  - Concio Christi ad Pharisæos, quæ bimembris est:
    - Factum suum defendit generali ac prouerbiali sententia de vsu medicinæ.
    - Taxat Pharisæos ac reprobos, & ignaros esse ostendit: vbi & gratiam Dei commendat, & quid à nobis ad gratiam acquirendam requiratur, docet.
- Quæstio Discipulorum Ioannes de ieiunio.
- Apologia Christi. Vbi
  - Ostendit Discipulis suis nondum esse ieiunij tempus, sed fore aliquando vt & ipsi luctum acturi & ieiunaturi sint. Id quod similitudine sponsi & sponsæ exprimit. Respicit autem ad verba Ioannis Baptistæ, Ioan. 3. vt Præceptoris sui testimonio eos rotundat.
  - Docet traditiones Pharisæorum de ieiunijs & alijs id genus, non conuenire doctrinæ Euangelicæ, fidei ac libertati Christianæ: id quod per similitudinem facit vini noui & veteris.
- De primate, & seq. Vide literam A.

A. De

A. De primate. Vbi describitur
- Cultus.
- Oratio & fides primatis.
- Mansuetudo Christi.
- Mos lugentium superstitiosus & gentilis.
- Subsannatio verborum Christi de vita.
- Eiectio eiulantium, intromissis Discipulis quibusdam, ac puellæ parentibus.
- Excitatio puellæ mortuæ.
- Facti miraculosi rumor.

De muliere sanguinis profluuio laborante. Vbi describitur
- Mulieris infirmitas diuturna.
- Fides.
- Fidei effectus.

De duobus cæcis. Vbi describitur
- Inuocatio cæcorum.
- Exactio fidei.
- Fides, seu confessio cæcorum.
- Illuminatio cæcorum.
- Virtus fidei.
- Prohibitio ne cui id dicerent.
- Glorificatio Christi per cæcos.

De eiecto Dæmonio. Vbi describitur
- Virtus Christi.
- Admiratio turbæ.
- Calumnia Pharisæorum.

De peregrinatione Christi. Vbi describitur
- Circuitus Christi per ciuitates & vicos.
- Quid Christus per ciuitates & vicos circumiens egerit.
- Quo affectu erga populum miserum fuerit.
- Concio Christi de multitudine messis, paucitate operariorum, & oratione, qua operarij à Deo impetrentur.

Dispositio Capitis 10.

PARTES Cap. 10.

De Apostolis. Vbi docet.
- Quid illis Christus dederit: Nempe potestatem contra immundos Spiritus. Erat enim eos missurus ad destruendum regnum Satanæ. Deinde dedit potestatem sanandi, vt animos populi in stuporem perducerent, & ad credendum Euangelio excitarent.
- Quæ illorum nomina: Nam quorum opera Dominus ad suum ministerium vsus est, eos etiam suis nominibus exprimit, vt sciamus eos Domino curæ esse, eos cognoscere. Nos verò illorum memores fidem ipsorum imitemur.
- Ad quid à Christo vocati & tanta potestate instructi: Ad prædicandum videlicet regnum Dei.
- Ad quos miserit: Ad perditas oues.
- Quid apud perditas oues domus Israel facere debeant: Nempe prædicare.
- Quid eos prædicare iusserit. (&c.
- Quomodo potestatem illam, cuius suprà meminit, suis dederit: Infirmos, inquit, curate,
- Quomodo potestatem acceptam rectè collocent: Videlicet vt pro sanatis infirmis, curatis leprosis, liberatis dæmoniacis, nihil mercedis ac lucri terreni exigant: Gratis, inquit, accepistis, & gratis date.
- Quomodo solicitudinem præposteram rerum necessariarum & diffidentiam in legatione muneris Apostolici prohibeat Christus.
- Ad quos Iudæos debeant ire aut diuertere: Non ad quosuis sine delectu, sed ad dignos: neque enim ista gratia, cuius nuncij erant, ad quosuis pertinebat.
- Quomodo debeant agnoscere qui digni sint ad quos diuerterint: Nempe oblatione pacis, adiuncto simul de euentu pacis, apud quos illa sit vel mansura, vel non mansura.
- Quid ipsi facere debeant, si contigerit venire ad indignos: Vt ab illis discedant, sed ita, vt contestentur eos & magnitudinis delicti & pœnæ futuræ.
- Quæ Apostolos pericula maneant, vt nec cognationis, nec consanguinitatis iura furori Satanæ obsistere queant.
- Quomodo in illis periculis conuersari oporteat.

Consolatio Apostolorum, & seq. Vide literam A.

A. Consolatio Apostolorum.

- Quia munus Apostolicum non humanis viribus, sed diuina virtute administratur, vt solicitudine nihil sit opus.
- Quia Deus dabit illis Spiritum, qui loquatur pro se apud Præsides.
- Quia propter nomen suum patiuntur, non vt fures, aut sacrilegi.
- Quod liceat furori impiorum & insaniæ cedere, ac luporum ferociam declinare: Fugite, inquit, in aliam.
- Quia non sit Discipulus supra Magistrum.
- Quia futurum sit, vt mundus, qui nunc fremit aduersus illos, videat quis ipse sit, & quæ sit eius causa. Tunc manifestabitur quod nunc mundo est abditum. Hinc particulæ subnectit admonitionem de propagatione regni, & reuelatione Christi.
- Ab impotentia Tyrannorum, & potentia Dei.
- Ex consideratione diuinæ prouidentiæ erga minutissima etiam & vilissima animantia.
- Ab æquitate. Quid enim æquius, quàm seruum à Domino tempore gloriæ suæ negari, qui herum suum tempore belli negauit? &c.
- A causa aduentus Christi ad nos: Non veni, inquit, ad mittendam pacem.
- Quia Christus supra omnes amandus.
- A commodo eorum etiam, qui eos receperint, & suo, seu à præmijs.

Dispositio Capitis II.

PARTES Cap. II.

- Quæstio Ioannis de Messia per Discipulos, non sui, sed Discipulorum suorum gratiâ.
- Respōsio Christi. Vbi
  - Proponit opera soli Messiæ conuenientia, & ad Prophetarum testimonia remittit.
  - Accommodat orationem suam ad morbum Discipulorum Ioannis, cum dicit: Beatus quisquis non fuerit offensus in me. Discipuli enim Ioannis pendebant ab austeritate & singulari quadam sanctimonia Magistri sui.
- Laus Ioānis per Christū, vt authoritatē illius, quæ, dū esset in carcere, diminui cœperat, restitueret, & suū de se testimoniū confirmaret.
  - A constantia.
  - A temperantia.
  - A iusticia.
  - Ab officio, seu authoritate muneris.
  - A ministerij illius effectu, quòd animi mortalium prædicatione illius ad regnum cœlorum, quod prædicauerat, inflammati & correpti fuerint, ita vt magno feruore, & quasi violentia ad hoc passim irrumperetur, & additur ratio: videlicet quòd præterierit tempus pædagogiæ, typorum, vmbrarum, & tempus vaticiniorum, & expectationis eorum, quæ per Prophetas prædicta fuerant.
  - A Spiritu, quo fuerat Ioannes instructus, hoc dicit, vt regnum Dei adesse persuadeat, dum ostendit iam adesse Heliam, qui Ioannes est.
- De malitia Pharisæorum pertinaci, quam detestaturus, vtitur similitudine à vulgari puerorum cantione sumpta, tum omnibus nota.
- De obstinatione earum vrbium, in quibus frequentiùs egerat Christus, concionabatur, & miraculum ediderat, & de eorum pœna.
- De iudicio Dei de excæcandis mundi Sapientibus, & illuminandis paruulis. Vbi
  - Ostendit non esse discutienda Dei consilia in operibus & iudicijs illius, sed magis laudanda illa, & prædicanda esse, tantùm hac ratione, quòd Deo sic placeat.
  - Rationem reddit, cur prudentes huius mundi non recipiant verbum salutis: videlicet quòd Christum omnis boni fontem, apud quem omnia sunt, non agnoscant: nemo enim Deum Patrem agnoscit, nisi cui Filius reuelet.
- De vocatione Christi. Vbi describitur
  - Quis sit, qui omnes ad se vocet: Potens scilicet, ac nobis beneuolus.
  - Quos ad se vocet: Laborantes & oneratos.
  - Ad quid eos vocet, & quid eis facere velit, imò quid præstiturum se polliceatur.
  - Quid hi vocati facere debeant, vt requiem animarum, quam pollicetur, in Christo inueniant, vt iugum suum tollant, & à se discant.

Diſpoſitio Capitis 12.

Partes Cap. 12.

- De eſurie Diſcipulorum Chriſti in Sabbato, & quid ederint.
- Calumnia Phariſæorum & ſuperſtitio, de religione Sabbati.
- Apologia Chriſti, qua defendit factum
  - Ab exemplo Dauidis, in quo oſtendit, quòd famis neceſſitas à tranſgreſſione Legis ceremonialis excuſet.
  - Ab exemplo Sacerdotum ſacrificātiū in Templo, dum pecudes mactant, ligna ſcindunt, &c.
  - A dignitate & excellentia ſui: Sacerdotes miniſtrant Templo, Diſcipuli mei mihi miniſtrant, qui longè excello Templi Sanctitatem.
  - A voluntate Dei, quòd Deo pluris ſit ſalus mortalium, quàm ſacrificia ac Sabbati religio externa. Vbi primùm eos accuſat ignorantiæ: deinde tyrannidis, quòd erga inſontes tam ſint crudeles.
  - A dignitate hominis: Sabbatum enim propter hominem factum eſt.
- De homine arido. Vbi proponitur.
  - Queſtio Phariſæorum de Sabbato.
  - Reſponſio Chriſti ab exemplo brutorum.
  - Curatio ægroti.
  - Conatus Phariſæorum.
  - Seceſſus Chriſti.
- De turbarum accurſu, & Chriſti bonitate.
- De curato Dæmoniaco.
- Calumnia Phariſæorum & blaſphemia.
- Apologia Chriſti. Vbi
  - Defendit factum ſuum
    - A communi ſententia: Omne regnum in ſeipſo diuiſum deſolabitur.
    - A diſcipulorum facto.
    - Ab infirmitate Satanæ & potentia ſua, per ſimilitudinem armati.
    - Ex prouerbio communi, quo declarat ex diuerſis ſtudijs, ſuo & Satanæ conſpicuum eſſe, ſe non eſſe miniſtrum, ſed hoſtem Satanæ.
  - Adijcit minas terribiles, quòd blaſphemi ſint in Spiritum Sanctum.
  - Prouerbiali ſententia ſignificat, ex bono non ſi bonum, ex malo non niſi malum peruenire poſſe, quod facit per ſimilitudinem arborum.
  - Alloquitur eos, non ſine acrimonia & feruore Spiritus, cuius accuſationis ſcopus eſt, malos non poſſe bene de rebus bonis loqui.
- Petitio ſigni è cœlo.
- Reſponſio Chriſti. Vbi
  - Increpat ac vituperat illos à malitia parentum, & ſua.
  - Oſtendit non dari illis ſignum è cœlo.
  - Docet dari illis ſignum, ſed Ionæ Prophetæ, quod tale eſt, vt faciat magis ad excæcationem, quàm ad illuminationem.
  - Comminationem ſubijcit æquiſſimi ac iuſtiſſimi iudicij illorum.
  - Similitudine hominis à Spiritu immundo liberati, tradit peſſimè eos habituros, & peius, quàm vnquam antea, propter abiectam gratiam illius.
- De nuncio parentum ac fratrum ad Chriſtum, & Chriſti ad illos reſponſo, in quo, quo loco habeantur hi, qui voluntatem Dei faciunt, declarat.

Dispositio Capitis 13.

PARTES Cap. 13.

- De prima huius capitis parabola de semine. Vbi disce,
  - Quæ sit summa huius parabolæ: Quòd verbum, etsi in se bonum sit, non tamen vbi vis vim suam exerat, sed in paucissimis iustam frugem adferat, idque non suo, sed auditorum vitio.
  - Vnde ad istam materiam tractandam moueatur Christus: Quia videbat accurrere ingentem multitudinem, & sciebat conditionem Euangelij, quæ quia ignorabatur, datura erat plurimum offendiculi imperitis, ideoque pro sua prouidentia futuro scandalo medetur.
  - Quare per parabolas locutus sit: Causa parabolicæ locutionis est obstinatio quorũdam, qui aderant. Isti autem non erant simplices & idiotæ, sed Scribæ, Pharisæi & Sacerdotes, qui Christum obseruandi & culpandi gratiâ sequebãtur. Illis meritò velabantur mysteria regni Dei, eò quòd nec videndo videbãt, nec audiẽdo audiebant, propter excæcationem cordium ipsorum. Quare infœlicitatem eorũ temporis ipsius cõmendatione ostendit, & rursus fœlicitatẽ electorum, qui gratiam illorum temporum magno feruore animi amplectebantur. Infrà Euangelista & aliam rationem reddit, quare voluerit per parabolas loqui turbis: ne videlicet videatur insolẽs. Vbi ostendit Euangelista, illud docẽdi genus esse propheticũ, Prophetis ita in vsu, vt res magnas & arduas hac ratione populo Dei proposuerint. Ad quod probandum, inducit locum ex Psal. 78.
  - Quis sit sensus, seu explicatio parabolæ de quatuor auditorum generibus.
- De secunda parabola de zizanijs. Vbi disce, quæ sit
  - Summa. Admonet enim ne offendamur, si quando etiam in medio eorum, qui frugiferi sunt: viderimus immixtos reprobos, & multa offendicula, cum tamen bonũ semen per Euangelij doctrinam seminatum sit.
  - Parabolæ expositio, in qua docet de
    - Semine bono.
    - Ingenio Satanæ.
    - Feruore, seu zelo Christianorum.
    - Statu Ecclesiæ.
    - Consummatione seculi, ad quam separatio malorum reseruatur,
- De tertia & quarta parabola. Vbi disce, quæ sit
  - Summa parabolæ: Nempe quòd initium regni cœlorum sit humilimum, & abiectissimum, sed ex humilimo tandem, euasurum sit supremum & illustrissimum.
  - Parabolæ expositio. Vbi docetur
    - Ingenium diuinæ operationis, qui humilia eligit, vt confundat sublimia.
    - Eos qui ex Deo sunt, infermentatos esse.
- De quinta & sexta parabola, in quibus docetur, quę sunt regni Dei, seu Euãgelij diuitiæ, quod precium, quis valor: deinde quòd ab illis tantum expectatur, qui precium illius cognouerunt.
- De parabola septima, in qua idem agit Christus, quod suprà in parabola de zizanijs: nempe malos fore in medio iustorum in Christi Ecclesia vsque ad consummationẽ, vbi demum futura est separatio plena & perfecta.
- Quæstio Christi, an hæc intellexerint, qua declarat Euangelij Ministerium oportere abundè instructum esse, vt non vna tantùm ratione mentes mortalium doceat, sed varia & copiosa, prout exigat captus auditorum. Id quod officio prudentis Patrisfamiliâs ostendit, qui familiæ, amicis, hospitibus, non vnius generis tantùm proferat esculenta non noua, vel vetera tantùm, sed noua & vetera.
- Digressus Christi ex eo loco. Vbi describitur
  - Quò venerit Christus.
  - Quid illic egerit.
  - Scandalum Iudæorum, quòd
    - Notus esset illis, apud illos educatus.
    - Videretur conditione humili & contempta: videlicet Fabri filius, ipse quoque Faber.
  - Responsio Christi, in qua vulgare vitium taxat, quò fit, vt hoc sit contemptior, qui singulari dono præditus est, quo notior & familior habetur. Hinc fit, vt dona Dei contemnantur in notis.

Dispositio Capitis 14.

- PARTES Cap. 14.
  - De Herode. Vbi describitur
    - Quid de Christo senserit Herodes,
    - Sæuitia Herodis in Ioannem.
    - Causa mortis Ioannis.
    - Occasio, seu oportunitas mortis.
    - Sepultura Ioannis.
    - Nuncium mortis Ioannis ad Christum.
    - Secessus Christi.
  - De miraculoso pastu hominum quinque millium. Vbi describitur
    - Affectus Christi erga populum.
    - Curatio ægrotorum per Christum.
    - Diffidentia Discipulorum de potentia Christi.
    - Præceptum, quod tentandi gratiâ à Christo dictum est: Date, inquit, illis quod edant.
    - Præceptum de adducendis ad se panibus.
    - Gratiarum actio Christi.
    - Fractio panum per Christum, quæ Christo fuit in consuetudine, qui mos planè paternus est.
    - Distributio panum.
    - Saturitas comedentium.
    - Reliquiarum collectio.
    - Virtus Christi in saturando. Nam & multitudo per Christum saturata & reliquiæ manserunt.
  - De sedata maris tempestate, & apparitione Christi. Vbi describitur
    - Quò Christus adegerit Discipulos: Vt naui se præcederent Betsaidam, vt Marcus habet.
    - Quòd turbas à se dimiserit.
    - Quòd ad orandum montem solus conscenderit.
    - Tempestas maris.
    - Apparitio Christi. Vbi tria de Christo commemorantur:
      - Quòd ad suos in naui periclitantes venerit.
      - Quando hoc fecerit: Quarta vigilia noctis.
      - Quomodo ad eos venerit: Videlicet ambulando super mare.
    - Quomodo Discipuli animati fuerint.
    - Consolatio Christi.
    - Ingenium dilectionis in Petro.
    - Vnde fit quòd tribulationi & potestati aduersariæ nonnunquam succumbamus: nempe ex eo, quòd illam timeamus, & de Christi virtute dubitamus.
    - Inuocatio Petri.
    - Christi bonitas & auxilium.
    - Increpatio imbecillitatis fidei.
    - Tranquillitas maris:
    - Confessio Discipulorum de Christo.
  - Quomodo ad terram Genezaret appulsus Christus sanauit oblatos ad se omnes ægrotos.

Dispositio Capitis 15.

- LOCI Capitis 15.
  - Quæstio Pharisæorum de traditionibus humanis.
  - Respôsio Christi. Vbi
    - Docet Pharisæos præcepta Dei transgredi propter suas traditiones.
    - Subiungit accusationis probationem ex Tabulis Mosi, de honorandis parentibus. Docebant enim munera Deo offerenda esse potiùs, quàm inseruire parentibus. Id quod planè Pharisaicum est.
    - Obijcit illis hypocrisim, ex qua fit, quòd ita vrgeant traditiones suas, & donaria Templi. Nam hîc se pro viris religiosis ac Dei cultoribus venditant, cùm cordibus sint à Deo quàm alienissimi.
  - Concio Christi ad turbas de impuritate hominis.
  - De scandalo Pharisæorum.
  - Concio Christi de scandalo Pharisæorum. Vbi
    - Ostendit vnde sit stabilitas vera eorum, quæ in hoc mundo aguntur: videlicet ex Deo. Caduca enim & peritura sunt, quæ ex Deo non sunt, vt sectæ Pharisæorum.
    - Iubet illos omittere, nihil habere cum illis commercij, & nullam eorum rationem habere.
    - Subijcit rationem à damno populi cæci, qui cùm cæcos duces sequatur, & ipse in foueam cadat, ac pereat.
  - Expositio locutionis, & seq. Vide literam A.

A.
- Expositio locutionis parabolicæ, de qua suprà dicere cœperat.
  - Increpat Discipulos propter ignorantiam.
  - Stultitiam Pharisaicæ doctrinæ, de lauandis ante cibum manibus, arguit, hoc modo: Non quod ingreditur in os inquinat hominem. Cibus illotis manibus contactus, vel sordes manuum illotarum ingrediuntur in os: ergo illotis manibus escam sumere non coinquinat hominem. Maiorem declarat propter rudes Discipulos: Quicquid ingreditur in os, in aluum abit, &c.
  - Docet quæ reddant hominem impurum.
- De muliere Cananæa. Vbi describitur
  - Inuocatio mulieris.
  - Causa impulsiua petitionis.
  - Fides.
  - Dilectio.
  - Tentatio fidei.
    - Quòd Christus nihil respondet: illa verò non cessat.
    - Quòd illicitam esse dicit, & planè negat opem: sed ista eò propiùs accedit.
    - Propriam vtilitatem obijcit mulieri: illa annuit, & inde argumentum colligit corroborandæ spei.
  - Humilitas mulieris.
  - Efficacia fidei.
  - Virtus Christi.
- De bonitate Christi in curandis ægrotis.
- De miraculoso pastu hominum quatuor millium, vbi diuina bonitas & virtus in Christo elucescit. De simili miraculo suprà cap. 14.

Dispositio Capitis 16.

PARTES Cap. 16.
- De tentatione Pharisæorū. Vbi describitur
  - Aduersariorum incursus ad tentationes.
  - Qui illi aduersarij: Pharisæi, Sadducæi: doctiores scilicet in populo.
  - Modus impugnationis: Tentando scilicet: veritas enim ægrè aperto marte impugnatur: hypocrisi opus est, & tentatione.
  - Qua in re: Vt signum è cœlo ostenderet.
- Respōsio Christi. Vbi
  - Opprobrat illis destinatam cæcitatem, qua tenebantur propter malitiam cordiū suorum, qua signa illorum temporum agnoscere nolebant. Illam conuincit ex eo, quòd non carebant industria colligendi ex signis qualitatem temporum, & vtitur argumento à minori ad maius. Signa eorum temporum erant miracula Christi, quæ quotidie fiebant. Illa prædicta erant à Prophetis, vt Esa. 35. de hoc clariùs Lucæ 12.
  - Ostendit quale signum dandum sit illis, de quo & Matth. 12.
- Admonitio Christi: cuius partes sunt
  - Quid Christus Discipulos suos admonuerit: videlicet vt Pharisæorum doctrinam caueant.
  - Quid Discipuli intellexerint.
  - Quomodo stupiditatem illorum Christus duriusculè increpauit ab antè actis rebus.
- Quæstio Christi bimembris de se: quid
  - Homines de eo iudicent. Respondent ad hoc, putari illum vnum esse ex mortuis Prophetis, &c.
  - Ipsi de se sentiant. Vbi Petrus nomine omnium Discipulorum, Christi respondet.
- Respōsio Christi ad cōfessionē Petri. Vbi
  - Confirmat Christus confessionem Petri, quòd beatum prædicat confessorem.
  - Ostendit vnde sit hæc cognitio in Petro.
  - Demonstrat quo loco Petrū habeat propter confessionē, & quid vicissim vicaria confessione de Petro agnoscat & prædicet. Quæ confessio duo habet: quod attinet ad
    - Ipsam fidem & confessionem Petri de Christo.
    - Dignitatē, Petro propter fidei & confessionis soliditatem concessam. Hic docet,
      - Cuius sit Ecclesia, quia Christi: Ecclesiam, inquit, meam.
      - Quis sit architectus Ecclesiæ Christi. Christus: Aedificabo, inquit.
      - Quo fundamento nitatur: Solida Petra, quæ est veritas, quam Petrus de Christo confessus est.
      - Quàm sit solida Ecclesia.
      - Quid Petrus cū cæteris à Christo acceperit: Videlicet Ecclesiæ claues, & in quem vsum. Vbi & de virtute clauium loquitur Christus.
  - Prohibet ne id ante tempus publicent.
- Concio Christi, & seq. Vide literam A.

A. Concio

3.
- Concio Christi de morte sua. Vbi describitur
  - Admonitio, imò increpatio Petri.
  - Increpatio Christi.
- Concio Christi de morte Christianorum. Vbi
  - Demonstrat quid illi faciendum sit, qui post Christum ire cupiat: id est, qui Christianus esse velit.
  - Subijcit argumenta, quibus id persuadeat, necessarium esse, vt abnegatis nobis ipsis, crucem tollamus.
  - Taxat cæcitatem mortalium, qui neglecto vitæ æternæ studio, rebus caducis operam dant, & additur ratio.
  - Ne id vanum putetur, asseuerat regni sui initia breui conspicua fore.

Dispositio Capitis 17.

PARTES Cap. 17.
- De transformatione Christi in monte. Vbi describitur
  - Modus transformationis.
  - Testes transformationis ex Prophetis & Apostolis.
  - Colloquium Prophetarum de morte Christi.
  - Ingenium præposteræ deuotionis.
  - Vox Patris de Christo, quòd sit Filius, Mediator & Præceptor.
  - Terror Discipulorum ad vocem Dei.
  - Consolatio Discipulorum per Christum.
  - Prohibitio promulgandæ huius visionis.
- Quæstio Discipulorum de Elia.
- Responsio Christi, in qua vaticinium Malachiæ approbat quidem, sed iuxtà docet Eliam iam aduenisse, verùm non esse agnitum, sed malè acceptum, vt & Filio hominis futurum erat.
- De Lunatico: cuius loci partes,
  - Petitio patris Lunatici.
  - Responsio Christi obiurgatoria.
  - Eiectio Spiritus immundi.
  - Quæstio Discipulorum Christi, & quid ad illam Christus responderit. Vbi cur non potuerint eijcere Dæmonia, & qua ratione expelli possint, ostendit. Opus enim hîc est fideli & sobria oratione, qua Dei præsidium imploramus.
- Concio de morte Christi, & resurrectione.
- De censu soluẽdo. Vbi disputatur.
  - De dignitate & prærogatiua filiorum Dei.
  - Quatenus hæc filiorum Dei prærogatiua vsurpanda: Vt videlicet obediamus Principibus terræ, & soluamus tributum, exemplo Christi.

Dispositio Capitis 18.

PARTES Cap. 18.
- Disputatio Discipulorum de primatu.
- Institutio Discipulorũ per Christum.
  - Exemplo pueri adducti.
  - Verbis. Vbi
    - Puerorum bonitatem & humilitatem commendat.
    - Subijcit antithesin, in qua docet pueros placere Deo.
    - Digreditur in locum de scandalo, vbi grauitatem, necessitatem & pœnam huius delicti demonstrat.
    - Commendat iterum pueros contra tentationes superbiæ: cuius partes,
      - Quid præcipiat.
      - Quæ sit ratio præcepti. Cuius additur ratio ex officio Christi, atque hoc similitudine boni Pastoris illustrat.
- Instructio Christi, quid de eo faciendum sit, qui per iniuriam fraternam charitatem lædat. An & hi fratris loco habendi sint: & addit, Ratum esse in cœlis, quicquid in admonendis & corrigendis fratribus duo, vel tres, vel plures egerint.
- Quæstio Petri, Quoties debeat in se peccanti fratri remittere? Ad quam respondet Christus, Nos semper ad condonationem paratos esse debere.
- Parabola de remittendis debitis fratrum, in qua docemur,
  - Quantum nos Deo debeamus.
  - Quantam Dei gratiam sine vllis nostris meritis à Deo per Christum quotidie consequamur.
  - Quid proximo debeamus.
  - Quàm simus ingrati & crudeles in proximos.
  - Quid supplicij eos maneat, qui & Deo ingrati sunt, & in proximos crudeles.

Dispositio Capitis. 19.

PARTES Cap. 19.

- De Christi bonitate, qua omnes ad se oblatos ægrotos sanabat.
- Quæstio Pharisæorum de diuortio tentandi gratiâ Christo proposita.
- Responsio Christi, in qua docet, non licere quauis de causa repudiare vxores. Et sunt argumenta
  - Ab authoritate conditoris: Quos, inquit, Deus coniunxit.
  - A vetustate ordinis: Ab initio masculum & fœminam fecit eos.
  - A modo coniunctionis: Duo, inquit, erunt in carnem vnam.
  - Ab excellentia copulæ coniugalis: Relinquet, inquit, homo patrem & matrem, &c.
- Quæstio alia, An Moses iusserit quod sit illicitum.
- Responsio Christi. Vbi
  - Non negat Mosen de libello repudij dando præceptum dedisse: vxores verò dimittere, hoc negat præcepisse: permisisse autem concedit.
  - Addit rationem cur Moses id permiserit, quod in se est illicitum.
  - Ostendit causam diuortij.
- Quæstio Discipulorum, An expediat nubere cùm necesse sit vxorem qualemcunque retinere.
- Responsio Christi, in qua
  - Opponit necessitatem matrimonij, quæ talis est, vt pauci ab illa eximantur.
  - Recenset quibus hoc datum sit, vt à matrimonio liberi sint: Qui videlicet vel naturæ defectu laborant, aut naturâ, aut maleficio, aut violentiâ, vel qui nec naturâ nec vi sunt crastrati, sponte tamen abstinent, dono continentiæ præditi, vt suo ministerio commodiùs inseruire possint.
- De paruulis, cuius loci partes sunt
  - Factum illorum, qui paruulos suos Christo offerebant.
  - Factum Discipulorum, qui prohibebant pueros Christo offerri.
  - Responsum & factum Christi.
- De Adolescente. Vbi proponitur
  - Quæstio Adolescentis de vitâ æterna consequenda.
  - Responsio Christi, quam temperat ad rationem morbi, quo laborabat Adolescens, & qualitatem personæ: non quòd possibile sit illi vitam hoc pacto acquirere, sed vt admoneretur proprij defectus, & gratiam Dei suspiraret. Proponit autem illi præcepta secundæ Tabulæ, quia ea putabantur vulgaria, & quæ facilè obseruari possint. Vt hic etiam maximum defectum in Adolescente & alijs ostendat.
  - Præsumptio Adolescentis de obseruantia Præceptorum Dei.
  - Christi præceptum ad Adolescentem, in quo ostendit, vbi deficiat Adolescens. Obseruantia enim mandatorum Dei duas habet partes: Vna est, non facere quod malum est: altera, facere quod bonum est. Adolescens hic in obseruando mandato Dei hactenus promouisse videtur, vt primam partem absolueret. Quod ad alteram attinet, defecisse depræhenditur, & hoc est quod Christus dicit: Et adhuc vnum tibi deest. Dilectio proximi non erat in illo perfecta. Neque enim satis est non malefacere proximo, nisi & benefacias. Atque ita Christus Adolescentis morbum, ipsi quoque Adolescenti incognitum, detegit. Nam corde pendebat à diuitijs, quas habebat grandes. Vt hunc agnosceret, ita respondere voluit Christus.
  - Quomodò Adolescens audita Christi oratione affectus sit.
  - Concio Christi ad Discipulos. Vbi
    - Ostendit quanta sit diuitiarum pestis his, qui cupiunt ingredi in regnum cœlorum.
    - Addit simile ab impossibili. Clariùs id apud Marcum legitur.
  - Quæstio Discipulorum terroris plena: Quis ergo saluari potest?
  - Responsio Christi. Vbi
    - Ostendit impossibile esse quenquam, siue diuitem, siue pauperem humanis ac proprijs viribus saluari posse.
    - Docet in salutis causa ad Dominum confugiendum esse, per Christum, idque argumento omnipotentiæ Dei.
- Quæstio Petri ex Adolescentis causa, orta de premijs.
- Promissio Christi de iudicandis Israelitis. Quod non est aliter intelligendum, quàm quòd fides Apostolorum, qui & ipsi sunt ex Israele, Israelitis sit ademptura omnem excusationem. Addit & promissionem generalem pertinentem ad omnes, qui Christum supra omnia amant, omnibus præponunt.

Dispositio Capitis 20.

PARTES Cap. 20.

- Parabola de operarijs. Vbi disce, quæ sit
  - Summa parabolæ. Summa dependet ex superiori interrogatione Petri: quid, inquit, erit nobis? Ad quã interrogationem etsi responderit Christus, quid illis esset expectandum: verum vt præmiorum respectum illis eximeret, per parabolam declarat fore, vt in regno cœlorum, id est, prædicatione Euãgelij, multi qui in reliquendis bonis suis, & adhærendo Euangelio primi fuerunt, per sinistrum præmij & proprij commodi respectum, fiant nouissimi, & econtrà.
  - Parabolæ expositio. Vbi describitur
    - Diligentia Patris nostri in cultu vineæ ipsius.
    - Quod genus operariorum Deo potissimũ placeat: Tale videlicet, in quo possit suam declarare bonitatem, qui pro nullo certo præmio laborant, sed fide bonitatis diuinæ vocati parent, & laborant. Illis gratum est quicquid acceperint, scientes nihil se esse meritos. Quare & Christus dicit: Incipiens à nouissimis.
    - Ingenium Iusticiariorũ: Quòd
      - Pro merito operum suorum accepturos se etiam vltra pactum arbitrantur.
      - Inuident nouissimis.
      - Contra patrem familiãs murmurãt, condemnantes ipsum iniquitatis.
- Concio Christi de Morte & Passione sua.
- De Matre filiorum Zebedæi, qui locus bimembris est
  - Petitio matris Zebedæorum, vbi Zebedæorum temeritas describitur.
  - Christi responsum, vbi rationes assignat, quare
    - Illos non conueniat id petere: quia petant rem, quam non intelligant. Vbi innuit intempestiuè eos ambire regni gloriam, nihil dum passos.
    - Non conueniat ipsum dare: quia gloria regni datur electis, non cognationis respectu aliquibus.
- De indignatione Discipulorum contra duos fratres, quos quidem idem morbus tenebat.
- Concio Christi. Vbi
  - Declaratur affectus ille primatus, quem appetebant Apostoli, esse mundanus, prauus, alienus à regno Dei, & planè gentilis.
  - Ostendit qualis debeat esse primatus inter Christianos in regno Dei: qui videlicet non sit gentilis, nec carni tantoperè arrideat, nec faciat ad inferiorum oppressionem, sed magis illorum quærat cõmodum. Id quod suo probat exemplo.
- De duobus cæcis. Vbi describitur
  - Petitio cæcorum.
  - Turbæ increpatio.
  - Bonitas Christi.
  - Curatio cæcorum, & virtus Christi.

Dispositio Capitis 21.

PARTES Cap. 21.

- Historia ingressus Christi in Hierusalem. Vbi proponitur
  - Mandatum Domini duobus Discipulis, pro adducendis Asinis datum.
  - Quare Asinorum ministerio Dominus vti voluerit: viz. vt prophetia impleretur.
  - Studium Discipulorum & turbæ erga Christum exornandum.
  - Commotio Ierosolymæ ad ingressum Christi.
  - Ingressus Christi in Templum.
  - Eiectio vendentium & ementium, & ratio facti ex scriptura.
  - Confirmatio doctrinæ & facti per miracula.
  - Sacerdotum indignatio, quòd audirent per pueros celebrari Christum.
  - Responsio Christi ex Dauide, qui in eo Psalmo admirabilem Dei bonitatem celebrat, quę potissimũ in eo relucet, ꝙ paruulis & rudibus cognitionẽ veritatis reuelet, & ad nominis sui gloriam deprædicãdam, illos, neglectis Sapientibus, excitat.
- De ficu arida. Vbi de
  - Esurie Christi.
  - Maledictione arboris.
  - Fidei potentia.
- Quæstio calumniosa Sacerdotum.
- Responsio Christi, quæ habet duo membra:
  - Eludit calumniam intentatam per oppositam quæstioni quęstionem.
  - In lucem exponit illorum malitiam addens de iudicio Dei, quod breui futurum erat in hostes istos veritatis. Id verò parabola filiorum & vineæ ostendit.
- Parabola vineæ, quæ duo complectitur:
  - Incredibilem Iudæorum malitiam, quod
    - Fructus negant.
    - Seruos Dei crudeliter tractant.
    - Filium quoque ipsum occidant.
  - Supplicium futurum, quòd
    - Mali malè sint perdendi.
    - Regnum Dei sit ab illis auferendum.
- Conatus Pharisæorum, qui perfici ob metum populi non potuit.

Dispositio Capitis 22.

Partes Cap. 22.

- Parabola de Nuptijs: cuius partes sunt,
  - De Euangelica vocatione, quæ similitudine commendatur.
  - Quid illi futurum erat à Iudæis.
  - De iudicio vocatorum, qui venire noluerunt.
  - Quomodo fuerit transferenda ad gentes.
  - De iudicio hypocritarum.
- De consilio Pharisæorum contra Christum. Vbi describitur
  - Astus Pharisæorum.
  - Inescatio, qua laqueum illi inijciant.
  - Quæstio subdola de censu, an Cæsari reddi debeat.
  - Responsio Christi. Vbi
    - Notat illorum malitiam, hypocrisim, & tentationem.
    - Interrogat de numismate, cuius sit.
    - Colligit ex ore ipsorum reddendum esse censum. Nam vnicuique reddendum est, quod suum est, & illi debetur. Numisma declarabat per imaginem & inscriptionem, Cæsari deberi tributum: ideò tributum illi dandum erat.
- Quæstio Sadduceorum calumniosa de Resurrectione, quam illi non credebant.
- Responsio Christi. Vbi
  - Erroris arguit illos, adijciens & causas erroris.
  - Vt ab errore eos auocet, veritatem de resurrectione subiungit. Vbi Christus vtitur distinctione temporum, præsentis & futuri. Nam cuique tempori suus est status.
  - Deinde futuram omnino esse resurrectionem contendit, ex ipsius Dei verbis, sumptis ex cap 3. Exodi.
- Quæstio Pharisæorum de Lege.
- Responsio Christi per summarium Legis. Vbi ostenditur quomodo Deus & proximus sint diligendi.
- Quæstio Christi de Messia, quis sit, & cuius Filius. Pharisæi respondent, Dauidis esse Filium: id est, hominem tantùm.
- Responsio Christi. Vbi arguit ab ordine & serie naturæ & æquitatis ratione: deinde à consuetudine ac sensu communi. Nam nec naturale, nec æquum, nec in vsu est, vt filius sit patri dominus. Dauid autem Christum Dominum vocat: ergo filius tantùm eius non est.

Dispositio Capitis 23.

Loci Capitis 23.

- Concio Christi ad turbas & Discipulos. Vbi
  - Monet vt hactenus obediant Scribis & Pharisæis, quatenus quæ Legis diuinæ, sunt docent.
  - Cauet, ne quisquam malam illorum vitam imitetur.
  - Rationem reddit, cur non debeant eorum opera imitari.
  - Similitudine declarat, quales sint, & quid faciant. Similitudinem sumit à factoribus ad hoc ordinatis, vt onera ferenda operarijs colligent, diuidant, & in ipsorum humeros imponant, quæ ipsi sibi ferenda, ne semel quidem in animum ducunt.
  - Ostendit quo animo faciant ea, quæ faciunt, non simplici pro voluntate & gloria Dei, sed studio vanæ gloriæ.
  - Enumerat quædam, tanquam certa indicia morbi, quo laborabant. Vt
    - Dilatare Phylacteria.
    - Magnificare fimbrias.
    - Amare primos accubitus.
    - Amare honesto titulo vocari, vt Rabbi: id est, Mi Domine, mi Præceptor, mi Pater.
  - Monet ne Discipuli Christi hoc peruerso affectu corrumpantur.
  - Cauet ne Pharisæis & Scribis, ac alijs id tribuant, quod non sunt: ne videlicet tales sibi Magistros & Patres imponat populus, quibus per omnia sit obnoxius. Hic enim fons est omnium errorum superstitionum, & falsi cultus.
  - Docet quo affectu debeamus esse erga nos mutuo: cùm dicit, Omnes fratres estis. Item, Qui maximus est vestrum, &c. & additur ratio, Qui se exaltat, humiliabitur.
- Concio Christi contra, & seq. Vide literam A.

A. Concio

A. Concio Christi contra Pharisæos, in qua increpat illorum
- Peruersitatem, qua non solùm non intrabant apertas regni Dei ianuas, sed & alios ab ingressu quæstus & inanis gloriæ gratiâ prohibebant.
- Voracitatem, crudelitatem, & hypocrisim.
- Prætextum gloriæ Dei in faciendis proselytis.
- Stultitiam, seductionem, & cæcitatem.
- Simulationem legalis obseruantiæ in his, quæ minoris sunt momenti, neglectis grauioribus.
- Simulationem mundiciei in rebus externis.
- Simulationem iusticiæ in rebus externis.
- Hypocrisim, qua volebant videri meliori mente erga veritatem & illius Ministros præditi, quã maiores, cùm tamen ea perpetrent, quæ & maiores. Hic tria docet:
  - Quantum studij impenderit Dominus, vt populum Israelis seruaret.
  - Quanta excæcatione populus Israel gratiæ Dei repugnauerit.
  - Qua pœna hæc Israelis malitia punienda sit.

Dispositio Capitis 24.

Partes Cap. 24. De
- Excidio vrbis Hierusalem. Vbi tria facit.
  - Prædicit Hierusalem vrbis ac Templi vastitatem.
  - Vastationis futuræ signa, vt
    - Pseudochristos,
    - Bella,
    - Pestes.
    - Famem, &c.
  - Admonitionem subtexit:
    - Quò fugiendum, vbi cœperit Ierosolyma obsideri.
    - Quid tum faciendum.
    - Quomodo seductio Pseudoprophetarum cauenda sit.
- Extremo die & fine mundi: Ibi, statim autem post afflictionem, &c. Vbi hæc agit:
  - Signa aduentus sui ponit.
  - Ipsum aduentum suum describit.
  - Docet quid per aduentum suum euenturum sit, cùm impijs, tum electis: Et tunc plangent, inquit, &c. Item: Et mittet Angelos suos.
  - Certitudinem eorum, quæ prædixit per asseuerationem affirmat, ne locus esset dubitationi. Ornat rem similitudine arboris.
  - Docet diem Iudicij nemini, nisi soli Deo cognitum.
  - Quòd venturus sit inexpectatus, ac præter opinionem.
  - Quòd quidam assumendi, quidam relinquendi sint: Quia fiet separatio iustorum ab iniustis.
  - Hortatur ad vigiliam, idque per similitudinem.
  - Similitudine bimembri declarat diuersitatem Ministrorum, vigilantium, & non vigilantium, quod ad vtrorumque ingenium & finem quoque attinet.

Dispositio 25.

Partes Capit. 25.
- Parabola de decē Virginibus. Vbi disce, quæ
  - Sit summa parabolæ. Videlicet quanta sit electis futura lætitia in aduentu Domini, quem comparat aduentui Sponsi alicuius, & quanto cum pudore ac mœrore excludendi sint negligentes.
  - Sint partes parabolæ.
    - Describit stultitiam ac prudentiam quorundam.
    - Depingit sortem & exitum in aduentu Domini futurum.
- Parabola de acceptis talentis. Hic disce, quæ
  - Sit summa parabolæ. Ostendit enim quid futurum sit in aduentu Filij hominis maximè seruis ac ministris ipsius, quorum est accepta dona ad profectum regni Dei dispensare.
  - Sint partes. Quomodo
    - Bona sua Dominus seruis, non dominandi, aut ostentationis, sed dispensandi gratiâ diuiserit.
    - Illa dispari fide & sedulitate à quibusdam bene, ab alijs ne dispensentur quidem, sed inutiliter conseruentur.
    - In aduentu Domini à singulis sit dispensationis exigenda ratio, honorandique fideles, & condemnandi reprobi.
- De extremo Iudicio, & seq. Vide literam A.

A. De extremo Iudicio. Cuius loci partes sunt, de

- Aduentu Christi ad Iudicium. Vbi describitur
  - Qualitas aduentus Christi.
  - Sessio Christi super sedem gloriæ suæ.
  - Separatio iustorum & iniustorum.
- Forma Iudicij Christi, cuius duæ sunt partes: Quid
  - Ab ipso Iudice Christo audituri sunt fideles.
  - A Iudice Christo audituri sint iniusti ac reprobi.

Dispositio Capitis 26.

PARTES Capit. 26.

- Præmonet Christus suos de passione sua, vt hoc minùs offenderentur Discipuli.
- De consilio Sacerdotū. Vbi describitur,
  - Qui conuenerint: Videlicet principes Sacerdotum; boni scilicet ac sancti viri.
  - Ad quid conuenerint: Vt videlicet Christum dolo caperent, & occiderent.
  - Vbi conuenerint: In atrium Principis Sacerdotum.
  - Inanis Sacerdotum metus: dicebant enim, Non in die festo, &c.
- De cœna Christo Bethaniæ parata. Vbi describitur
  - Vnctio pedum Christi à Maria, vt est Ioan. 12.
  - Indignatio Iudæ propter effusum & perditum, vt ipse putabat, vnguentum. Vnde & occasionem tradendi Christum sumpsit.
  - Respōsio Christi. Vbi
    - Accusat Discipulos, & increpat.
    - Defendit factū mulieris
      - Per facti oportunitatem, quam collatione sui & pauperum declarat.
      - Facti ratione & fine, cùm dicit: Ad sepeliendum me fecit.
    - Futurum prædicit, vt huius facti memoria sit totum orbem penetratura, ac perpetuò duratura.
  - Consilium Iudæ de tradendo Christo.
- De esu Paschatis Legalis. Vbi describitur
  - Quæstio Discipulorum de loco edendi Agnum.
  - Responsio Christi, qua locus edendi Agni ostenditur.
  - Obedientia Discipulorum.
  - Esus Agni.
  - Certificatio proditionis Christi.
  - Mœstitia Discipulorum ex proditione sumpta.
  - Denotatio specialis Iudæ proditoris.
  - Proditoris perditio.
  - Iudæ excæcati impudens quæstio.
  - Mansuetudo Christi erga Iudam, quem patienter ad finem vsque sustinet: imò ne prodit quidem apertiùs, vt à reliquis cognosci possit.
- De cœna Domini, ac eius institutione, in qua proponitur quid
  - Christus in cœna egerit: Nā
    - Docuit de ratione & vtilitate mortis suæ, & hoc dupliciter:
      - Per expositionem figuralis Paschatis.
      - Expressis verbis, cùm dicit: Pro vobis datur, pro vobis & pro multis effunditur, &c.
    - Dedit. Hic disce,
      - Quid dederit: corpus videlicet: & sanguinem suum spiritualiter sumendum.
      - Quomodo dederit: Videlicet, cum externis signis quamuis localiter in illis non comprehendantur.
  - Suos facere iusserit: Videlicet quod Christus fecit, & additur causa finalis, in quem finem id facere debeamus: Videlicet in memoriam mortis Christi. Vbi considera, quæ sit huius memoriæ virtus.
- Egressus Christi, & seq. Vide literam A.

- A.
  - Praedictio offendiculi Discipulorum Christi, id quod non opprobrandi vel condemnandi animo praedicit, sed vt intelligerent omnia non quae sibi tantum, sed & ipsis futura erant diuina prouidentia prouisa, vt ne hic despondeant animum, etiamsi disperg antur, futurum enim vt iterum collegantur.
  - Praesumptio Discipulorum, maximè Petri.
  - Praedictio negationis Petri.
  - Egressus Christi in montem Oliuarum cum Discipulis suis. Vbi describitur
    - Ingressus Christi in hortum cum Discipulis suis, quē locū Matthaeus hic villā Gethsemane vocat. Vbi proponitur
      - Cuius rei gratiā in hortum secesserit Christus: videlicet orandi causa.
      - Quid hic Christo acciderit: coepit affici moerore.
      - Quomodo orauerit.
      - Quod hic Discipulis acciderit: moesticia enim cordis soporem causabat.
      - Quid Christus suos monuerit: videlicet vt vigilarent & orarent.
      - Nihil minus iam esse quàm dormiendi tempus.
      - Quomodo Iudas cum turbis aduenerit ad capiendum Christum.
      - Quo signo Iudas Christum prodiderit.
      - Captura Christi.
      - Pugna Petri.
      - Prohibitio pugnae & gladij pro Christo, & prohibitionis ratio.
      - Defensio innocentiae Christi ad turbas.
      - Fuga Discipulorum.
  - Quò sit Christus abductus: videlicet ad Caiapham. Vbi describitur
    - Falsum testimonium contra Christum.
    - Quaestio Pontificis: An sit Christus Filius Dei.
    - Responsio Christi, vbi & de maiestate & aduentu suo glorioso concionatur.
    - Furor Pontificis veritatem damnantis.
    - Condemnatio Christi.
    - Ignominia, qua Christus affectus est.
    - Negatio Petri & poenitentia.

Dispositio Capitis 27.

- PARTES Cap. 27.
  - Consilium Sacerdotum de occidendo Christo.
  - Iudae interitus & finis.
  - Quid actum apud Pilatum. Vbi describitur
    - Quaestio Praesidis, an Rex sit Iudaeorum.
    - Responsio Christi.
    - Taciturnitas Christi.
    - Consuetudo Iudaeorum in festo de dimittendo flagitioso aliquo.
    - Pertinacia Iudaeorum.
    - Vxoris Pilati nuncium de Christo ad maritum.
    - Testimonium innocentiae Christi per Praesidem.
    - Imprecatio populi super se & liberos suos.
    - Flagellatio Christi.
    - Impositio insignium maiestatis regiae per ludibrium: vt purpurę, coronae, & sceptri: quibus addunt & salutationem, tali Regi competentem.
  - Quid actum in eductione ad mortem: Coactus est enim Simon quidam Cyrenaeus, vt crucem Iesu tolleret, & portaret.
  - Quid actum tēpore & loco crucifixionis. Quòd
    - Acetum illi felle mixtum datum est.
    - Vestimenta Christi diuisa sint.
    - Titulus capiti imponatur.
    - Inter duos latrones crucifigatur Christus.
    - Crucifixo illudatur.
    - Tenebrae factae sint super vniuersam terram.
    - Christus voce magna clamauerit. Quae vox animi afflicti & in media tentatione constituti erat, & est vox ex iudicio carnis profecta, quae voce illa Spiritus corrigitur: Non derelinques in inferno animam meam, &c.
    - Datur illi acetum, & Eliam inuocare dicebatur.
    - Emiserit spiritum.
  - Quid actum post mortem:
    - Velum Templi scissum.
    - Petrae scissae.
    - Monumenta aperta.
    - Centurio Christum Filium Dei confitetur.
    - Sepelitur Christus. Vbi describitur
      - Per quos sepultus sit: Iosephum & Nicodemum.
      - Quomodo.
      - Vbi: In monumento Iosephi, in horto.
      - Quando, cùm vespera esset.

Dispositio Cap. 28. quod resurrectionis historiam habet.

PARTES Cap. 28.

- De proposito & conatu quarundam mulierum fidelium.
- De apparitione Angelica. Vbi proponitur
  - Terræmotus.
  - Ratio terræmotus.
  - Qualis Angelus apparuerit.
  - Terror mulierum.
  - Concio Angeli ad mulieres de resurrectione Christi. Vbi
    - Consolatur timidas.
    - Ostendit verè Christum resurrexisse.
    - In huius rei testimonium demonstrat vacuũ esse monumẽtum.
    - Iubet vt hæc Discipulis nuncient.
  - Obedientia mulierum.
- De apparitione Christi. Vbi describitur quomodo
  - Dominus eos consolatur.
  - Iubet nunciare Discipulis, vt eant in Galilæam.
- Quid custodibus acciderit, & quanto cum dolo Principes Sacerdotum cum illis egerint.
- Quid mãdati Christus discipulis suis in cœlũ ascensurus dederit. Vbi proponitur
  - Quis & quantus sit à quo mittantur : qui videlicet habet potestatem supra vniuersum orbem.
  - Missio Apostolorum in mundum.
  - Quid faciendum sit istis Christi legatis.
  - Quid docere debeant. Non somnia & traditiones, sed quæ Christus docuit.
  - Quid doctrinæ ac prædicationi Euangelicæ addi debeat: Cerimonia videlicet noui Testamenti, non Legis.
  - Quos docere debeant : Omnes gentes, eò quòd omnium Dominus est.
  - Promissio præsentiæ & auxilij Christi.

Finis Euangelij secundum Matthæum.

Dispositio cap. 1. Ioannis Euangelistæ.

PARTES Cap. 1. de

- Diuinitate Christi, cuius duplex est consideratio.
  - Vna abstrusior substãtiã ipsam cõcernẽs, quomodo sit ex patre, Patri coæternus, consubstantialis, &c. Hic disce,
    - Quod sit subiectum propositionis : videlicet verbum : quæ appellatio sumpta est à similitudine mentis nostræ, quæ cùm totum hominem regat, inuisibilis tamen est, & incognita, nisi consilium quod concepit verbo ad aliorum cognitionem proferatur. Quo sane imago quędam mentis nostræ aliorum cognitioni spectanda proponitur.
    - Quid prędicetur de verbo. ꝙ
      - Fuerit in principio, id quod de principio eorũ quæ esse cœperunt intelligendum est : id est, antequam quicquam in rerum natura conditum esset.
      - Apud Deum fuerit : fuit autem apud Deum, sicut sapientia & consilium apud sapientem, virtus apud potentem.
      - Deus sit : hæc enim velut conclusio superiorum est. Ideò cõiungit quæ diuisim antea dicta erant : Quicquid enim in principio & apud Deum erat, Deus est.
  - Altera manifestior, quæ pertinet ad ipsius operationem & manifestationem. Sunt autem hæc illius opera : opus
    - Creationis, id quod solius Dei est.
    - Viuificationis. Nam quæcunque ab eo condita sunt vitam aliundè non habent quàm ex ipso, siue temporariam, siue perpetuam, quam ex ipso habent electi. Hanc vitam dicit esse lucem hominum : nam ex hac vita lux orta est hominibus, qua mentes illorum illuminatæ, in cognitionem Dei inducerentur.
    - Redẽptionis: hic docet
      - Huius operis diuinitatis testem esse Ioannem Baptistam.
      - Ingens discrimen esse inter lucem hanc veram, & Ioannẽ: idque per descriptionem Ioannis, & per collationẽ personarum Christi & Ioannis.
      - Hanc lucem alios agnoscere, alios non agnoscere.
      - Agnoscentes hanc lucem fieri redemptionis, adoptionis, & salutis participes.
- Humanitate Christi cuius hæc sunt testimonia : ꝙ
  - Cum suis conuersatus sit.
  - Eius opera in carne gesta, quæ verbi huius gratiam referant, à suis visa sint.
  - Christi conuersatio plena fuerit placiditate & humanitate erga omnes, quam hîc gratiam appellat, & veritatem : id est, fidelitatem. Quamuis per gratiam & fontem omnium donorum cœlestium intelligere possumus.
- Testimonijs, & seq. Vide literam A.

- A.
  - Testimonijs Ioannis de Christo, quæ sunt quinque.
    - Primum ibi Ioannes testificatur de ipso. Vbi docet.
      - Omnes homines Christum antecellere.
      - Christum omnium bonorum fontem esse, non Mosen, aut alium quempiam.
      - Nec Mosen, nec alios Deum vidisse, sed Filium tantùm qui secretorum omnium conscius est, & intimus, per hunc habet Moses quæ populo proposuit: ergo & Lex non est ex Mose, sed ex ipso Christo, per quem Israeli facta est gratia & fides.
    - 2. Ibi, Hoc est testimonium, &c. Vbi ostenditur
      - Quid non sit.
      - Quid sit.
      - Quantum sit inter ipsum & Christum discriminis.
    - 3. Testimonium ibi, in postero die: Ecce, inquit, Agnus Dei.
    - 4. Ibi, Et testificatus est Ioannes, &c. Vbi disce,
      - Testimonio Ioannis accessisse confirmationem Spiritus.
      - Quid ex hac visione collegerit, ac testatus sit.
    - 5. Ibi postero die, &c.
  - Testimonijs quibus Messias esse probatur:
    - Andreæ.
    - Philippi.
    - Nathanielis qui tria dat Christo.
      - Vocat Rabbi id est, Præceptorem.
      - Confitetur eum esse Filium Dei.
      - Confitetur esse regem Israelis.
    - Christi ipsius, qui cœlum aperiri, ac Angelos Dei per sese ascendere & descendere testatur.

Descriptio Capitis 2.

- Tres partes.
  - Historia miraculosa in nuptijs, quæ describitur à
    - Loco, quia in Cana Galilææ.
    - Tempore: in nuptijs videlicet tertio die factis.
    - Testibus miraculi, vt sunt
      - Maria.
      - Discipuli Christi.
      - Serui.
      - Architriclinus.
      - Conuiuæ.
    - Causis signi: quæ sunt
      - Defectus vini.
      - Matris intercessio, quæ etsi primùm obiurgatur à Christo, impetrat tamen quod petit, allata oportunitate, quæ & gloriæ Dei seruiat & saluti mortalium. Hanc oportunitatem hic horam suam vocat, non erat hora Christi quæ matri videbatur. Animus erat vtrinque idem.
      - Diuinitatis Christi & gloriæ comprobatio, propterea præcepit vinum Architriclino ferri vt factum innotescat, & gloriam suam manifestet, atque ita Discipuli eius confirmatiores reddantur.
    - Quantitate miraculi: Aderant, inquit, sex hydriæ, &c.
    - Fine miraculi: qui est gloriæ videlicet manifestatio, & fides Discipulorum.
  - Eiectio ementium & vendentium in Templo. Vbi docetur
    - Quæ fuerit causa eiectionis: nempe quæstus & auaritia Sacerdotum: Ne facite, inquit, domum Patris mei domum mercatus.
    - Quo medio eiecerit: flagello videlicet è funiculis facto.
    - Quomodo Discipuli hoc factum Christi interpretentur, Iudæi sinistrè interpretantur, quia erant inimici Christi laborabantque vel quæstus, vel inanis gloriæ studio: propterea signum petunt, quo ostendat Christus hæc iure à se fieri. Discipuli verò Christi & veritatis amici factum hoc Christi bene interpretantur, intelligentes illud esse ex ardenti zelo domus Dei.
    - Quid signum petentibus responderit. Christus non respondit eis apertè, sed obscure & signum offert magnum quidem & omnium certissimum, sed fidelibus tantùm cognitum: resurrectionem scilicet, qua, vt Paulus admonet, declaratus est filius Dei, quod signum Iudæis incredulis erat incognitum futurum. Idem dat & Matth. 12. signum videlicet Ionæ Prophetæ, hoc signum appositissimum erat ad hoc vt excæcarentur increduli. Nam cruce, morte & sepultura Christi ita offendebantur, vt illum in morte perijsse putarent. Hoc signum intellexerunt etiam Discipuli post resurrectionem Christi.
  - Fides quorundam in Christum. Vbi docetur
    - Cur isti crediderint: quia miraculis vel aperta etiam veritate, vel emolumento aliquo mouebantur, & credebant ad tempus.
    - Quales isti fuerint qui crediderunt: non sinceri, eò quòd Christus se illis non adiungebat, nec consuetudinem eorum admittebat.

Dispositio Capitis 3.

PARTES Capit. 3.

- Dialogus Christi & Nicodemi, qui tribus membris absoluitur.
  - Est persona Nicodemi descriptio à
    - Conditione.
    - Nomine: idq; propter fidē historiæ, & propter historiam sepulturæ Christi.
    - Dignitate: erat enim ex Senioribus & Doctoribus Ecclesiasticis, sicut & Christus inquit, Tu es Magister, &c.
  - Narratio facti, quę his membris cōpræhenditur. Quòd
    - Ad Iesum venerit sciscitandi causa.
    - Nocte venerit, id quod animi imbecillitatem designat.
    - Dixerit, Scimus quòd à Deo veneris, Magister.
    - Huius causam subijcit ex qualitate factorum Christi, ex quibus vnde esset Christus, colligebat.
  - Responsio Christi, quæ hisce locis constat.
    - Persuasionem Nicodemi reijcit: venerat enim ad Christum animo quidem bono, verùm vt Legis doctor, quasi pro sua eruditione & sapientia facilè doctrinam veritatis ex illo intellecturus. Christus contrà asserit doctrinam regni Dei talem esse, vt à nemine mortalium vt vt docto intelligi possit, nisi accedat noua natiuitas. Regnum enim Dei hic pro gratia redemptionis sumitur, & videre pro cognoscere, id quod Nicodemus non intelligit, quia primæ natiuitatis corruptionem non sentit.
    - Modum & causam regenerationis ostendit.
    - Docet carnales homines ineptos esse ad regnum Dei. Non enim possunt obedire Legi Dei, imò ne intelligere quidem viam salutis. Hic verò carnis nomen in prædicato pro carnali ponitur, sicut spiritus pro spirituali, vt sit sensus, ex carnali natiuitate hominem non nisi carnalem effici, & ea quæ carnis sunt sapere.
    - Ostendit spiritum reddere hominem spiritualem: Lex enim exigit spiritum diuinæ voluntati conformem. Hunc generat Spiritus Hanc rem similitudine aeris aperit.
    - Exprobrat Nicodemo ignorantiam scripturarum. Requiritur enim à Doctore, vt eorum, quæ docenda sunt, non sit ignarus.
    - Asseuerat se & Ioannem Baptistam vera loqui, & testari.
    - Reprehendit Iudæorum incredulitatem, & addit quæ ad auxesim Iudaicæ incredulitatis faciant: Si terrena, inquit, dixi vobis, &c.
    - Ostendit neminem esse qui in cœlos ascenderit, & arcana cœlestia & mysteria regni agnouerit, præter Filium hominis, qui è cœlo venit, & in cœlo est.
    - Docet ad quid de cœlo in hanc terram descenderit: nempe vt exaltarent, vbi & de modo & fine exaltationis disserit, figura ex Mose adhibita.
    - Docet vnde motus Deus Filium suum in terras miserit: nempe ex summa in mundum hunc dilectione Dei, dilectio in eo notatur, quòd dilexit & dedit. Dedit autem Filium non adoptiuum sed naturalem, & gratis: nam sine eo nos esse non poteramus. Ea enim natura dilectionis est, vt quæ necessaria putat ei quem diligit, largiter exhibeat.
    - Ostendit fidem necessario requiri, vt saluemur per Christum, & non iudicemur: non credentes enim condemnantur in æternum.
    - Subiungit rationem & æquitatem iudicij huius, qua Deum excusat. Accusat verò incredulos. Nam Deus gratiā salutis toti orbi vltrò ac gratis offert, sed homines gratiam hanc Dei respuunt. Lucem aspicere: id est, reuelalionem veritatis amplecti nolunt.
    - Ponit generalem sententiam per æthiologiam, de ingenio improborum, & bonornm, seu fidelium.
- Quæstio, de purificatione inter Discipulos Ioannis & Iudæos pro Magistris suis à quibus tingebantur zelantes. Baptizabat enim Ioannes & Christus per Discipulos, & gens Iudæorum legalibus erat dedita purificationibus. Ioannis Discipuli præferebant baptismum, quo ipsi erant à Ioanne tincti. Iudæ purificationes Legis, credentes Christi baptismum: quæstionem ad Ioannem referunt.
- Præclarissimum testimoniū Ioannis Baptist, antequam carceri includeretur, quod hæc in summa complectitur.
  - Quid non sit Ioannes. Ioannis enim Discipuli putabant Magistrum suum Christum esse: at Christus nec erat, nec esse poterat: erat enim homo qui nihil habere potest, nisi quod datur ei è cœlo.
  - Quid sit, & quid de se sentiendum. Est enim missus ante Christum, est præc Christi.
  - Quis ille sit contra quem Discipuli Ioannis zelabant: nempe Regis filius & sponsus, qui ad ducendam sponsam in terras venerit. Ioannes verò Nymphagogus, q sponsam in aduentum sponsi præparet, ministret ei, qui iam audita voce spon dum sponsæ loquitur, gaudeat, vt amicus sponsi.
  - Quantus ille sit, quod per collationem describit: confert enim terrenos homine cnm cœlesti, & Filij missionem ac dispensationem ab omnium aliorum missio secernit. Neque enim Spiritum ad mensuram accepit sicut alij.
  - Quid Christo debeatur: nempe fides, & accipere testimonium eius.
  - Quid in Christum credentibus expectandum: Obsignatio & confirmatio conscientiæ in veritate Dei, & veritatis Dei comprobatio: item vita æterna.
  - Quid damni maneat eum, qui Christi testimonium non accipit: id est, qui no credit.

Dispositio

Dispositio Capitis 4.

PARTES Cap. 4.

- Fuga Christi, quę tria complectitur:
  - Quòd Christus Iudæam reliquerit.
  - Quàm ob causam id fecerit: Quia propter Pharisæos, sciebat enim eorum cogitationes, ideoq; furorem illorum declinabat.
  - Quò relicta Iudæa abierit: videlicet in Galilæam.
- Historia Samaritanę mulieris, quæ describitur
  - Vbi hoc factum sit: quia iuxta fontem Iacob.
  - Quando: hora videlicet diei sexta, hora meridiei, quæ & cibum & potum efflagitabat.
  - Historiæ ac colloquij occasio
    - Sessio Christi ad fontem, eò quòd fatigatus sit.
    - Aduentus mulieris, vt hauriat aquam.
    - Sitis Christi & petitio potus, qua Christus colloquendi quærebat occasionem.
  - Colloquium Christi cum muliere de.
    - Aqua. Vbi
      - Significat Christus quid facere debuerit, potius quàm petitam aquam negaret mulier.
      - Discernit aquam suam ab aqua fontis huius seculi: aqua enim hæc, gratia Spiritus Sancti est, Ioan. 7. cuius efficacia est non sitire in æternum. Hanc aquam mulier carnaliter intelligit.
      - Mulieris temeritatem coercere volens, relicta cœlestis gratiæ commendatione, viam parat ad aperiendum illi morbum quo laborabat, quò faciliùs ad gratiæ commendationem aditum pararet: ideò de viro meminit, dicens: Voca virum tuum, &c.
      - Arguit occultum mulieris peccatum, vt sensu illius tangatur, ac seipsam agnoscens cœlestem gratiam affectet.
    - Vero Dei cultu, id est, de ritu & loco colendi Deum. Vbi Christus
      - Fidem à muliere exigit.
      - Disserit de abrogatione & cessatione iam Iudaici, iam Samaritani cultus.
      - Ponit discrimen inter Iudæorum & Samaritanorum cultum. Samaritanis tribuit quòd adorent, vt ipsi putant, Deum verum: adijcit quòd non habeant rectam adorandi scientiam. Iudæis cultum cum scientia tribuit: id est, dat illis talem cultum qui non sit incertus, & addit rationem: Quia salus ex Iudæis est. vbi salus propagationem diuinæ cognitionis significat.
      - Instruit mulierem de inductione veri ac sinceri cultus, qui loco non sit alligatus.
      - Describit verã adorationem.
        - Qui adorabunt: veri adoratores.
        - Quem: Patrem videlicet Deum, qui Pater noster est per Christum, qua voce gratiam noui Testamenti exprimit.
        - Quomodo: in Spiritu scilicet & veritate. Spiritum opponit opinioni cultus externi, veritatem hypocrisi, & vmbris legalium cultuum.
      - Addit rationem cur talem cultum Deus requirat.
      - Confitetur Messiæ tempus adesse, ac se esse Messiam.
  - Colloquiũ Christ & Discipulorũ de cibo
    - Christi, quis sit.
    - Discipulorum, quem similitudine terrenæ messis explicat, occasione sumpta ex illorum verbis, docens quanta diligentia ipsis in sua vocatione laborãdum sit. Vtitur autem argumentis, quibus Discipulos ad euangelicæ prædicationis messem excitat, à
      - Maturitate segetis, maturitas hæc seu albedo, populi auiditas est ad cognoscendã veritatem.
      - Mercede metentium: metentes sunt Ministri Christi.
      - Fine messis: vt enim fructus colliguntur ad vitæ sustentationem, ita per Euangelij prædicationem electi, alioqui dispersi, in vnũ cõgregãtur.
      - Gaudio seminantis & metentis, vterq; enim gaudet. Cognitionem Dei seminãrunt Patriarchæ & Prophetæ. Seges illa Christi demum tempore maturuit, & per Apostolos in horreũ dominicum congregata: commune itaq; gaudium erat. Hoc fusius postea explicat.
      - Laboris facilitate: facilius enim messis alieno labore parata demetitur, quàm si ab integro sit arandum, stercorandum, seminandum, & tum demum demetendum.
- Quomodo à Samaritanis sit exceptus Christus.
- Quomodo à Galilæis sit egressus.
- Historia Reguli cuius partes sunt,
  - Petitio Reguli & causa petitionis.
  - Responsio Christi, qua morbum: id est, diffidentiam Reguli curare voluit.
  - Miraculum sanati pueri.
  - Fructus miraculi: Et crediderunt, inquit, ipsi, &c.

Dispositio Capitis 5.

PARTES tres.

- Historia miraculosa sanati ægroti. Vbi describitur
  - Locus editi miraculi: Hierusalem, ad piscinam.
  - Quomodo ibi donum sanationis diuinitùs dispensabatur, & quibus.
  - Hominis huius ægroti miseria à morbi diuturnitate, & ministerij humani carentia.
  - Virtus Christi in curando ægroto.
  - Tempus sanationis: Sabbatum videlicet.
- Superstitio & malitia Iudæorũ quærentium occidere Christum. Vbi
  - Repræhendunt factum sanati hominis, quod sit illicitum: nimirum contra religionem Sabbati.
  - Cùm homo sanatus respondisset, Se, quod facit, ex alterius facere præcepto: eius videlicet qui curauerat, cui obedire oporteat. Interrogant, quis ille sit, qui non solùm nulla teneatur Sabbati religione, sed alijs etiam contemptum eius præcipiat.
  - Cùm homo sanatus Christi gloriam prædicasset, ac indicasset hunc esse Iesum, persequuntur illum, & occidere tentant.
- Apologia Christi, cuius tres sunt partes: qua
  - Se Filium Dei Patriq; naturâ & potestate æqualem esse declarat,
    - A qualitate operum suorum, quia opera sua non sunt humana, sed diuina, & opera Patris: ergo nemo illi Sabbati violationem iure impingere potest.
    - A diuinæ naturæ æqualitate, cuius legibus fuit, vt non solùm velit, nec solùm possit eadem quæ Pater, sed non possit etiam alia facere quàm Pater, id & postea repetit.
    - Ab affectu paterno erga Filium: si enim is affectus in nobis est, quantò magis Pater ita Filium ex se genitum diligit, vt omnia ei demonstret? id est, omnem suam illi sapientiam, bonitatem, potentiam, adeoque & gloriam communicet?
    - A virtute viuificandi, de qua & postea vbi de suscitatione quorundam mortuorum loquitur.
    - A potestate iudicandi, quæ soli Deo conueniat, etsi autem eadem hic sit potestas Patris & Filij, tamen executio vniuersalis iudicij, Christo filio hominis tradita est, qui in ea forma cœlitùs ad iudicandum descendet, in qua ex hoc mundo videntibus Apostolis ascendit, atq; hinc colligit se honorandum esse vt Patrem.
    - A donatione præmiorum æternorum: Qui inquit, sermonem meum audit, &c. habet vitam æternam.
    - A potestate suscitandi, non vnum aut alterum, vt in priori aduentu fecit, sed vniuersos prorsus mortuos in die illo nouissimo.
  - Tacitæ obiectioni occurrit, quasi ipse de se testimoniũ adferat. Vbi
    - Docet se non proprio nec alterius alicuius testimonio niti, sed Patris cœlestis, atq; etiam operum Patris testimonio.
    - Extenuat testimonium Ioannis tanquam hominis, idq; respectu paterni testimonij.
    - Ioanni suam authoritatem tribuit, ne quis eius testimonium respueret.
  - Iudæorũ incredulitatem reprǽhẽdit. Vbi
    - Obijcit illis quarum rerum indicia hæc illorũ incredulitas habeat: videlicet quòd
      - Deum prorsus ignorent.
      - Scripturas non scrutentur.
      - Dilectionem Dei non habeant.
      - Gloriam à se inuicem accipiant.
      - Gloriam quæ à Deo est, non quærant.
      - Mosi quoq; non credant.
    - Docet, quid damni sint ex hac sua incredulitate accepturi: quòd
      - Propter hanc sint in morte mansuri.
      - Sint seductores recepturi.
      - Sint à Mose coram Deo accusandi.

Dispositio Capitis 6.

Partes quinque.

- Historia miraculosa Vbi describitur,
  - Locus.
  - Tempus.
  - Multitudinis, quæ Christum sequebatur numerus.
  - Affectus Christi & humanitas erga turbam.
  - Tentatio Philippi.
  - Vox Philippi diffidentiam arguens.
  - Commeatus seu victus Christi & Apostolorum. Hic enim puer cum panibus istis hordeaceis & piscibus ad Christū & Apostolos pertinebat, vt ex alijs Euangelistis liquet. Victus erat parabilis & vulgaris,
  - Gratiarum actio.
  - Panum ac piscium distributio.
  - Saturitas ac pastus discumbentium.
  - Reliquiarum collectio.
  - Quid in animis pastarum turbarum miraculi huius sensus effecerit.
  - Contemptus terreni honoris.
- Miraculum deambulantis Christi super mari. Vbi describitur
  - Tempus.
  - Locus, quò videlicet Discipuli abierint.
  - Quid illis inter nauigandum acciderit, id quod sex particulis demonstratur:
    - In quantum tempestatis periculum Discipuli inciderint.
    - Quando & quomodo Dominus ad eos venerit.
    - Quomodo illi viso Domino animati fuerint.
    - Quomodo timorem illis verbo suo ademerit.
    - Quid ipsi cognito Domino facere voluerint.
    - Quomodo nauis è medio mari confestim sit ad portum translata.
- Doctrina de mysterio Redemptionis. Vbi Christus
  - Carnalis animi morbum aperit & repræhendit, vt hac occasione de vero ac spirituali pane disserat.
  - Admonet quid facere debeant: Operemini, inquit, cibum, &c.
  - Prædicat virtutem & efficaciam cibi cœlestis.
  - Aperit vnde cibus hic spiritualis petendus sit.
  - Fide cœlestem cibum parari docet: Hoc, inquit, est opus Dei.
  - Ostendit manna Mosi non fuisse verum cœli panem: ideoque Mosen non dedisse panem vitæ, sed Patrem.
  - Docet se esse illum panem vitæ.
  - Quomodo iste panis vitæ sumendus sit, & cuius sit efficaciæ.
  - Accusat cordium istorum duriciem, quòd videntes non videant, nec credant.
  - Causam reddit cur isti non credant: quia à Deo Patre sibi dati non sunt: dati enim sibi ad se veniunt.
  - Reddit causam cur ad se venientes non reijciat, & subijcit quæ sit Dei voluntas.
  - Qui sint ad se venturi: quos videlicet Pater per Spiritum ad se trahat, id quod Prophetarum testimonio declarat.
  - Repetit quę antea dixerat de pane, idq; per collationem: confert enim se cum manna: item eos qui manna ederent, & qui ipsum edant.
  - Repetit cœptam de carne sua in mortem tanquam præcium redemptionis nostræ danda, doctrinam, & repetendo fortiùs inculcat.
  - Repetit tria Dialogi capita: primum, se esse verum cœli panem: alterum, manna non fuisse verum cœli panem: tertium, vitam æternam habere eum, qui ex hoc pane ederit.
  - Medelam morbo, quo Discipuli laborabant adhibet, ac Ascensione sua probat se verè esse Filium Dei, & quòd carnem hanc pro mundi vita impenderit, & quòd non carnaliter corpus suum eroget.
  - Exponit quomodò hæc verba intelligenda sunt. Non enim carnaliter de carnali carnis suæ esu loquebatur, in quo vita non est, sed spiritualiter de spiritus viuificatoris virtute, in qua vita est.
  - Mali, id est, crassi huius intellectus fontem aperit, cùm dicit: Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt.
- Discessus Discipulorū à Christo. Vbi describitur
  - Quò discesserint: Retrò, inquit, forsan ad Scribarum & Pharisæorum discipulatum.
  - Quando: Ex eo, inquit, tempore, &c.
  - Quomodo: nec amplius cum eo ambulabant.
  - Quare: quia qui Christo dati non sunt a Patre apud illum perseuerare non possunt.
- Confessio Petri de Christo. Atque hic docet Christus etiam de numero duodecim Apostolorum inueniri, qui discedat ab ipso, qui non modò incredulus sit, vt Discipulorum multi qui discesserunt, sed & Diabolus.

Dispositio Capitis. 7.

PARTES quinque.

- Quomodo Dominus in Galilæa circuerit, eò quòd propter Iudæorum malitiam in Iudæa versari noluit.
- Quòd cùm fratribus suis ad diem festum non ascenderit: ascenderat autem postea solus velut in occulto: Hic describitur
  - Fratrum Christi insultatio seu suasio, & suasionis causæ in speciem, cùm magis fuerit exprobratio ac morsus.
  - Exprobratio ignauæ timiditatis, vt cùm videri velit nunc liberè dicere, Iudæam tamen, vbi ad mortem quæritur, fugiat.
  - Causa huius exprobrationis: quia fratres non credebant in eum.
  - Responsio Christi, quæ trib. membris absoluitur.
    - Obijcit illis temporis sui & ipsorum discimen.
    - Rationem subijcit, quare tempus suum nondum ipsorum verò semper adesse dicat, Non potest, inquit, vos odisse mundus.
    - Causam odij mundi contra se recitat.
  - Ascensus Christi cùm tempus suum aduenisset.
- Quomodo à Iudæis in die festo quæsitus sit. Vbi describitur
  - Quæstio primorum Iudæorum de Christo.
  - Murmur turbarum.
  - Metus quorundam de Christo benè sentientium: nam de eo bene loqui palàm non licebat.
- Ingressus Christi in Templum. Vbi describitur
  - Quando Templum ingressus sit: post dimidium festi.
  - Quid in Templo Christus egerit: docebat.
  - Admiratio Iudeorum super doctrina illius.
  - Responsio Christi. Vbi
    - Ostendit doctrinam suam planè diuinam esse.
    - Docet quid eos impediat quominus doctrinam suam ex Deo esse cognoscant, suæ enim ipsorum voluntati, non Dei, studebant.
    - Adijcit certum argumentum vnde constent, ex Deóne loquatur an ex seipso: qui enim ex Deo loquitur, non propriam gloriam, sed Dei quærit.
    - Arguit eos à qualitate totius Iudaicæ gentis, quam vniuersam transgressionis Mosaicæ accusat: quasi dicat, cùm sitis vos per Legem irreprehensibiles, quid mihi necem hoc nomine intetatis, quasi Legem de Sabbato transgressus sim, cùm vos contra vniuersam Legem peccetis omnes?
    - Meminit de facto suo, quo Sabattum violasse accusabatur.
    - Obijcit illis, quid operis illi faciant in Sabbato.
    - Confert illorum & suum opus, & ex ea collatione colligit præter rationem esse, vt operi ipsius Sabbati transgressionem adscribant.
    - Admonet eos, vt iustè iudicent.
  - Iudicium quorundam Hierosolymitanorum, vbi de causa silentij Sacerdotalis disputatur, & de Messiæ origine.
  - Vox Christi, qua Hierosolymitanorum de se iudicio respondet, & ostendit quòd à Deo sit, quòd nouerit eum, & quare nouerit: quia ab ipso sit.
  - Effectus concionis Christi: Multi, inquit, crediderunt, &c.
  - Pharisæorum malitia.
  - Concio Christi ad credendum, partim consolatoria, partim admonitoria: Adhuc inquit, pusillum temporis vobiscum sum, vel, vt quidam volunt, comminatoria, ad incredulos.
  - Calumnia aduersariorum: Quò hic iturus est, &c.
  - Concio Christi de animorum siti. Vbi
    - Ostendit quos ad se vocet: scilicet sitientes.
    - Ad quid: vt bibant.
    - Quomodo debeant ex hoc fonte aquæ viuæ bibere: fide videlicet.
    - Quid bibentibus potus hic sit collaturus.
  - Effectus concionis Christi de siti animorum.
  - Schisma quadruplex, id est, quatuor hominum generum, quorum bina pro Christo, bina contra Christum steterant.
- Quomodo Pharisæi Ministros suos repræhenderint, quòd Iesum non appræhenderint. Hæc pars bimembris est, de
  - Ministris Pontificum & Pharisæorum, Ministri prædicant maiestatem docentis Christi, illi contrà doctrinam eius odiosam reddunt.
  - Nicodemi candore, qui diuinæ Legis habendam esse rationem admonebat, cui tamen Pharisæi resistebant.

Dispositio

Dispositio Capitis 8.

Partes quinque.

- Egressus Christi in montem Oliuarum ac regressus in Templum, vbi & Christi in docendo diligentia, & populi in audiendo sedulitas describitur.
- Historia adulteræ: cuius partes sunt,
  - Factum Scribarum & Pharisæorum & facti consilium, vt possint eum accusare.
  - Christi responsio duplicis generis: vna quæ per literas: altera quæ verbis est expressa, qua responsione conscientias eorum ferire peccatorumque propriorum admonere voluit, quorum illi nullo sensu tangebantur.
  - Pharisæorum cum confusione discessus.
  - Absolutio & dimissio adulteræ cum veræ resipiscentiæ iniunctione.
- Cócertatio Iudæorum cum Domino, eò quòd de seipso testificabatur. Hic describitur
  - Christi de se testificatio, quòd verus ac vnicus Seruator sit mundi, sine quo nemini constet, vel veritas, vel vita, atque ita cœptam de se concionem absoluit.
  - Malitia ac calumnia Pharisæorum, qua testimonium Christi falsum esse dicunt.
  - Defensio testimonij Christi cótra Pharisæorú calumniam. Vbi
    - Discernit inter se & reliquos homines, admonens se eum esse qui non mentiatur, etiamsi de seipso tastificetur: id quod de reliquis mortalibus nemo sibi certò persuadere poterit.
    - Causam reddit, cur testimonium suum verum esse sciat.
    - Reddit rationem, cur testimonium suum Pharisæi mendacij arguant: quòd videlicet nesciant vnde venerit: id est, ignorant dispensationis suæ opus.
    - Discernit inter iudicium carnalium & suum.
    - Rationem reddit cur, si iudicaret, verum tamen esset eius iudicium.
    - Citat Legis testimonium, quo declarat testimonium suum non reijciendum, sed acceptandum esse, eò quòd & Pater de eo testificetur.
  - Quæstio Pharisæorum de Patre, vbi sit.
  - Responsio Christi, qua illis ignorantiam exprobrat, quòd nec se, nec Patrem nouerint.
- Cóminatio Domini ad Iudæos facta, quòd in peccatis ipsorum essent morituri: cuius partes sunt
  - Concio Domini. Vbi
    - Meminit de abitu suo.
    - Ostendit quid ex incredulitate sua consecuturi sint.
  - Mussitatio Iudæorum ac calumnia.
  - Responsio Christi ad mussitationem Pharisæorum, qua discriminat inter se & illos, & vtrunque declarat, quare venire nequeant, quò ipse abeat: & quare dixerit quòd in peccatis ipsorum sint morituri. Inferos vocat hunc mundum, peccatis & perditionis obnoxium. Iam cùm ex inferis sint, nec recipiant eum, per quem solum a peccato & perditione liberarentur, illos in peccatis morituros dixit. Id quod postea clarius explicat: Si enim non credideritis, &c.
  - Quæstio Pharisæorum ex malitia & temeritate orta: Tu quis es, &c.
  - Respósio Christi, qua
    - Ostendit se id esse quod loquitur: dixerat autem se esse Lucem mundi, Filium Dei.
    - Discernit inter iudicium Pharisæorum & suum: suum autem ac Patris testimonium verum esse pronunciat.
  - Comminatio eorum quæ post crucifixionem acciderunt: tum enim ex miraculis coguntur cognoscere quòd sit Filius Dei, etiamsi nunc dæmoniacus appelletur.
- Redargutio Iudæorum, & seq. Vide literam A.

A. Redargutio Iudæorum, quòd nec Dei, nec Abrahæ progenies sint. Huius loci partes sunt

- Concio Christi ad credentes, in qua
  - Hortatur credentes ad perseuerantiam vt in sermone suo permaneant.
  - Ostendit quid ex hac perseuerantia sint consecuturi. Quòd
    - Verè Christi Discipuli sint.
    - Cognoscant veritatem.
    - Liberos reddat eos veritas. Constat autem non loqui Dominum de alia veritate, quàm testimonij sui, quód Pharisæi mendacij arguebant, per hanc veritatem nos Filius Dei liberauit: qua videlicet erat in mundum missus, vt genus humanum morte sua Deo Patri reconciliaret, & credentes in se saluaret.
- Instantia Phrisæorum, qua conantur verba Christi de libertate, mendacij ac vanitatis accusare, & quòd semen Abrahæ sint, & nemini seruierint vnquam.
- Responsio Christi ad vtrumq;. Vbi
  - Demonstrat eos seruos esse. Hic docet
    - Quare sint serui.
    - Quæ sit conditio serui ac filij: Filius enim hæres est ac Dominus in domo paterna, è qua non modò eijci non potest, sed ipse potestatem habet eijcere seruos, quibus in ea non est manendi ius sicut filio, & hæredi.
    - Quis ex hac seruitute peccati liberet, ac ex seruo liberos ac filios Dei faciat: Filius videlicet Dei.
  - Ostendit eos non esse verum semē Abrahæ. Hic docet
    - Iudæos esse semen Abrahæ, sed secundùm carnem, cùm alieni sint à fide & pietate Abrahæ.
    - Cur quærant eum interficere: quòd videlicet sint reprobi.
    - Cur sermonem suum non audiant, idque per collationem: confert enim se cum illis & Patrem suum & illorum: Patrem enim sequitur sua proles.
    - Quare non sint veri filij Abrahæ.
- Inficiatio Iudæorum, qua negant se è stupro natos: id est, idololatras, qui falsis dijs subijciantur, & asserunt se vnum tantùm Deum colere, huius filios esse.
- Responsio Christi, in qua
  - Negat eos esse Filios Dei, à
    - Natura filiorum: verorum enim filiorum est fratres, & eos etiam qui ad ipsos à patre mittuntur, diligere, non odio prosequi.
    - Cognitione filiorum Dei: qui enim sunt domestici ac filij Dei, non possunt paternæ domus ignorare linguam.
  - Verum illorum patrem exprimit Diabolum. Vbi
    - Ostendit ingenium ac desideria Diaboli, & adscribit ei duo pessima desideria, occidendi & mentiendi, vbi & de eius casu disserit.
    - Comparat mores illorum ingenio Diaboli.
    - Ostendit se non posse mendacij argui veritatem prædicare, illos tamen veritatem aspernari.
    - Addit causam incredulitatis, quòd non sint ex Deo.
- Calumnia Pharisæorum, quæ bimembris est.
- Responsio Christi, in qua negat se Dæmonium habere. Quia
  - Patrem glorificet.
  - Non quærat gloriam suam.
  - Vitam dat seruanti sermonem suum: Diabolus autem homicida est.
- Calumnia aduersariorum ex amphibologia vocabuli mortis nata, & est bimembris.
- Responsio Christi ad calumniam Pharisæorū. Vbi
  - Ostendit se non glorificare seipsum, sed esse qui gloriam suam quærat.
  - Obijcit illis ignorantiam Dei.
  - Adscribit sibi scientiam & obedientiam Dei.
  - Redit ad mysterium susceptæ dispensationis, indicans illud tam non esse nouum ac recens excogitatum, vt etiam prioribus inditum fuerit visendi illius desiderium, qui illud etiam in Spiritu viderint. Nominat autem ex Patribus Abrahamum, vt & calumniæ respondeat, & illos à fide & pietate Abrahæ alienos esse demonstret.
- Calumnia aduersariorum ab ætate sumpta.
- Responsio Christi, qua sibi Diuinitatem adscribit.
- Finis disputationis.

Dispositio

Dispositio Capitis 9.

Partes Cap. 9.

- Historia caeci illuminati. Vbi describitur
  - Discipulorum quaestio de causa caecitatis huius.
  - Responsio Christi: in qua
    - Aperit illis veram causam, ob quam ille natus fuerit caecus. Non erat sic natus propter peccatū suū. Quomodo enim peccasset nondum natus? Nec propter peccatum parentum: qua enim aequitate puniretur infans propter peccatum parentum? sed ob id erat caecus natus, vt seruiret gloriae Dei, in Christo Filio eius: propterea, inquit, Christus. Me oportet operari opera eius.
    - Significat sibi non esse negligendam occasionem operandi, sed properandum operando, donec in mundo sit.
    - Comparat tempus praesentiae suae diei, & tempus discessus nocti: dies, operandi tempus est, nox quiescendi.
  - Illuminationis modus.
  - Obedientia caeci ex fide orta.
  - Virtus Christi.
- Quomodo miraculum hoc exceptum sit à vicinis primùm, deinde à Pharisaeis. Hic describitur
  - Vicinorum quaestio de
    - Persona caeci.
    - Modo illuminationis.
    - Loco quónam se Christus receperit.
  - Tempus quo caecus hic sanatus est: Quia in Sabbato.
  - Pharisaeorum malitia & impugnatio miraculi. Hic describitur
    - Quaestio Pharisaeorum de modo illuminationis.
    - Iudicium Pharisaeorum de miraculoso Christi opere.
    - Quaestio Pharisaeorum quid hic caecus de Iesu sentiat, vt ex ore illius calumniam venentur.
    - Iudicium caeci de Christo, quòd Propheta sit.
    - Quaestio Pharisaeorum ad parentes
      - An sit filius ipsorum.
      - An caecus natus fuisset.
      - Quomodo nunc videat.
    - Responsio parentum ad haec tria Pharisaeorum quaesita.
    - Timor parentum.
    - Infamatio authoris miraculi coram caeco.
    - Confessio caeci modesta, ne maleuolentiae Pharisaeorum calumniandi causam praeberet.
    - Quaestio iterum de modo illuminationis, vt factum Christi diuexent, & ansam culpandi factum Christi venentur, si minus circumspectè responderit.
    - Confessio caeci de Christo, cuius pars prima indignabunda est: altera ironica: neque enim sperare potuit eos fieri Discipulos Christi, quem tantoperè persequebantur.
    - Conuicium Pharisaeorum in caecum.
    - Responsio caeci, in qua argumentatur à
      - Praesenti miraculo.
      - Communi piorum omnium consensu: Scimus, inquit, quòd Deus peccatores non audit.
    - Finis Pharisaicae examinationis.
- Dialogus Christi & caeci illuminati, in qua
  - Declaratur quomodo à Pharisaeis eiectus & excommunicatus, à Christo sit pleniùs instructus, assumptus, ac mentis etiam oculis illuminatus.
  - Cur in mundum venerit Christus: Vt iudicium Dei reuelet, quo sic diuinitùs constitutum est, vt paruulis regni Dei cognitio reueletur: Sapientibus verò absconditur.
- Concertatiuncula inter Christum & Pharisaeos quosdam de caecitate & visu.

Dispositio Capitis 10.

PARTES Cap. 10.

- **Parœmia de veris & falsis Pastoribus, in qua docet quid sit proprium**
  - Verorum Pastorum: videlicet
    - Per ostium in stabulum intrare.
    - Proprias oues nominatim vocare.
    - Educere eas.
    - Ante eas ire.
  - Falsorum Pastorum:
    - Non per ostium intrare in stabulum.
    - Oues non cognoscere.
    - Non ad pastua ducere, sed ad lanienam potius abripere.
- **Expositio parœmiæ de**
  - Ostio, quid sit: se autem facit ostium.
  - Vero Pastore, qui itidem est Christus.
  - Ouibus, qui sunt electi ad vitam.
  - Furibus & falsis Pastoribus, vbi & discrimen verorum ac falsorum Pastorum ponitur.
  - Ingenio eorum qui veri Pastores non sunt, sed mercenarij, qui non cum emolumento, sed cum damno maximo ouium veniunt, sicut & fures.
  - Vniuersali omnium electorum Pastore. Christus enim non Israelis tantùm, sed vniuersalis omnium electorum Pastor ac Princeps est. Atque hic obiter significat se accepisse mandatum à Patre & potestatem moriendi pro ouibus: idq; se amore illius spontè ac liberè facturum, eaq; in re illi gratificaturum.
- **Dissensio inter Iudæos propter sermonem Christi oborta. Vbi**
  - Ponitur Iudæorum calumnia & blasphemia.
  - Defenditur Christus à quibusdam contra calumniam maleuolorum, argumentis sumptis
    - Ab inculpata & sana doctrina.
    - A præsenti miraculorum virtute.
- **Interrogatio Iudæorum, num ipse sit Christus. Vbi describitur**
  - Tempus quando hoc gestum sit: In festo encœmiorum & hyeme.
  - Locus vbi gestum sit: In Templo.
  - Quæstio Iudæorum, num ipse sit Christus.
  - Responsio Christi, quæ quadrimembris est.
    - Notat aduersariorum incredulitatem.
    - Tradit doctrinam de veritate, fide, & virtute cœlestis pasturæ cuius suprà mentionem fecerat.
    - Ostendit à quo traditæ sint sibi oues.
    - Causam reddit cur de manu Patris nemo rapere possit oues, ac de sua etiam manu: Ego, inquit, & Pater vnum sumus.
- **Conatus Iudæorum, vt Christum lapidarent, eò quòd Patris ac suam indiuulsam communicationem & potentiam & voluntatis & regni cœlestis esse dixerit.**
- **Apologia Christi. Vbi**
  - Operum suorum mentionem facit, & interrogat propter quod opus illum lapidare conentur.
  - Iudæi respondent se id facturos propter blasphemiam, quòd se Patri æqualem faciat.
  - Purgat se Christus
    - Testimonio sacræ scripturæ. Vbi ostendit non esse alienum à verbo Dei, & homines vtique reprehensibiles vocare deos: idque sine blasphemia, imò iuxta Legem. Quantò magis Christus à Patre sanctificatus ac diuina virtute inauguratus, & in mundum hunc missus, Deus dicitur?
    - Operum suorum argumento ac testimonio.
- **Discessus Christi à Iudæis quærentibus ipsum appræhendere. Vbi describitur**
  - Iudæorum malitia.
  - Quò Christus abierit.
  - Argumentum populi Christi & fides.
  - Vnde populus ad credendum sit permotus.

Dispositio Capitis 11.

Partes Cap. 11.

- Descriptio personæ Lazari.
  - A nomine.
  - A loco.
  - A cognatione.
  - Ab affectione corporis.
- De infirmitate Lazari. Vbi describitur
  - Sororum beneuolentia ergà fratrem Lazarum.
  - Nuncium sororum ad Christum, de valitudine Lazari.
  - Responsio Christi ad nuncium sororum, in qua ostendit Christus, ob quā causam Lazarus in hunc morbum inciderit: diuino enim consilio, non casu, factū hoc est, ad hunc finem, vt per hoc glorificetur Pater in Filio.
  - Affectus Christi in Lazarum, & eius familiam.
  - Mora aliquantula Christi post nunciatum morbum.
  - Significatio propositi ad Discipulos de profectione in Iudæam, vt eos meticulosos ad hanc profectionem præmuniret, ac pręparet.
  - Responsio Christi. Vbi
    - Respondet ad ea, quæ discipuli de malitia Iudæorum obiecerant, ac ostendit, habendam sibi esse rationem temporis à Patre iniuncti, donec sit in mundo, idq́; per similitudinem.
    - Aperit in quem locum Iudææ proficisci, & quid ibi agere velit.
  - Discipulorum stupiditas: putant enim eum loqui de dormitione somni: deinde cogitant eum ad hoc velle redire in Iudæam, vt ægrotantem, ac dormientem excitaret, & curaret: iudicantq́; id non tanti esse momenti, vt ob eam causam periculo se exponat, cùm dormitio illa signum sit futuræ sanitatis.
  - Expositio verborum Christi de somno.
  - Gaudium ac gratulatio Christi, quòd occasio sit oblata ad quadriduanū mortuum excitandum, quæ oblata non fuisset præsenti perinde ac absenti.
  - Allocutio Thomæ, qua cunctātes Discipulos excitat: licèt parum expenderit, quid à Domino audiuerit.
  - Profectio Christi cum Discipulis.
  - Occursus Marthæ & oratio, qua Christum excipit. Queritur de morte fratris, & simul indicat, potuisse illam aucrti, si Christus affuisset: & tamen nondum spem suam abiecisse significat.
- Historia suscitati à Christo Lazari. Vbi describitur
  - Dialogus Christi & Marthæ de
    - Resurrectione.
    - Causa resurrectionis: Ego, inquit, sum resurrectio.
    - Fide, qua mortales participes resurrectionis reddātur, qualis hæc fides sit, confessio Marthæ ostendit.
  - Auiditas Mariæ properandi ad Dominum.
  - Qua occasione Iudæi ad sepulchrum Lazari venerint.
  - Affectus Mariæ erga Dominum, & oratio.
  - Quomodo se Christus erga plorantes gesserit: Commotus, inquit, intra se est, partim indignando Satanæ, cuius opera mors venit in mundum: partim condolendo lugentibus. Huc facit quòd lachrymatus est Iesus.
  - Quomodo à Iudæis exceptæ sint Christi lachrymæ. Pars dicit: Ecce quomodo amabat eum? pars contrà: Si amauit, quare non cauit ne moreretur?
  - Fremitus Christi propter cæcitatem & malitiam Iudæorum, qui dicebant: Non potuit hic facere, ne moreretur?
  - Iussio Christi, vt lapis collatur.
  - Marthæ vox diffidentiam spirans.
  - Christi obiurgatio ad Martham, qui infirmum Marthæ animum erigere voluit.
  - Miraculi descriptio, quæ bimembris est:
    - Ostendit quomodo resuscitatus sit Lazarus.
      - Patrem alloquitur, & agit illi gratias.
      - Imperat mortuo.
      - Iubet illum solui.
    - Quomodo sit hoc miraculum à circumstantibus Iudæis exceptum: Alij credunt in Dominum: alij ex hoc miraculo materiam prodendi Dominum arripiunt.
- Quæ miraculum hoc consequuta sint. Vbi docetur de
  - Concilio Pontificum.
  - Causa concilij.
  - Concilij statu, seu propositione per Caipham pronunciata. Significat autē Euangelista, diuino instinctu fuisse locutum, non humano: ac hæc verba vim habuisse vaticinij, quo fuerit diuinitùs inspiratus, propter Sacerdotalis dignitatis prerogatiuā: licèt preter veritatis scientiā, & animi sentētiā hęc à Caipha proferantur.
  - Concilij conclusione, vt interficerent Iesum.
  - Facto domini, ꝙ venerit in ciuitatē Ephram, volēs aduersariorū insidias declinare.
  - Studio aduersariorum ad capiendum Christum.

Dispositio Capitis 12.

PARTES Cap. 12.

- De cœna Christo Bethaniæ parata. Vbi describitur
  - Tempus: videlicet ante sex dies Pascatis,
  - A quo parata: A Simone videlicet, non à Martha, vt ex Matthæo constat.
  - Ministra mensæ, Martha.
  - Vnctio pedum Christi à Maria sorore Marthæ.
  - Indignatio Iudæ propter effusum vnguentum: vnde & occasionem tradendi Christum sumpsit.
  - Causa indignationis.
  - Responsio Christi, qua negat perditum esse vnguentum, sed seruatum: id est, in bonum vsum collocatum: nempe ad sepulturam suam breui futuram.
- Quomodo multi Iudæorum, qui Bethaniam, Lazari visendi gratiâ aduenerant, propter illum in Christum crediderunt, eamque ob causam Principes Sacerdotum de Lazaro quoq; occidendo consultauerũt.
- Christi in Hierusalẽ ingressus. Vbi describitur
  - Tempus.
  - Quomodo Christus à turba exceptus.
  - Quo iumento vectus.
  - Prophetæ de Christo vaticinium, quod impleri oportuit.
  - Notatio ignorantiæ Discipulorum.
  - Testificatio turbæ de Christo.
  - Malitia Pharisæorum.
- De Græcis quibusdã, qui Christum videre cupiebãt. Huius partes,
  - Desiderium horum Græcorum.
  - Christi responsum ad Discipulos, & turbam circumstantem, sumpta occasione ex desiderio Græcorum. Vbi disserit de
    - Glorificatione sui breui futura, vt non Iudæis tantùm, sed & Gentibus innotescat Christus.
    - Morte, vsu ac necessitate mortis suæ, per quam erat glorificationẽm adepturus. Id facit per similitudinem grani.
    - Conditione, statu, ac sorte, suorumq; Discipulorũ, vbi ab exemplo suo arguit, & addit quoq; consolationem a præmijs suorum.
- Turbatio Christi recordatione horæ crucis, & petitio, vt Pater liberet eum ex hac hora crucis, ne illam ferre cogatur. Hæc petitio carnis est, quæ voce Spiritus corrigitur: Propterea, inquit, veni in horam hanc sextam, vt mortem istam patiar.
- Oratio Christi, in qua causam suam in manus Patris commendat, seq; ad omnia ferenda, modò nomen illius illustretur, spontaneum offert.
- Vox cœlitùs delapsa, & eius expositio. Vbi exponitur
  - Causa huius vocis. Non propter me hæc vox venit, &c.
  - Quomodo illustretur nomen Dei: deijciendo scilicet regnum Satanæ, quod factum est per mortem Christi: propterea dicit. Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum: id est, omnium potestatem ad me traham.
- Quæstio turbæ de exaltatione.
- Responsio Christi admonitoria, vt dum tempus gratiæ, id est, prædicatio Euangelij adest, ambulent in luce homines. Id amplificat per collationem.
- De causa incredulitatis Iudæorum, quòd diuino iudicio corda eorum sic essent obscurata, aures aggrauatæ, vt quamuis multa & grandia miracula cernerent, doctrinam cœlestem audirent, haud magis tamen credere potuerunt, quàm si nihil horum vel viderint, vel audiuerint.
- Quòd multi ex Principibus, licèt in Christum crederent, propter metum tamen Pharisæorum non sunt confessi, timentes ne illorum gratiam amitterent, ac excommunicarentur.
- Testificatio Christi de se, in qua disserit de
  - Fide, vbi docet, non in se credere, qui in se credit, sed in Patrem.
  - Missione ac dispensatione sua, vt significet, non agere se propriam causam, nec venisse proprio arbitratu, sed missum esse a Patre, vt sit lux mundi.
  - Iudicio incredulorum.

Dispositio Capitis 13.

PARTES Cap. 13.

- Lotio pedum Discipulorum. Vbi describitur
  - Tempus gestorum.
  - Præscientia Christi, ac beneuolentia erga suos.
  - Modestia Christi, qua pedes suorum lauare sustinuit.
  - Reuerentia Petri erga Christum intempestiua.
  - Expositio lotionis per comminationem.
  - Responsio Christi ad vocem Petri, in qua similitudine vtitur eorum, qui in balneo fuerunt, & applicat similitudinem ad Apostolos, vno excepto.
  - Doctrina lotionis pedum ab exemplo Christi.
- Malitia Iudæ proditoris. Vbi describitur.
  - Quanta ingratitudo Iudæ in Christum fuerit.
  - In quem calcaneum suum leuauerit. Non in nudum aliquem hominem, sed Deum Patrem à quo missus erat: Qui, inquit, me recipit, recipit eum, qui me misit: Ergo qui me non recipit, non recipit Patrem.
  - Quomodo Christus de proditore testificatus sit.
  - Hæsitatio Discipulorum, de quo id diceret.
  - Zelus ac feruor Petri erga Dominum.
  - Turbatio Christi, & manifestatio proditoris, dato signo vni Discipulorum.
  - Vehementior Satanæ impulsus in Iuda, id quod ingressus Satanæ in Iudam significat.
  - Stupor Discipulorum, quòd vocem Christi non intelligunt: Quod facis, fac otiùs.
  - Egressus Iudæ.
- Cócio Christi de glorificatione sui ac discessu. Vbi ostendit
  - A quo glorificandus sit: Quia à Patre.
  - Cur glorificetur: Quia & Deus glorificatus est per eum.
  - Quando sit glorificandus: Continuò, inquit.
  - Quam sint illum post discessum desideraturi.
- Concio de Lege mutuæ dilectionis, qua Discipuli ipsius cognoscendi sint: atque hîc suum exemplum ad imitandum nobis proponit.
- Dialogus Christi ac Petri. Vbi describitur
  - Quæstio Petri, qua amorem suum erga Dominum declarat.
  - Christi responsio ambigua.
  - Præsumptio Petri.
  - Abnegationis Petri prædictio.

Dispositio Capitis 14.

PARTES Capit. 14.

- Consolatio Discipulorum.
  - Adhortatur vt in se credant, si quid in Deum habent fiduciæ.
  - Pollicetur illis cœlestem mansionem.
  - Ostendit quare abeat: vt videlicet paret illis locum.
  - Pollicetur illis reditum ac præmia.
- Stupor & ignorantia Thomæ, ac reliquorum Discipulorum, non intelligentium quæ dicebantur à Domino.
- Responsio Christi, in qua declarat,
  - Patrem esse eum, ad quem abeat: Id est, rediturum se esse ad cœlos.
  - Se esse viam illam vnicam, per quam venitur ad Patrem.
  - Se non viam solùm, sed & veritatem, & vitam esse: veritatem id est, lucem diuinæ cognitionis, per quam Deus cognoscatur: vitam, qua cum Deo in sempiternum viuant.
  - Se Patris esse imaginem: vt qui cognoscat Filium, cognoscat & Patrem.
- Christi concio ad Philippum. Vbi
  - Reprehendit Philippum ob incredulitatem. Adijcit autem argumenta huius fidei, qua credant in Filio esse Patrem, & in Patre Filium: primùm à doctrina sua, quæ non humana, sed diuina sit, ac talis, vt perspicuè referat Filium Dei: alterum argumentum ex operibus sumptum, quæ & ipsa non humana sint, sed diuina, ac Patris opera.
  - Hortatur eos in genere ad credendum in se.
  - Subijcit pollicitationes, quibus diuinam suam virtutem amplificat, ac probat.
- Adhortatio Christi. Vbi
  - Hortatur vt fideles se præbeant, & constantes Ministros, si se diligere affirment.
  - Adijcit promissionem de
    - Spiritu, quem mundus non nouit.
    - Visione Discipulorum post resurrectionem.
    - Reditu suo.
    - Perfectiori cognitione Discipulorum, post acceptum Spiritum.
  - Subijcit signum dilectionis erga se.
  - Pollicetur suam ac Patris dilectioné his, qui se diligunt, ac plenioré sui cognitioné.
- Quæstio, Responsio, & seq. Vide literam A.

Quæstio Iudæ, cur gratiam hanc manifestationis ac cognitionis suæ suis præstiturus esset, alijs negaturus, vt supra de Spiritu & visione innuere videbatur.

A. Responsio Christi, in qua
- Repetit superiora, à Iuda & alijs non animaduersa, vbi ad quæstionem respondet.
- Verbo suo authoritatem conciliat.
- Pollicetur iterum Spiritum Sanctum, & cur promittat, docet.
- Vale dicit illis, ac more abeuntium pacem benedictionis loco relinquit.
- Consolatur illos, & animat: Ne turbetur, inquit, cor vestrum; abeo quidem, sed reuertar.
- Ostendit quid facere debebant: nempe Christo gratulari propter gloriam illam cœlestem à Patre sibi ac suis destinatam.
- Significat in propinquo esse horã mortis suæ, qua fit, vt non sit iam multum cum illis acturus.
- Reddit rationem quare posthac non sit multis cum illis acturus, quòd Satan per Satellites suos in procinctu sit ad perficiendum opus suum.
- Ostendit ita constitutum esse à Domino. Vt mortem subeat pro nobis, non pro se, eaque in re declaret, quòd Patrem diligat, & mandato eius etiam ad mortem vsque obediat.

Dispositio Capitis 15.

PARTES Capit. 15.

- Adhortatio Christi, vt in se maneant: quod facit similitudine quadã vitis agricolæ & palmitũ. Hic exponitur
  - Quid sit vitis vera: quia Christus. Hæc metaphora mysterium mediationis exprimit: vt enim palmes quicquid habet, per vitem habet, cui est adunatus: ita & Christus datus est nobis à Patre Mediator, vt per ipsum bona cœlestia accipiamus.
  - Quid sit Agricola: Pater videlicet, qua metaphora significat se tanquam Mediatorem à voluntate & operatione pendere paterna, & nos diuinæ subesse curæ, ac prouidentiæ: hic verò & culturam Patris significat, & finem culturæ, vt fructus adferatur.
  - Qui sint palmites: Discipuli videlicet Christi. Hic.
    - Significat purgari nos doctrinâ, si credamus verbo.
    - Docet à nobis requiri, vt in Christo maneamus, sicut palmites in vite.
    - Hortatur vt maneamus in illo, ac illum diligamus:
      - Ab impossibili.
      - Ab vtili.
      - Ab inutili & damno.
      - A suo & Patris exemplo.
    - Rationem subijcit quare hortetur eos vt in dilectione sua maneant: videlicet vt constanter Christus de illis, illi perfectè de Christo gaudeant.
- Adhortatio ad mutuam dilectionẽ:
  - Ab exemplo suo.
  - A iure amicitiæ. Amicus enim amico gratificari in omnibus rebus honestis debet, Christiani amici Christi sunt, & additur ratio: Ergò, &c.
  - Ab Electione, qua declaratur, quòd eos Christus dilexerit immeritos.
- Consolatio cõtra odiũ mundi, cui erant futuri obnoxij. Vtitur hic argumentis
  - Ab exemplo suo.
  - A communi sensu: nemo enim dubitat, quemque suauiter complecti, quod sibi nouit esse cognatũ, vel proprium, ac detestari quod à se scit esse diuersũ, ac alienũ.
  - A causa odij: quòd non nouerit Patrem mundus.
  - A magnitudine peccati & pœnæ aduersariorum. Vbi ostendit ignorantiam hanc Iudæorum non esse simplicem & excusabilem, sed maliciosam, eò quòd audierint vocem cœlestem, & viderint miracula.
- Promissio Spiritus, qui quis sit Christus, manifestis signis testabitur, & Iudæorum incredulitatem & odium conuincet: neque ille solùm, sed & Discipuli.

Dispositio Capitis 16.

PARTES Cap. 16.

- De persecutione, quam suis prædicit, vt eos preparet, ac muniat. Vbi docet
  - Quid patiantur ab incredulis.
  - Quam ob causam: Quia videlicet nec Patrem, nec se nouerint.
  - Cur initiò de persecutione non prædixerit: Quia, inquit, vobiscum eram.
- De abitu suo, & vtilitate abitus sui.
- De opere Spiritus Sancti, & officio, quod est,
  - Arguere mundum, id est, incredulos.
  - Gubernare Discipulos Christi.
  - Ducere in omnem veritatem.
- Concio Christi cósolatoria: Quòd
  - A mortuis excitatum iterum videre possint.
  - Mœror ipsorum in sempiternum gaudium conuertatur.
  - Illorum gaudium firmum ac perpetuum sit, non téporarium, sicut mundi gaudium.
  - Accepto Spiritu perspicuè cognituri sint ea, quæ nunc capere nequeunt, vt nihil sint ex illis interrogaturi.
  - Tum sint Patrem nomine suo inuocaturi: quod hactenus non fecerunt, & petita etiam ab illo accepturi.
  - Pater eos charos habeat, vt tutò ad Patrem per Christum accedere possint, & additur causa dilectionis Patris: Quia vos me amastis, &c.
- Confessio Discipulorum de omniscientia Christi.
- Responsio Christi, in qua
  - Admonet eos futuræ tempestatis, tentationis, fugæ, ac dispersionis.
  - Ostendit ad quem finem toto isto sermone prospexerit: Vt in me, inquit, pacē habeatis.
  - Hortatur ad constantiam, ac tolerantiam, & additur ratio: Ego, inquit, vici mundum; sic inquam, vici, vt nec contra me, nec contra vos quicquam possit, quantumuis insaniat & grandia machinetur.

Dispositio Capitis 17.

ORATIO Christi.

- Pro glorificatione sui & Patris. Vbi
  - Ostendit horam passionis suæ adesse.
  - Petit à Patre glorificari, id quod de resurrectione, Ascensione in cœlos, ac missione Spiritus intelligendum est: cuius virtute sic est glorificatus, vt nomen eius in toto mundo factum sit omnium illustrissimum.
  - Demonstrat ad quem finem glorificari cupiat: Vt, inquit, & Filius te glorificet. Per Filium glorificatur Pater, dum nomen, bonitas, potentia, &c. illius, per eum mundo innotescit.
  - Ostendit per quid ipse glorificetur: Quòd videlicet agnoscatur Dominus omnis carnis, & autor vitæ cœlestis.
  - Docet quid requiratur ad vitam æternam: Videlicet cognitio Patris & Filij.
  - Addit rationem cur glorificari petat: quod videlicet nomen Patris & doctrina, & signis toto dispensationis suæ cursu & ipse illustrauit, dum illi omnia & se & doctrinam, & virtutem miraculorum adscripsit. Hoc enim opus erit Christi, quod se consummasse dicit. Loquitur autem de glorificatione hominis ad dexterā Dei patris in cœlestibus collocandi, ad quam certè antequam mundus fieret, prædestinatus fuit. Habuit autem gloriam Dei vt verbum ante conditum mundum reipsa apud Deum. Vt Filius hominis autem gloriam Domini omnium, in cuius nomine omne genu incuruari debeat ante conditum mundum prędestinatione habuit, reipsa post dispensatam formam serui accepit.
- Pro Discipulis. Vbi
  - Significat se orare pro his, quos non temerè de mundo selegerit, sed ab ipso Patre sibi datas acceperit.
  - Ostendit se discipulis nihil aliud tradidisse, quàm ea, quæ ad gloriam & illustrationem paterni nominis faciant.
  - Prædicat Discipulorum suorum fidem, pietatem, & obedientiam erga se.
  - Subijcit orationem pro Discipulis
    - Discriminat inter suos, & non suos, vt significet pro quibus, & pro quibus non oret.
    - Rationem subijcit, quare pro mundo non oret, oret autem pro Discipulis: Quia scilicet tui sunt, & in mundo hoc peruerso sint.
    - Declarat quomodo Discipuli Patris sint: sic nempe, vt simul etiam ipsius sint, iure communicationis omnium eorum, quæ Patris & sua sunt.
    - Ostendit, Addit, & seq. Vide literam A.
- Pro credituris in se, & seq. Vide literam B.

A.
- Ostendit quid petat, vt seruet eos, & addit quomodo eos seruari petat: Vt, inquit, vnum sint, vt in Spiritu & doctrina veritatis sic vnum sint, vt nullo pacto à se inuicem dissentiant, sicut nec Pater & ipse à se inuicem dissentiunt.
- Addit rationem cur suos nunc Patris custodiæ ac patrocinio commendet: Cùm essem, inquit, in mundo, patrocinatus sum illis meâ præsentiâ, ne à Satana circumuenirentur.
- In quem finē hoc à Patre petat: vt videlicet nomine suo gaudeant, & perfectè exhilarentur, intelligentes quo loco sint apud Patrem per filium, quòd Filio dati sint a Patre, quòd eos Pater seruare velit.
- Significat quòd tradiderit illis sermonem Patris, non solùm vt eum fide amplecterentur, sed etiam vt toti orbi promulgarent.
- Ostendit quòd propter verbum Patris mundo sint exosi.
- Orat ne malitiâ & nequitiâ Satanæ circumueniantur.
- Orat vt ad ministerium Apostolicum, quo veritas Euangelij spargatur in orbe, Spiritu Dei sanctificentur: id est, deputentur & confirmentur, id quod in die Pentecostes factum est. Hic veritatem doctrinam Euangelij vocat, ad quam propagandam missi erant Discipuli.

B. Pro credituris in se. Vbi
- Orat vt & hi vnum sint.
- Addit de fructu vnitatis huius: Vt, inquit, credat mundus, &c.
- In quo vera fidelium vnitas consistat: videlicet in Spiritu veræ dilectionis, quem hic gloriam à Patre acceptam appellat: alij pro miraculorum virtute accipiunt. Consummationem autem vnitatis vocat eam, qua non inter nos duntaxat, sed & vnà cum Deo Patre & Filio eius per ipsum coadunamur.
- Orat vt credentes secum sint, ac gloriam suam videant, ac reipsa experiātur, quòd à Patre dilectus fuerit.
- Discernit suos ab hoc mundo.
- Commendat in suis cognitionem Dei Patris, quam ipse eis manifestauerit.
- Pollicetur augmentum cognitionis huius.
- Addit de vtilitate cognitionis: videlicet vt dilectio Patris erga Filium etiam in fidelibus locum habeat, & ipse in illis habitet.

Dispositio Capitis 18.

De captione Christi. Vbi describitur
- Vbi captus sit.
- A quo proditus.
- Præscientia omnium eorum, quæ illi ventura erant.
- Constantia Christi, qua hostibus obuiam processit, & se Iesum Nazarenum esse testatus est.
- Diuina Christi virtus, qua factum, vt qui ad capiendum & prosternendum inermem, ipsi armati, & multi venerant, prostrati sint, vt conscientijs illorum ostenderet quid posset, modò vellet, & quàm frustrà armati adessent, nisi spontè se cruci submitteret.
- Petitio Christi, vt Discipulos abire sinant.
- Petri pugna.
- Prohibitiö gladij, seu pugnæ pro Christo, & prohibitionis ratio.
- Captiuitas Christi.
- Quò Christus sit abductus: Ad
  - Annam. Vbi describitur
    - Quæstio de Discipulis & doctrina.
    - Responsio Christi, qua ostendit nemini obscurum esse quid docuerit, & remittit Annam ad auditores.
    - Percussio ac insultatio serui Pontificis.
    - Defensio innocentiæ Christi.
  - Caiapham. Vbi describitur Petri abnegatio repetita, quam commemoratione rerū quarundam interruperat.
  - Pilatum. Vbi describitur
    - Superstitio Iudæorum.
    - Percontatio Præsidis de causa accusationis.
    - Responsio Iudæorum, qua fidem & authoritatem sibi sumunt, vt nolint in ipsorum facta & consilia inquiri.
    - Vox Pilati indignabunda ad Iudæorum responsionem: quasi dicat, Iudicate vos causam, quam vos soli scire vultis, talis Iudex ego esse nolo, qui quenquam mortalium, causa non cognita, iudicem.
    - Nota seruitutis Iudæorum.
    - Quæstio præsidis, num Christus Rex sit Iudæorum.
    - Responsio Christi, qua quærit, vnde ad quæstionem hanc sit permotus.
    - Responsio Præsidis, qua quæstionem hanc ad Iudæos reijcit.
    - Quæstio Pilati de causa accusationis: Quid fecisti?
    - Responsio Christi, qua negat se mundanum esse Regem, & cur in mundum venerit, docet.
    - Testimonium innocentiæ Christi per Præsidem.
    - Consuetudo Iudæorum in festo.
    - Pertinacia Iudæorum.

Dispositio Capitis 19.

Loci Capitis 19.
- De flagellatione & coronatione Christi.
- De studio Pilati, quo illum dimittere posset.
- De malitia Iudæorum.
- Quibus rationibus ad condemnandum Christum Præses sit permotus: videlicet, quòd Christus se Filium esse Dei, & Iudæorum Regem dixisset.
- Quæstio Pilati de origine generis, non de loco natali, an fortè deorum aliquem haberet parentem. Interrogat enim vt Ethnicus. Christus verò nihil ad hæc respondit, sed potestatis iactationem perstringit postea. Quòd enim potestatem in se habeat, id singulari Dei prouidentia constitutum erat.
- De studio & conatu Pilati vt illum dimitteret.
- De eductione Christi.
- De crucifixione Christi inter duos facinorosos.
- De titulo capiti imposito.
- De diuisione vestium.
- Quinam illi ex suis astiterint in extremis.
- Quid Christus in cruce pendens dixerit, ac fecerit.
- De siti.
- De emissione Spiritus.
- De his quæ mortuo iam Christo contigerunt, vt
  - Apertio lateris.
  - Depositio de cruce.
  - Sepultura Vbi describitur
    - Per quos sepultus sit.
    - Quomodo.
    - Vbi.
    - In quo monumento.

Dispositio Capitis 20.

Habet hoc caput quatuor resurrectionis Christi historias. De
- Duobus Apostolis Petro & Ioanne. Vbi describitur.
  - Studium & pietas Mariæ.
  - Pietas Petri & Ioannis erga Christum.
  - Abitio horum Apostolorum ad monumentum Christi.
- Magdalena. Vbi describitur.
  - Fletus Mariæ.
  - Visio Angelorum.
  - Quæstio Angelorum, & responsio Mariæ.
  - Apparitio Christi, & interrogatio.
  - Notificatio sui per compellationem, ea voce, quæ mulieri isti esset notissima.
  - Prohibitio sensus carnalis.
  - Missio Magdalenæ ad fratres.
  - Obedientia Mariæ.
- Manifestatione Domini, qua se Discipulis simul congregatis, ipso resurrectionis die manifestauit. Vbi describitur
  - Tempus apparitionis.
  - Modus apparitionis.
  - Salutatio.
  - Membrorum demonstratio.
  - Mandatum, seu missio.
  - Flatus.
  - Exhibitio muneris Apostolici, quod tradidit symbolo sensibili, & verbo adiuncto. Symbolum erat flatus oris. Verbum est, Accipite Spiritum Sanctum, id est, donũ spiritus sancti, ac potestatẽ muneris Apostolici.
  - Declaratio muneris, cùm dicit: Quorumcunque remiseritis peccata, remittantur eis, declarat enim quæ dixerat: Sic misit me Pater, &c.
- Thoma, quomodo ille ad fidem resurrectionis perductus sit. Huius loci partes sunt duæ: prima, de incredulitate Thomæ: secunda, de confirmatione illius, & confessione: item de encomio illorum, qui non videntes soli verbo fidem adhibent.

Dispositio Capitis 21.

APPARITIO Christi ad mare Tyberiadis. Vbi describitur
- Occasio Apparitionis, & piscatio Discipulorum.
- Modus apparitionis.
- Interrogatio Christi, An Petrus amet Christum.
- Commendatio ministerij Petro ac reliquis per Christum.
- Prædictio mortis generis Petri propter ministerium.
- Curiositas Petri.
- Redargutio curiositatis Petri.
- Testimonium Ioannis & eius veritas.

FINIS EVANGELII SECVNDVM IOANNEM.

DE DISPOSITIONE ORATIONVM, quæ in Actis habentur, quæ quidem vt longiores cæteris sunt, ita plus habent artificij.

Dispositio Orationis Petri ad Iudæos, Actor. 2.

ORATIONIS huius duæ sunt partes.
- 1. Apologitica est: defendit enim se, ac suos, cuius summa est: Nos ebrij non sumus. Id probat à
  - Tempore, quod hora diei tertia sit.
  - Vaticinio prophetico. Vbi
    - Notat sufficienti diuisione cognitionis plenitudinem sine respectu personarum.
    - Vaticinatur de impiorum pœna.
    - Addit generalem & primariam sententiam de fide, & inuocatione nominis Dei: vnde occasionem accipit de religione Christiana disserendi.
- 2. Didactica, in qua docet Iesum esse Christum Dei Filium. Quod probat
  - A prodigijs & signis.
  - A resurrectione, quòd Prophetæ Dauidis testimonio probat: & hunc Dauidis locum de Christo potiùs, quàm de Dauide intelligendum esse demonstrat, cùm sepulchrum Dauidis apud Iudæos sit.
  - Ab ascensione Christi, quod item Dauidis testimonio probat. Et locum Dauidis, non Dauidi, sed Christo propriè competere docet.

Dispositio Orationis Petri Actor. 3

ORATIONIS partes duæ sunt.
- 1. Apologitica est, vbi ostendit, non sua, sed Christi virtute id esse factum, & quomodo sanatus sit Claudus per fidem videlicet suam & Claudi.
- 2. Suasoria, in qua ad pœnitentiam, & suscipiendum Christum adhortatur Iudæos à
  - Iudicij terrore.
  - Testimonio diuino, quo probat eos perdendos esse, qui Christum non suscipiant.
  - Prophetarũ testimonio, qui Mosen secuti, similia de Christo scripserunt.
  - Dignitate & vocatione eorum. Sunt enim Prophetarum filij, ac testamenti: ergo verbis Prophetarum credere debent, & pactis standum erit.

Dispositio

Dispositio Orationis Stephani, Actor. 7.

- ORATIONIS partes duæ.
  - Apologitica, in qua accusationi respōdet. Accusabant enim, quod Legem contempsisset, & Templū violasset. Hic disce,
    - Quæ sit summa defensionis: videlicet quòd & ante Legem, & in Lege vera fides in Deum, & non ceremoniæ, placuerit Deo, & quòd Deus cum Patribus eorum commercium habuerit, absque Templo ac ceremonijs: Ergo veram religionem non affixā esse Templo ac ceremonijs. Quod cùm ita habeat, iam satis efficaciter liquere, quòd neque in Deum, neque in Legem eius, neque in locum sanctum quicquam deliquerit.
    - Quomodo suum institutū probat
      - Ab exemplo
        - Abrahæ, qui cùm esset vir iustissimus, placuit tamen ac seruiuit Deo absque Templo ac ceremonijs, fide ac vitæ integritate. Addita circumcisio monebat, vt sub hanc religionem obligarentur omnes posteri, nec illi vnquam crederent se alia re, quàm fide in Deum saluos futuros.
        - Filiorum Abrahæ, vt Isaac, Iacob, qui patris Abrahæ religione coluerunt Deum absque Templo ac ceremonijs.
        - Ioseph, qui nullis ceremonijs, nullo in Templo, sed fide, patientia, castitate, & vitæ integritate placuit Deo. Hic addit multa, quæ nihil faciant ad rem præsentem, sed interponuntur ad expositionis & historiæ seriem integrandam.
        - Mosis Legislatoris, quod & ipse fide, misericordia & charitate, absque ceremonijs ac Templo, placuit, ac seruiuit Deo. Apparuit enim illi Dominus, & conuersatus est cum eo, absq; Templo ac ceremonijs. Hic describit Mosen qualis fuerit: deinde accusat omnem externum cultum, quem Israelitæ aut comminiscebantur, aut ex præscripto Dei faciebant, neglecta fide ac charitate. Id probat ex Propheta: postea pœnam prædicit.
      - A Tabernaculi restituti ratione. Non enim in hoc instituit Dominus Tabernaculum, vt in ipso tota pietatis summa subsisteret, sed vt Tabernaculum testimonij esset, quòd ipse futurus esset Deus illorum, ipsi vicissim populus: si modò in fide & in vitæ integritate coram eo ambularent: deinde vt essent vmbra verorum bonorum, quæ in cœlis sunt. Visibile enim Tabernaculum ad alterius Tabernaculi formam deformatum in monte, vt esset vmbra verorum bonorum.
      - A Templi extructi ratione, quod non in aliud erat institutum, quam vt esset domus orationis, 3. Reg. 8. Esa. 56. Iudæi verò summam pietatis in Templi religione consistere docebant. Hunc eorum errorem hic refellit Stephanus, Esaiæ testimonio.
  - Accusatoria. Vbi.
    - Accusat eos, quòd non sint circumcisi vere, etsi circumcisionem iactent.
    - Corripit eos, quòd Legem non seruent, etiamsi Legem iactent. Nam perfectionem Legis Christum Dominum contemnunt, ac blasphemant.
    - Taxat à natalibus, quòd homicidarum sint progenies, vt non mirum si se ac alios Christicolas occidere conentur.
    - Redarguit quòd Christum etiam ipsum occiderunt.

Dispositio Orationis Pauli, Actor. 13.

- ORATIONIS partes.
  - Exordium ductum à genere, timore Dei, & prouidentia Dei, quòd salus eorum curæ fuerit Deo. Cæterùm hoc ipsum altissimè, repetita expositione orditur ex anteactis, Dei comprobans veritatem, iusticiam & clementiam: quam tamen nullis in rebus æquè demonstrauit, quàm dum Filium suum Iesum Christum orbi exhibuit.
  - Propositio suasoria. Suadet enim vt Christum Iesum fide suscipiant.
  - Descriptio Christi, vt
    - Quis sit. Quomodo prædicatus.
    - Quomodo passus.
    - Quamobrem tam indigna passus.
    - Quomodo sepultus, ac resurrexerit.
    - Quomodo omnia ista Scripturis sunt prodita, & confirmata.
    - Quis rerum Christi fructus.
    - Quid eos maneat, qui Christum contemnunt prædicatum.

Dispositio Orationis Pauli, Actor. 17.

ORATIONIS partes.
- Demonstratiua: cuius partes,
  - Exordium, quod ducitur à re præsenti. Hinc enim orationis occasionem sumit: vnde postea ad ea descendit, quæ maximè persuasa cupiebat.
  - Propositio, quæ est vnum esse Deum verum, eumq; fide & sanctimonia esse colendum, non rebus externis, non templorum religione, aris, simulachris, &c.
  - Confirmatio propositionis,
    - Ab immensitate Dei, qui loco includi non potest: vnde constare possit vanam esse templorum religionem.
    - A perfectione Dei & omnisufficientia, qua ipsum omnium bonorum fontem confitemur: nullius opera aut auxilio indigentem, vt externa sacrificia nihil planè curet.
    - A prouidentia & virtute Dei. Ipse enim dat lucem, ac vitam omnibus creaturis: præcipuè verò homini, qui ad cognitionem Dei creatus est.
    - Ab vbiquitate Dei. Deus enim non est circumscriptibilis, sed vbique est, vt templo, aris, ac simulachris includi non possit.
    - A cognatione generis. Homo enim simulachrum & imago Dei est: cultus ergo idolorum vanus est. Cùm enim Deus spiritus sit, nulla re corporea effigiari potest.
- Hortatoria. Hortatur enim per Christum ad pœnitentiam, vt resipiscentes à paganismo, ac vanis Philosophorum opinionibus veræ pietati se dedant, ac Christum recipiant, quem hic propter humanam naturam Virum vocat. Hortatur autem à terrore Iudicij.

Dispositio Orationis Pauli ad Presbyteros, Actor. 20.

ORATIO est hortatoria: cuius partes,
- Exordium ductum ab ipsa re.
- Narratio. Res enim suas breui enumeratione exponit, vt quid ipsos deceret, in promptu haberent, quos successores in labore verbi Dei relinquebat.
- Propositio orationis: vt in sana veritatis doctrina permaneant, hanc Ecclesijs fideliter dispensent, labores non horreant, sua non quærant, & ab hæreticis caueant.
- Cõfirmatio propositionis.
  - Ab exemplo suo: Se enim hic in omnibus imitandum proponit, siue ærumnas ac afflictiones, siue laborem, siue animi studium spectes. Non enim auaritiæ deditus fuit.
  - Ab officio Presbyterorum.
  - A Pseudoprophetarum ingressu, vt magna vigilia opus sit.

Dispositio Orationis Pauli coram Præside, Actor. 24.

ORATIO est purgatoria: cuius partes,
- Exordium sumptum partim ab aduersariorum dictis, partim à Iudicis persona.
- Defensio sui per inficiationem. Negat enim ea, de quibus accusabatur. Quòd
  - Non sit seditiosus. Id probat
    - Breuitate temporis, seu breuissimo temporis spacio: vnde facilè cognosci possit, an ipse rem tantam adornare, ac tantam seditionem concitare potuerit, vt aduersarij accusabant illum.
    - Causa: Quòd non contendendi, sed adorandi gratiâ Ierosolymam ascenderit.
    - Notatione locorum: Nam per partitionem suæ causæ fulcra admolitur.
  - Non sit noui & impij dogmatis author. Vbi claram ac sinceram liberè confitetur veritatem, quòd Deum verum colat, nec alia ratione, quàm Lex & Prophetæ perscripserunt.
  - Templum non prophanauerit, eò quòd sese iuxta Legem purificauerit, oblationes & sacrificia obtulerit: neque quicquam turbæ in Templo excitârit; imò Iudæi quidam omnis tumultus autores fuerint.

Diſpoſitio Orationis Pauli coram Agrippa, Actor. 26.

- ORATIONIS partes.
  - Exordium ſumptum à perſona Regis & ipſa re, ſeu cauſa plurimum habens confidentiæ.
  - Excuſatio, ſeu deſenſio ſui, quòd non ſit noui dogmatis author. Id probat à
    - Vitæ prioris inſtituto. Legis enim ſemper ſtudioſiſſimus fuit: vnde manifeſtum eſt, non pecaſſe illum quicquam in Legem Iudæorum.
    - Cauſæ, de qua accuſatur, veritate. Accuſabatur enim de Reſurrectione, quæ quidem & Iudæorum ipſorum ſpes eſt. Non peccauit ergo quicquam in Iudæos, nec eos aliqua in re offendit.
    - Cœleſti reuelatione & viſione, à vocatione, qua à Moſe ad Chriſtum vocatus eſt. Huic vocationi obediendum fuit. Hic exponit quomodo ad Chriſti cognitionem venerit.
    - Prædicatione ſua, quæ cum ſcriptis Moſis ac Prophetarum optimè congruat.

FINIS ACTORVM APOSTOLORVM.

DISPOSITIO EPISTOLARVM PAVLI decem, quæ ſunt ad Eccleſias miſſæ.

AD LECTOREM STEPH. SZEGEDINVS.

Quid doceat Paulus breuibus cognoſcere ſi vis,
Huc ades: Has Tabulas perlege, volue diu.
Hæ producta tibi breuibus proponere poſſunt:
Summatimq́; locos Relligionis habent.
Membrorum ſeriem demonſtrant, atque tabellæ:
Vt mentem valeas ipſe tenere viri.
Hanc ſeriem ſi quis nolit cognoſcere rectè:
Ignorat, Paulus quid probet, & quid agat.

Vita Pauli Apostoli, ex eiusdem Epistolis, & Apostolorum Actis desumpta.

DESCRIBUNTUR in Epistolis & Actis, Pauli

- Genus: Est enim Israel ex genere, Hebræus ex Hebræis, Philip. 3.
- Tribus: Erat enim ex Tribu Beniamin, Philip. 3.
- Natales: Fuit enim Pharisæi filius, & ipse Pharisæus, Act. 23.
- Patria: Natus in Tharso Ciliciæ, Act. 22,
- Circumcisio, Philip. 3.
- Nomen: Saul. In Tribu enim Beniamin primus Rex fuit Saul, cuius gratiâ Beniamitæ sibi bellè placebant. Vnde & nata est inter illos æmulatio domus Saulis, quam plerique per id testabantur, quòd ipsum nomen Sauli, Regis ipsorum liberis suis imponebant. Hinc factum esse videtur, quod & Apostolus ex ea Tribu prognatus, Saul est à parentibus suis nominatus. Sic erat ea æmulatio inter Beniamitas inueterata, vt ad Christi vsque tempora duraret. Quantumuis ipsa persona Saulis à Deo esset reprobata, cuius rei illi rationem tantam non habebant, quantam habere debebant. Pluris faciebant regiam dignitatem in Saule pro Tribus suæ gloria, quàm voluntatem & gloriam Dei. Ex æmulatoribus tamen illis singulari consilio Dei natus est hic Saulus, qui multò fœliciùs inter Apostolos connumeratur, quàm prior ille inter Prophetas, quod prouerbio dicebatur. 1. Reg. 10. Erasmus putat Paulo, primùm Hebræo, nomen Hebraicum inditum Saul: nam hoc nomine compellat illum Christus, Saul, Saul, quid me persequeris? Deinde quoniam Aegyptus, Cilicia, & huic finitima Syriæ pars, propter Alexandri Magni imperium, & postea Romanam administrationem iam ferè Græco sermone vtebatur, Hebraicam vocem in Græcam formam fuisse deflexam, quòd Græci nullum habeant vocabulum in lambda desinens. Atque ita ex Saul factum esse Saulum: quemadmodum & hodie Latini ex Adam faciunt Adamum, ex Abraham Abrahamum, ex Ioseph Iosephum. Denique quoniam Pauli nomen iuxtà Græcis ac Romanis erat familiare, è Saulo rursus factum esse Paulum, vt vocabulum etiam lubentiùs agnoscerent, quorum se doctorem profitebatur, & hic quoque omnia fieret omnibus. Ipse certè hoc nomine perpetuò vsus est in scriptis suis. Saul Hebræis sonat petitum, Grecis ypsilon dũtaxat abiecta, commotionem ac tumultum sonat, propriè maris & fluctuum salos. Paulus Græcis sonat quietum, Romanis pusillum.
- Adolescentia. Vbi describitur
  - Institutio: In secta enim Pharisaica, & scientia Legis à puero accuratè à Gamaliele Legis Doctore institutus est. Exterarum quoque literarum non ignarus, id quod ex testimonijs Græcorum Poetarum patet, quæ in literis suis citat.
  - Iusticia, quæ Legis est, & Pharisaica. Philip. 3.
  - Zelus, qui non erat secundùm scientiam, Philip. 3.
  - Blasphemia, persecutio, violentia, Gal. 1. Philip. 3. 1. Tim. 1. Act. 8. 9. &c.
- Iuuentus. Vbi describitur
  - Conuersio, Act. 22. 26. Gal. 1.
  - Vocatio: Vocatus est enim, vt esset Christi Legatus, Doctor gentium, 1. Tim 2. Minister Dei, 2. Cor. 6. Minister Christi, 2. Cor. 11. Minister Spiritus, 2. Cor. 3. Minister noui Testamenti, ibid. Minister Euangelij, ad Coloss. 1. Ephes. 3. Minister reconciliationis, 2. Cor. 5. Minister iusticiæ, 2. Cor. 3.
  - Doctrina de Iesu Christo: Nam doctrinæ eius scopus erat Christus, isque crucifixus, 1. Cor. 2.
  - Virtutes, vt
    - Labor manuum, 1. Cor. 9. 2. Thess. 3. Act. 20. quo verò labore & artificio vsus sit, Act. 18. exprimitur.
    - Labor in verbo, de quo præcipuè, 1. Cor. 15 Quo quidem labore effecit, vtindè à Hierosolymis ad Illyricum vsque mirabili celeritate Euangelij cursum extenderit.
    - Fidelitas animi, 1. Tim. 1. Erat fidelis illius animus, procul omni fraude & simulatione, etiam cùm esset contra Dominum blasphemus: quod enim tum faciebat, ad hoc faciebat, vt pro Deo Israelis, tanq; Deo suo fideliter contra nouam sectam decertaret.
    - Conscientia pura, 1. Cor. 4.
    - Affectus erga fideles, 1. Thess. 2.
    - Humanitas, passim in Epistolis.
    - Continentia, Philip. 4.
    - Humilitas, ibid. Iusticia, Philip. 3.
    - Solicitudo pro Ecclesijs, Coloss. 2.
    - Conuersatio fidelis, 1. Thess. 2.
    - Innocentia & constantia, Act. 23.
  - Passiones, vt
    - Captiuitas, Philip. 2. Act. 16.
    - Lachrymæ, Philip. 3. propter defectum quorundam.
    - Discrimina & afflictiones, 2. Cor. 11.
    - Dolor, Philip. 3.
  - Liberatio, Act. 16. 23. 26.
- Senectus, de qua in Epistola ad Philemonem.
- Mors: Capite mulctatus est à Nerone, die 29. Iunij, Anno à nato Christo 70.

De diſpoſitione Epiſtolæ ad Romanos, quæ in partes ſeptem diuiditur, Tabula prima.

- EPISTOLAE ad Romanos partes tres.
  - Inſcriptio. Vbi docet,
    - Quis ſit author huius Epiſtolæ.
    - Ad quid vocatus ſit: quia ad Euangelium. Vbi & diſſerit de
      - Vetuſtate, authoritate ac dignitate Euangelij: eſt enim prædicatio iſta de Chriſto Ieſu.
      - Chriſto, quem prædicat Euangelium, qui eſt verus Deus & homo.
    - Quomodo, & à quo, & cuius rei gratia vocatus ſit.
    - Quibus ſcribat: Eccleſiæ videlicet Romanæ.
    - Quid precetur illis: gratiam & pacem.
  - Exordium, quod cõſtat quatuor membris:
    - Protaſis: Gratulor vobis cognitionem Euangelij, & optârim mihi contingere, vt coràm vos docere poſſim.
    - Aduerſatiua: Sed hactenus non licuit, verum opto, vt aliquando liceat mihi ad vos proficiſci.
    - Ratio propoſitionis exordij: Quia debitor ſum Græcis & Barbaris.
    - Alia ratio in qua ineſt quædam occupatio: Nec pudet me Euangelij.
  - De peccato, quòd omnes homines ſint peccatores. Hãc propoſitionẽ poſt diſtributionem ponit. Hic docet,
    - Gentes eſſe peccatores. Horum alij ſunt
      - Manifeſtarij, horum peccata ſunt
        - Falſa religio, impietas, idololatria, ſeu contemptus Dei, vt ſunt, quòd
          - Reuelationem ſeu manifeſtationem Dei aſpernantur.
          - Diuina negligant, & carnalia quædam ſibi cudant, & his gloriam tribuant.
          - Inuiſibilem illam vim viſibili ſpecie ac ſimulachro exprimant, & illi nomen Dei tribuant, illudque pro more colant.
        - Iniuſticia, quæ naſcitur ex idololatria, ſeu contemptu Dei. Hic recenſet omnis generis ſcelera & peccata, de quibus gentes accuſat.
      - Hypocritæ, qui quidem alios accuſabant, & in ſpeciem ſanctè viuebant, interim domi omnibus malis referti. De his cap. 2. hic diſſerit de
        - Longanimitate Dei, de vſu & abuſu eiuſdem.
        - Iuſto Dei iudicio.
        - Lege naturæ & conſcientia hominis.
    - Iudæos omnes eſſe peccatores. Vbi.
      - Docet, quæ ſint eorum peccata: quòd
        - Non ſeruent Legem.
        - Circumciſionem ſpiritualem non ſeruent, vbi & de duplici Circumciſione diſſerit, carnis ſcilicet & cordis, & illam ſine iſta nihil prodeſſe dicit.
      - Reſpondet obiectionibus quibuſdam: idq; digreſſione quadam, ac primùm Iudæorum, deinde & Gentium obiectionibus reſpondet, vbi & de infallibili Dei veritate & iuſticia docet, ac poſtea generalem de peccato propoſitionem inſert, ac eam Scripturæ teſtimonijs confirmat. De his cap. 3.

Tabula ſecunda, de quarta & quinta Epiſtolæ parte.

- EPISTOLAE ad Romanos pars de
  - Iuſticia, quòd gratis propter Chriſtũ iuſtificemur. Hanc propoſitionẽ velut præcipuã cõfirmat cap. 3. & 4. argumentis
    - A natura Dei, quæ eſt ſeruare, ac benefacere omnibus etiam gentibus: benefacit autem Deus, non per Legem, quam non habent gentes, per fidem ergo ex gratia benefacit.
    - Ab exemplo Abrahæ, vnde plura ducuntur argumenta
      - Abraham ex fide iuſtificatus eſt, non ex operibus: ergo & nos ex fide in Chriſtum iuſtificabimur. Eadem enim eſt ratio iuſtificationis.
      - Cuicunque aliquid imputatur, id ſanè illi ex gratia imputatur & non debetur ex debito: atq; Abrahæ imputata eſt fides ad iuſticiam: Ergo Abraham ex fide vel gratia, non ex merito ſeu debito iuſtificatus eſt.
      - Abraham ante Circumciſionem iuſtificatus eſt: ergo non ex Legis operibus.
    - A teſtimonio Dauidis hoc modo: Beatus cui remittuntur peccata: ergo peccatorum remiſſio, quæ iuſtificatio eſt, non eſt meriti, ſed gratiæ.
    - Ex hæreditatis vocabulo. Quæ hæreditate obueniunt, gratis obueniunt. Obuenit autem iuſticia hæreditate: ergo gratis.
    - Ab abſurdis. Si
      - Legi deberetur iuſticia, iam fides euacuata eſſet: Lex enim nititur merito, fides gratiæ. Nunquam enim conſcientia certa eſſe poſſet, nunquam acquieſcere in operibus. Subit ergo hæſitatio & deſperatio, qua exinanitur fides, & additur ratio: quia Lex iram operatur.
      - Ex operibus eſt iuſticia, ſoluta eſt promiſſio. Collapſa enim fide ſimul & promiſſio euacuata eſt. Ac fruſtra promittitur, quod vel ipſi habemus, vel præſtare poſſumus. Hic verò 4 & 5. cap. digreditur & fidem veram exemplo fidei Abrahæ & cognatis ſeu conſequentibus fidem deſcribit, ac poſtea fontes peccati & gratiæ indicat.
  - Iudicio, vt eiectum, & ſeq. Vide literam A.

A. CAP. 6. Iudicio vt eiectū deuictūq; huius mundi Principem impugnemus, ac iudicemus illum per nos deuinci posse. Huius loci sunt

- Fideles innocentiæ studere debere, quod probat capite 6.
  - Ab effectu fidei, seu natura hominis Christiani. Fides enim vera iugulat carnis affectus, eadem efficit Christianum.
  - A baptismi mysterio. Omnes baptizati obligantur ad innocentiam vitæ. Hoc enim est in mortem Christi baptizari: ergo in peccato fideles manere non debent.
  - A natura insitorum surculorum, qui succum eius trunci imbibunt, cui inseruntur. Si Christo sumus insiti, Christi spiritu vegetamur, ac ad nouam vitam, quæ resurrectione significatur, animamur.
  - A Christi morte & resurrectione, seu vita.
  - A facili, quòd simus sub gratia, ac à Spiritu Sancto agamur.
  - A relatiuè oppositis. Cuicunque vos traditis ad obediendum, eius serui estis: obediuistis autem iusticiæ, &c.
  - A fœditate rerum carnalium ac præmijs peccati & iusticiæ.
  - A similitudine sumpta ex Lege, quæ est cap. 7. Cuius summa est; Peccato velut imperioso marito copulati sumus. Hoc nondum extincto, à Lege non sumus liberi. Quibus igitur peccatum mortuum est, etiam à Lege sunt liberi, & Christo nubere possunt qui peccatum confecit mortalibus.
- CAP. 7. De Lege, vbi docet.
  - Quid sit Lex.
  - Quare lata, quis effectus eius.
  - Qualis sit quia sancta & bona.
  - Quæ pugna carnis & spiritus.
  - Quòd liberi simus à Lege, & maledictione Legis.
  - Quomodo liberati simus à maledictione Legis.
  - Quis effectus carnis & Spiritus.
- CAP. 8. Consolatio: consolatur enim eos qui carnem suam crucifigunt & pugnant contra carnem. Neq; enim humana imbecillitas citra exiguam operam affectiones carnis premit, vincit & conficit: solatur autem
  - Ab exemplo Christi.
  - A breuitate afflictionis.
  - Ab amplitudine vitæ æternæ.
  - A natura spei.
  - Ab efficacia orationis.
  - A Dei prouidentia.
  - A proposito Dei, quod est saluare in Filio.
  - A beneuolentia Dei.
  - A facili.

Tabula tertia, de sexta & septima parte Epistolæ ad Romanos.

EPISTOLAE ad Romanos pars.

- CAP. 9. 10. & 11. 6. De reiectione Iudæorū & vocatione Gentiū. Huius loci sunt
  - De gloria gentis Iudaicæ.
  - De carnali Iudæorum gloriatione quam Scripturæ testimon ijs contundit.
  - De Dei iusticia in electione, id quod Scripturis comprobat.
  - De reiectione Iudæorum ex Scriptura, vt arrogantiam illorum deprimat.
  - De causa reiectionis Iudæorum, quòd nimium suæ fidant iusticiæ.
  - De zelo Iudæorum impio.
  - De duplici iusticia, Legis & Fidei.
  - De summa Fidei.
  - De modo iustificationis seu vocationis. Vbi docet Iudæos sua perire culpa, quòd Deum toties vocantem aspernarent.
  - CAP. II. Consolatio Iudæorum, ne penitùs eos consternaret.
    - A suo exemplo.
    - Ab exemplo Israelitarum seculi Heliæ.
    - A spe resurgendi relicta.
    - A similibus primitiarum ac radicis, per quæ patres Iudæorum intelligit.
  - Quid Gentibus faciendum: videlicet non superbiendum, sed bonitas Dei agnoscenda, cogitandum vnde emerserint, quales olim fuerint, quòd excidere & ipsi possint, ac fieri possit vt Iudaica gens resumatur.
  - Iudicia Dei inscrutabilia esse.
- 7. Pareneses quędā cap. 12. &c. de
  - Christianorum sacrificijs & oblationibus, cap. 12.
  - Officio hominis Christiani, cap. 12.
  - Priuata vindicta, cap. 12.
  - Magistratu & iure gladij, cap. 13.
  - Ciborum ac dierum delectu, cap. 14.
  - Scandalis vitandis, cap. 14. & 15.
  - Oratione Christianorum, cap. 15.
  - Salutandis quibusdam, cap. 16.
  - Cauendis Pseudoapostolis, cap. 16.

Dispositio Epistolæ Pauli primæ ad Corinthios, quæ in partes decem diuiditur.

Tabula prima de duabus primis Epistolæ partibus.

EPISTOLAE ad Corinthios pars.

- Exordium sumptum à gratiarum actione. Gratulatur enim Corinthijs abundantem gratiæ Dei contigisse cognitionem, per quam & salutem, si persistant consequi possint.
- Adhortatio ad constantiam & concordiam in religione. Vbi
  - Dissidia Corinthiorum recenset.
  - Remedium adhibet, & ad concordiam reuocat,
    - Ex natura religionis & genio Christi. Christiana religio flagitat vt vni Christo hæreat populus. Cur ergo vos contra religionis naturam Christum sciinditis.
    - Ex more redemptionis. Qui redimuntur, vel à morte, vel ex vinculis, eius serui sunt qui redemit. Redemit autem supplicio crucis Ecclesiã Christus: Ecclesia ergo vnius Christi redemptoris est.
    - A sacramento baptismi. Qui baptizantur in nomen alicuius, eius fiunt peculium cui consecrantur baptismate: baptizamur autem in nomen Christi: Christi ergo peculium sumus, non hominis cuiuspiam.
  - CAP. 1. & 2. De Philosophia humana seu grandiloquentia disserit, qua quidem Pseudoapostoli sese venditabant, & Paulum velut ignarum aspernabantur, & hoc ipso Ecclesiam Dei scindebant. Hanc docet displicere Deo, qui cœlestem sapientiam simplici ratione mundo exponere voluit, certas ob causas. Hic docet
    - Euangelij prædicationem simplici dicendi genere prolatam, non inanem esse fidelibus.
    - Cur Euangelium Deus citra sapientiæ secularis splendorem illucescere voluerit.
    - Quomodo & per quos ab initio fundata religio.
    - In Christo esse omnes thesauros cœlestes licèt simplici sermone prædicetur.
    - Quomodo, seu quo genere sermonis Paulus Corinthijs Euangelium prædicârit: oculari videlicet demonstratione Spiritus & virtutis, non grandiloquentia.
    - Qualem sapientiam prædicârint Apostoli: videlicet sapiẽtiam perfectam & absolutam.
    - Quo præceptore discatur cœlestis sapientia: quia Spiritu.
    - Quis sit scopus doctrinæ Spiritus.
    - De viribus carnis & Spiritus.
    - Cur initio quædam pietatis mysteria ac spiritualia Corinthijs non tradiderit Paulus. Nam & de his Pseudoapostoli illum accusabant. Id Corinthijs carnalibus & infirmis adscribendum esse, non sibi. Traxit allegoriam à nutricibus, & educandi ratione.
  - CAP. 3. & 4. De Ministris verbi agitur contra Pseudoapostolos, qui cùm Ministri essent, sese præferebant, & arrogantiùs de se sentiebant, atque ita constantiam & concordiam Corinthiorum labefactabant. Vbi docet
    - Omnem prouentus Euangelij gloriam Dei esse, non Ministrorum.
    - Quid Ministris tribuendum, quid Deo. Quod re rustica, seu hortorum cultu & architectura demonstrat.
    - De iudicio, seu pœna Pseudoapostolorum, qui Templum Dei prophanant.
    - Quomodo Pseudoapostoli vindictam Domini subterfugere possint, simul illorum medicans vitio, vt desinant esse arrogantes.
    - Non esse in Ministris gloriandum.
    - Apostolos dispensatores mysteriorum Dei esse, non Dominos.
    - De iudicio diuino & humano.
    - Non esse in re aliqua gloriandum.
    - Periculosam & odiosam esse functionem Ministrorum.
    - Lenitatem & seueritatem decere Doctores.

Tabula secunda, de tertia, quarta & quinta Epistolæ parte.

Epistolæ primæ ad Corinth. partes.

- **Cap. 5. & 6.** Castigatio scelerum. vt,
  - Stupri. Vbi
    - Turpitudinem sceleris accusat.
    - In Corinthios inuehitur ex abrupto.
    - Quid facto opus sit, indicat.
    - Accusat Corinthiorum superbiam & negligentiam in puniendis flagitijs.
    - Hortatur ad vitæ sanctimoniam.
    - Ostendit à flagitiosis abstinendum esse.
  - Auaritiæ. Erāt enim qui per auaritiam aduersus fratres in iudicio contēdebant, de hoc cap. 6. Vbi
    - Accusat Corinthios, quòd in iudicium prodirent impiorum.
    - Accusat quòd propter leuiculas res contēderent, quod peccarent negando debitum, & iniuria afficiendo fratres, cùm exigerent à fratribus quod non debent.
    - A pristinæ vitæ fœditate absterret ac auaritiæ: iungit obiter & alia vitia.
  - Luxus. Vbi disserit de abusu libertatis ad luxum Sic enim dicebant: Omnia nobis licent, vbi non de delectu ciborum loquebantur, sed de luxu & crapula.
  - Scortationis, à qua conatur abstrahere, à
    - Dignitate nobilitateq; humani corporis. Corpus non in hoc homini datum, vt immundicia hoc commaculet, sed vt sanctum Christi membrum, Deum in vitæ sanctimonia colat.
    - Grauitate huius peccati, per collationem.
    - Dignitate humani corporis: Corpora, inquit, vestra in templa Spiritus Sancti consecrata sunt. Non ergo conuenit, vt per immundiciam polluamus corpora.
- **Cap. 7.** De coniugio. Erant enim Corinthij hypocritæ, qui vt cæteris puriores viderentur, nuptias dānabant. Hic docet de
  - Matrimonio in genere. Vbi docet & fine de matrimonij, & de debito coniugali.
  - Digamia. Erant enim qui tametsi ius coniugij non adimerent, nolebant tamen iterari coniugium post mortem coniugis.
  - Impari connubio, vbi tractat quæstionem, an Christianus ab vxore infideli diuertere possit, & similibus quibusdam à Circumcisione, preputio ac seruitute sumptis, probat, quòd Euangelium veterem vitam aboleat, non veterem statum.
  - Virginitate & eius bono.
  - Incommodis matrimonij, vbi & coniugatos solatur.
  - Cœlibatu & eius bono: idq; per collationem.
  - Elocanda filia viroq; matura.
  - Dono continentiæ.
- **Cap. 8. 9. & 10.** An liceat sacris communicare prophanis. Vbi
  - Arrogantiam Pseudoapostolorum perstringit, docens veram scientiam, quantumuis præstantem, charitate moderatam esse.
  - Sciolorum obiectiones recenset de simulachris & idolothytis, ac respondet ad singulas.
  - Suam authoritatem & libertatem asserit copiosiùs cap. 9.
  - Similibus docet, potissimùm in re qualibet esse ambiendum, proq; illo assequendo quidlibet esse perpetiendum. Similia ducuntur à cursoribus & pugilibus.
  - Exemplo veterum probat illicitum esse peregrinis communicare sacris. Hos igitur nobis æquat, cum his enim æqualem fidem & æqualia sacramēta habemus. At multi ex his perierunt, quòd peregrinis sacris participarēt, scortarentur, Ministros verbi contemnerent, & contra Duces suos murmurarent, ac malarū rerum concupiscentes essent. Eas verò res per partes, vel species per adhortationem enumerat, sed non alias quàm eas, de quibus hactenus disputauit.
  - Caput huius disputationis repetit, vel scopum huius causæ.
  - Probat à mysterijs sacris, seu obligatione sacramentorum, non esse communicandum prophanis sacris.
  - Docet Christianos Dæmoniorum non debere esse consortes. Nam qui Christum profitetur, impios cultus abnegare debet.
  - Ostendit vbi & qua conditione idolothytis vesci liceat.
  - Gloriam Dei, & proximi vtilitatem, in omnibus spectandum esse docet.

Tabula

Tabula tertia, de sexta, septima, & octaua parte Epistolæ ad Corinthios.

Partes Epistolæ primæ ad

Cap. 11. Cœtu Christianorum sacro, in quem quædam vitia irrepserant, quibus mira medetur diligentia. Vbi

- Ostendit luxum & immodestiam in habitu & vestitu, maximè in cœtibus sacris, deponendum esse. Hic docet quomodo vir, quomodo mulier in cœtu sacro oret, ac verbum Dei audiat: decorum verò, maximè in vestitu, seruandum esse.
- Disserit de Eucharistia. Vbi
  - Taxat dissidium, quod ex luxu diuitum, Eucharistiæ abusu, & contemptu pauperum, oriebatur.
  - Restituit cœnam ex prima illa institutione. Vbi docet
    - A quo sit instituta Cœna, & quomodo.
    - Quibus instituta: quia toti Ecclesiæ.
    - Quo tempore.
    - In quem finem, vel vsum.
    - Quousq; hac ceremonia vtendum.
    - Quæ pœna contemptorum Cœnæ & indignè communicantium.
    - Quæ sint certa iusti iudicij Dei signa, è quibus æstimarent non impune homines his sacris abusuros esse.

Cap. 12. Donis Spiritus: erant enim qui donis Dei inflati alios fastiderent, alij alijs propter dona inuiderent. Hos igitur omnes ad concordiam hortatur. Vbi

- Docet probandos esse Spiritus: vbi & de discrimine veri & falsi Spiritus disserit.
- Ostendit diuersa esse dona, ac diuersas functiones: omnes tamen ad vnitatem institutas.
- Similitudine eleganti, seu allegoria corporis, & harmonia membrorum, de donorum diuersitate disserens, hortatur ad concordiam.
- Docet donorum diuersitatem ad incolumitatem totius corporis pertinere.
- Allegoriam exponit breuibus verbis.
- Charitatem commendat, cap. 13. quam cum donis eximijs confert, quæ sine hac nulla esse dicit, cuius laudes vim & efficaciam toto cap. 13. exponit.

Cap. 14. Prophetia & linguis. Vbi

- Linguas comparat cum Prophetia, ac docet quot nominibus Prophetia præstet.
- Similitudinibus varijs vanitatem Corinthiorum reuincit, vt linguarum abusum tolleret: prophetiam verò pristinæ dignitati restitueret. Ac primùm se exempli vice proponit: deinde similitudine vtitur, à musicis instrumentis sumpta.
- Indicat modum quo multitudini prodesse queamus linguis: nempe si interpretemur.
- Linguas incredulorum gratiâ, & in Ecclesiæ primordijs miraculo quodam Apostolis datas esse, si illis forsan conuerterentur.
- De effectu linguarum & Prophetiæ disserit per collationem.
- Docet quo ordine hoc negotium velit geri in Ecclesia, & quò omnia referenda sint.
- Coheret quorundam superbiam, qui semper docere, nunquam verò doceri volunt.
- Obiectioni respōdet, de mulieribus, an & ipsæ in cœtu publico aliquid proponere debeant.
- Castigatione coheret superbos.
- Regulam generalem in Ecclesia obseruandam tradit: decorum enim & ordo, vt in re qualibet, ita in hoc negotio valet plurimùm.

Tabula quarta, de nona & decima parte Epistolæ.

- EPISTOLAE primæ ad Corinth. partes.
  - CAP. 15. De Resurrectione mortuorum: cuius loci sunt,
    - Exordium ex abrupto cum affectu sumptum. Vbi & Euangelicæ prædicationis vim & emolumentum exponit.
    - Summæ Euangelij, quam colligit ex Scripturis.
    - De resurrectione Christi, quam pluribus testimonijs, sed mira breuitate ostendit.
    - De resurrectione nostrorum corporum. Vbi
      - Cõfirmat resurrectionẽ carnis,
        - A resurrectione Christi: Nam si Christus resurrexit, resurgent & nostra corpora. Christus enim primitiæ dormientium.
        - Ab absurdis quæ hinc sequuntur: Si mortui non resurgunt. Atq; hic etiam de iudicio & regno Sanctorum disserit.
        - A ceremonia seu superstitione Gentium, qua quidam in commodum, vt ipsis videbatur baptizabantur mortuorum, si quidem morte fuissent præuenti.
        - A periculis Sanctorum. Vbi & impiorum hominum voces ostendit, & grauem obiurgationem inserit.
      - Quomodo & quali corpore resurgunt mortui. Vbi & discrimen, naturam & ingenium corporum resuscitatorum exprimit.
      - Duplex esse corpus docet, animale & spirituale.
      - Modum & historiam resurrectionis corporum ostendit planiùs, exponens quod antè obscuriùs tradidit.
      - Ostendit quid post generalem istam resurrectionem futurum sit: æternum scilicet Sanctorum regnum, in quo mors vltrà non erit, & sempiternus impiorum cruciatus.
  - Adhortatio. Hortatur enim cap. vlt. ad
    - Eleemosynam.
    - Fratres quosdam recipiendos, quos illis commendat.
    - Vigiliam.
    - Constantiam.
    - Concordiam.
    - Gratitudinem.

Dispositio Epistolæ secundæ ad Corinthios, quæ in partes nouem diuiditur.

Tabula prima de tribus partibus.

- EPISTOLAE secundæ ad Corinthios pars
  - 1. Exordium sumptum à laude afflictionũ. Pseudoapostoli enim opprobrabant crucem illi, quòd subinde eiectus vrbibus incertis cogeretur vagari sedibus. Hic docet
    - Quanta pro nomine Christi perpessus sit, in Ephesio maximè tumultu.
    - Quàm dexter vbiq; affulserit Deus.
    - Quàm integrè se in his omnibus gesserit.
    - Quæ in illis afflictionibus ad pios manârit vtilitas.
  - 2. Narratio. Vbi exponit
    - Magnitudinem afflictionis suæ.
    - Cur passus sit Deus in hanc afflictionem tantam, deduci illum ne in se confideret, sed in Deo.
    - Gloriam, virtutem, & potentiam Dei, in quo omne præsidium collocandum sit.
    - Vim orationis Sanctorum, qua in afflictionibus iuuetur.
    - Quanta sinceritate in administrando verbo vtatur, vnde credat se malè & postea excipiendum fore.
  - 3. Purgatio, qua, & seq. Vide literam A.

A. 3. Purgatio

3. Purgatio qua purgat se
A.

A mendaeij suspicione. Pseudopostoli enim inconstantiam & mendacium illi obijciebant, quòd non venerit, vt in superiore epistola pollicebatur. Hic docet
- Quòd etsi non venerit, leuitatis tamen accusari non possit, quòd aliud visum sit Deo.
- Euangelij doctrinam à Paulo traditam nihil habere leuitatis: vt enim Deus verax & semper sui similis à quo doctrinam acceperit. Ita doctrina veritatis constans est. Iam igitur vt constans est prædicatio veritatis, ita ipse inconstans non est.
- Cur non venerit: Ne videlicet in quosdam impœnitentes desæuire cogeretur.

CAP. 2.
A tyrannidis & ambitionis suspicione: cuius rei illum Pseudoapostoli accusabant, quasi is ambiat dominium, qui tanta authoritate præceperat scortatorem tradi Satanæ. Hic docet
- Quo animo superiorem scripserit epistolam, & qua ratione præcepit mœchum tradi Satanæ: animo videlicet paterno, non tyrannico.
- Modum in correptione seruandum esse. Vnde discimus quid nos quoq; facere conueniat, & quis sit modus in plectendis sceleratis & peccatoribus.
- Lapsum recipiendum, & cur sit recipiendum. de hoc plura cap. 7. Ibi enim quæ de mœcho cœperat, absoluit.

CAP. 2.3.& 4.
Ab impuritatis, infidelitatis, seu imposturæ suspicione. Pseudoapostoli enim illum imposturæ accusabant. Hic docet
- Veritatem purè Corinthijs tradidisse, quam & alijs gentibus multò & fœlici cum successu tradat. De quo & gratulatur, omnem vim & successum Christo authori referens acceptum.
- Tantam esse dignitatem Euangelij Christi, vt ei seruiendo quilibet haud sit idoneus, sed præstantissimus, & integerrimus quisque. Vbi demonstrat sincerè se seruijsse Euangelio.
- CAP. 3. Se non opus habere epistola commendatitia vt Pseudoapostoli, quorum fides, sinceritas, in tradendo verbo & probitas nullo enituit facinore præclaro.
- Omnia esse gratiæ Dei, nihil nostrarum virium: vires enim nostræ ad functionem ministerij minimè sunt idoneæ.
- Quanta sit Euangelij excellentia, quantáue legalium imbecillitas. Id quod contra Nazareos dicit, qui legalia conabantur inducere.
- CAP. 4. Quanta puritate Euangelium prædicarit Corinthijs, quod in fine 2. & initio 3. capitis cœperat. Hic docet
  - Verbi Dei prædicationem sinceram esse debere.
  - Quorum culpa sit vt pauci credant: videlicet non Dei, aut Euangelij, aut Apostolorum, sed incredulorum.
  - Quam serenè vbique sibi laboranti affulserit Dominus, cuius potentiæ debeatur quicquid fœlicis successus sit.
  - Vtilitatem afflictionis Sanctorum, atque hic multa differit de certa spe, patientia & consolatione vera, cap. 5.

Tabula secunda, de sex postremis Epistolæ partibus.

EPISTOLÆ secundæ ad Corinthios pars

- **CAP. 5.** 4. De Euangelij, seu Christi, mysterio. Vbi
  - Commendat diligentiam & sinceritatem in agendo, & veritate prædicanda.
  - Docet cur suam sinceritatem asserat: non quia vana ducatur gloria, sed quia æmulorũ suorum huc illum adigant calumniæ. Vbi obiter & Pseudoapostolos perstringit.
  - Causam reddit cur tanto zelo tantaque seueritate Pseudoapostolis obsistat: videlicet non ex inuidia, aut superbia, sed ex charitate quæ Christo debetur, quòd pro nobis mortuus sit.
  - Breui compendio totum Christi compræhendit negotium, seu mysterium.
  - Opponit Christum legalibus contra Nazarenos.
- **CAP. 6.** 5. Adhortatio ad vitam sanctam ac Christo dignã, in primis ne se misceat impuris. Hic
  - Recenset propria certamina.
  - Affectu rapi se ostendit, vt hæc de se scribat.
  - Docet nihil in illo: id est in doctrina vel vita Pauli esse, quod Corinthios anxios reddat: pura enim est doctrina eius, vita integra.
  - Consortium malorum vitandum esse docet. Et vtitur argumento ab impossibili & contrario, docens pietati nihil conuenire cum impietate: id probat Esaiæ testimonio.
- **CAP. 7.** 6. Redit ad excusationem superiùs in cap. 2. intermissam, docens non tyrannico, sed paterno animo præcepisse se puniri mœchũ. Vbi
  - Exponit quo sit in Corinthios præditus animo, vbi studij, diligentiæ, & amoris sui varia producit argumenta.
  - Ostendit se superiorem Epistolam paterno scripsisse animo, non tyrannico.
  - Fingit duplicem dolorem seu tristitiam: alteram ex Deo ad vitam: alteram ex mundo ad mortem.
  - Recenset fructus & consequentia veræ pœnitentiæ.
  - Quo consilio iusserit Satanæ tradi facinorosum.
- **CAP. 8. & 9.** 7. Hortatur ad beneficentiam, vel munificentiam,
  - Ab exemplo Macedonicarum Ecclesiarum, quarum amplificat beneuolentiam.
  - Ab exemplo Christi.
  - A facili: iam olim, inquit, hoc cœpistis, &c. Vbi & de modo dandi, largiendique disserit.
  - Ab exemplo Israelitarum in deserto. Atque hic postea spontè, ac liberaliter, non coactim aut grauatim dandum esse demonstrat.
  - A præmijs amplissimis.
- **CAP. 10. 11. & 12.** 8. Authoritatem suã propter ministerium suum tuetur, ac laudes suas ipse de se predicat. Vbi docet.
  - De potestate Ecclesiastica.
  - Non ex rebus tantùm præsentibus & proximis quibusque iudicandum esse.
  - Se etiam Christi Discipulum esse.
  - Potestatem Ecclesiasticam datam ad ædificationem, non ad destructionem esse.
  - Se semper sui similem esse, siue præsens, siue absens sit.
  - Se non esse nimium in recitandis suis laudibus.
  - In Domino gloriandum esse.
  - Sese laudare, non propter gloriam suam priuatam, sed propter ministerium, dum propter verbum veritatis integram cupit esse gloriam, famamque suam. Atque ideò Deo sese probatum esse.
  - **CAP. 11. 12.** Laudat autẽ se, vel gloriatur,
    - Quòd Euangelium purè prædicârit.
    - Quòd nihilo inferior sit cæteris Apostolis, & tamen humilis sit.
    - Quòd Ecclesiæ non fuerit onerosus.
    - A generis vetustate, maioribus, & prosapia inclyta.
    - A ministerio suo.
    - A laboribus, certaminibus & afflictionibus.
    - A visionibus, cap. 12.
    - A signis & prodigijs. Hic verò docet cur pluribus de se scribat, compulsus videlicet & inuitus in ædificationem Ecclesiæ.
- **CAP. 13.** 9. Minatur se venturum cum authoritate, vbi etiam hortatur vt fidant Christo, & quod honestum est, faciant.

Dispositio

Dispositio Epistolæ Pauli ad Galatas, quæ in septem partes diuiditur.

Tabula prima de quatuor partibus.

EPISTOLAE ad Galatas partes.

- Inscriptio. Vbi docet,
  - Quis hanc Epistolam scripserit.
  - Quòd sit Apostolus ab ipso Christo vocatus.
  - Quibus scribat.
  - Quid illis precetur.
- Exordium, quod auspicatur ab abrupto per admirationem à persona Galatarum. Vbi docet,
  - Quo consilio scripserit hanc Epistolam: quòd videlicet videat Galatas à Christo defecisse, vbi Doctoribus falsis defectionem impingit.
  - Quàm indiuulsè veritati Euangelicæ inhærendum.
  - Quantum ab ambitionis crimine alienus Paulus, quod Pseudoapostoli illi impingebant.
- Narratio, cuius status est, quòd Paulus verus, & à Deo vocatus Apostolus, Euangelium suum nō didicerit ab hominibus, sed à Deo. Hanc propositionem confirmat
  - Ab anteactis.
  - A vocatione sua.
  - A causa accessus ad Hierosolymorum vrbem. Venit enim non discendi gratiâ, sed vt videret Petrum.
  - A temporis circumstantia: prædicârat enim Christum annos 17. (tot enim efficient si tribus annis quatuordecim annumeres) priusquam cum Apostolis Euangelium suum contulerit.
  - A causa secundi accessus ad Hierosolymorum vrbem. Ascendit enim iuxta reuelationem siue institutionem, Antiochenæ nimirum Ecclesiæ. De quo Actor. 15.
  - A consensu doctrinæ Pauli & cæterorum Apostolorum. Apostoli enim præcipui calculum suum addiderunt Euangelio Pauli.
  - A correctione, qua vsus est in Petrum.
- CAP. 2. & 3. De iusticia Fidei, quòd gratis propter Christum iustificemur. Hanc propositionem confirmat
  - Ab absurdo. Si Christus non est satis ad iustificationem, sed Legem quoq; accedere oportet, à qua auocauit Christus, certè Christus peccati minister est: sed istud omnino falsum est: verum ergo quòd Christus ad iustificationem solus satis sit.
  - A Legis vi: Lex occidit, ergo non viuificat. Fides ergo iustificat, ac viuificat.
  - A Christi officio. Christus viuificat, ergo non opus, meritum, aut Lex. Christus verò per Fidem viuificat, ergo non per Legem.
  - Ab absurdo. Si per Legem est iusticia, Christus frustra est mortuus. Atque hic immiscet accusationem, initio cap. 3.
  - A testimonio Galatarum. Vel ex Lege, vel Fide accepistis Spiritum: id est, dona varia: ex Lege non accepistis, ergo ex Fide. Quorum si per Fidem datus est Spiritus, Fidei certè est iustificatio, non operum.
  - Ab exemplo Abrahæ. Abraham Fide iustificatus est: ergo non ex operibus.
  - A pronunciatis. Promissio Dei tribuit benedictionem & iustificationem Fidei: ergo hæc non debetur operibus.
  - A contrarijs. Per fidem in Christum contingit benedictio, per Legem verò maledictio: ergo ex Lege nemo expectet iusticiam.
  - A testimonio Abacuc. Iustus ex Fide viuit. Lex non est ex Fide: ergo Lex non viuificat aut iustificat.
  - A virtute Christi. Christus solus liberat ab execratione Legis: ergo ex operibus non est liberatio ab illa.
  - A natura ac vi testamentorum. Testamento suo decreuit Deus nobis per solum Christum benedicere: testamentum ratum esse debet, etiam hominum: hoc igitur reijci non potest.
  - Ex repugnantibus. Si beneficio Legis confertur hæreditas, hoc est iusticia & vita, iam planum est quòd non obtingit testamenti seu promissionis virtute. At Abrahæ per promissionem donauit Deus hæreditatē, id est, iusticiam & vitam. Iustificamur ergo gratis per fidem, non operibus per Legem.

Tabula secunda de tribus postremis partibus Epistolæ ad Galatas.

EPISTOLAE ad Galatas pars

- 5. De Lege. cap. 3. & 4. Vbi docet
  - Cur lata sit Lex.
  - Quomodo lata.
  - Quòd Lex testamento non aduersetur.
  - Quòd Lex sit abrogata. Vbi de libertate quoq; Christiana docet, & hãc probat à simili, & postea historia allegorica.
- CAP. 4. 6. Obiurgatio quòd à fide defecerint. Vbi
  - Errorem illorum proponit.
  - Reuocat ob errore.
  - Ex pristinis factis illorum ostendit, quàm turpis sit error ipsorum.
  - Fucum Pseudoapostolorum detegit, per quos à veritate defecerant.
  - Beneuolentiam reparat per exclamationem patheticam & quærimoniam.
- CAP. 5. & 6. 7. Adhortatio. Hortatur enim
  - Vt in libertate persistant, ac soli Christo inhæreant.
  - Vt ab impostoribus sibi caueant.
  - Ne Christiana libertate abutantur.
  - Pietati studeant.
  - Ne vanam sectenter gloriam.
  - Vt lapsos suscipiant & sanent.
  - Vt verbi Ministros subleuent.

Dispositio Epistolæ ad Ephesios, quæ in partes sex diuiditur.

EPISTOLAE ad Ephes. partes sex

- CAP. 1. Quòd Deus in Christo se totum in nos effuderit, omnesq; thesauros scientiæ & salutis in ipso aperuerit. Huius loci sunt
  - Exordium huius causæ à gratiarum actione sumptum, & laude diuinæ beneficentiæ.
  - De electione. Vbi docet
    - Quid per Christum acceperimus: nempe benedictionem: id est, remissionem peccatorum & sapientiam: id est, absolutam rerum diuinarum cognitionem.
    - Quibus hæc fœlicitas, seu benedictio collata sit: Non solis Iudæis, sed gentibus quoque.
  - Imprecatio Pauli, vbi ostendit quæ bona illis imprecetur: Spiritum videlicet sapientiæ & reuelationis, & cognitionem potentiæ Dei, quam exeruit Pater in resuscitatione Filij.
- Quod omnes homines sunt peccatores: iustificentur autem gratis per Christum: vbi & modum ac rationem saluris describit, & cur gratiæ per fidem tantùm adscribitur salus, & non nobis. Nam ipsius sumus figmentum, &c. Cur ergo figmentum siue lutum eleuaret se erga Figulum, à quo habet quicquid est?
- CAP. 2. De vocatione Gentiũ. Vbi docet
  - De conditione pristina Ephesiorum, hoc est, Gentium.
  - Quomodo Ephesij ac gentes recepti sint in numerum populi Dei, quales nunc sint, quid illis contulerit Christus.
  - De ministerio suo, quod illis commendat, per quod Deus ad sese vocet gentes, & cuius gratiã multa ab hostibus veritatis patiatur.
- Adhortatio, De institutione, & seq. Vide literam A.

A.
- CAP. 3. 4. & 5. Adhortatio, in qua adhortatur eos ad
  - Constantiam, vt in accepta veritate perseuerent, nec ob afflictiones deficiant.
  - Concordiam & pacem. Vbi docet,
    - Vnitatem rerum nos ad vnitatem seu pacem inuitare. Neque enim conuenit, eos inter se dissidijs distrahi, quibus tam multa sunt communia. Vnum enim corpus, id est, Ecclesia, cuius caput Christus est, vnus spiritus, vnus finis omnium, ad quem omnes tendimus, vita æterna, vna fides, vnum baptisma, &c.
    - Donorum diuersitatem discordiam parere non debere: partitio enim donorũ non à nobis, sed à Dei pendet arbitrio, qui cuique sua beneficia dispensat largiùs, aut parciùs prout ipse vult.
    - De victoria & triumpho Christi: parta enim victoria ipse triumphans cœlos ascendit: inde vero dona plebi suæ dedit, dispertiens dona diuina, prout cuiq; expediebat.
    - Cur varijs donis ornentur Ministri, vt quod in Ecclesia deest, sarciant.
  - Vitæ sanctimoniam, id quod & postea repetit. Vbi describit vitam impiam & sanctam.
  - Fugam vitiorum ac scelerum, vt sunt
    - Mendacium.
    - Ira.
    - Furtum.
    - Spurcitia.
    - Amarulentia.
    - Scortatio.
    - Auaritia.
    - Obscœnitas.
    - Stultiloquium, &c.
- 5. & 6. De institutione variorum officiorum, vt
  - Coniugum.
  - Liberorum.
  - Patrum.
  - Seniorum.
  - Dominorum.
- CAP. 6. De pugna & armatura Christianorum. Vbi docet,
  - Vigilandum esse constanter, in vero persistendum.
  - Quis sit hostis noster: videlicet Diabolus, hostis spiritualis.
  - Quæ sint arma militis Christiani. Hæc enim sunt duplicia: alia enim
    - Tegunt ac defendunt Christianos vt sunt
      - Balthæus, qui veritas est.
      - Thorax iusticiæ.
      - Calcei Euangelij.
      - Clypeus fidei,
      - Galea salutaris, quæ Christus est.
    - Repellunt hostem, vt gladius & hasta verbi Dei.

Dispositio Epistolæ Pauli ad Philippenses, quæ in quatuor partes diuiditur.

- EPISTOLAE ad Philippēses partes.
  - Exordium à gratulatione sumptum. Vbi
    - Congratulatur fidelibus, quòd venerint in societatem fidei.
    - Colligit ex initijs & progressu fidei fœlici, finem quoque optimum & perseuerantiam absolutissimam.
    - Ostendit quàm synceriter & officiosè amet Philippenses, vt illorum animos sibi obstringat magis.
    - Imprecatur incrementum veræ pietatis, ostendens & veræ pietatis capita, quæ sunt agnitio Dei, synceritas fidei, vitæ innocentia.
  - De cruce seu vinculis Pauli, quæ Pseudoapostoli in sinistram abripiebāt occasionem. Hic docet,
    - Vincula Sanctorum commendare & prouehere Euangelium. Hac enim ratione & Euangelij prædicatio ad plures peruenit, & Ministri verbi videntes constantiam alicuius in cruce animantur, vt Euangelium liberiùs profiteantur, licet non eadem ratione omnes.
    - Sanctis non officere insidias impiorum: idq; præsidio precum Ecclesiæ, præsidio spiritus, ac certæ spei.
    - Pios nec viuere, nec mori recusare pro Christo.
  - Adhortatio. Gratiarum, & seq. Vide literam A.

- A.
  - Adhortatio. Hortatur enim
    - Vt dignè Euangelio viuant, ac in percepta veritate persistent.
    - CAP. 2.
    - Vt sint concordes. Ad concordiam verò & charitatem hortatur exemplo Christi. Vbi disserit de
      - Christi mysterio.
      - Vtraque eius natura.
      - Incarnatione.
      - Humilitate.
      - Morte crucis.
      - Gloria & regno eius.
    - Vt vitæ innocentiam & puritatem sectentur: in primis vt omnia sine murmure & disceptatione faciant.
    - Vt Timotheum & Epaphroditum, quos illis commendat, æquo animo suscipiant.
    - CAP. 3.
    - Vt Pseudoapostolos qui legalia Christo miscebant, caueant. Hic docet,
      - Ad iustificationem satis esse meritum Christi, nec requiri legalia.
      - Propter Christum omnia alia pro excrementis habenda.
      - Neminem, dum hic viuit, perfectum esse, & absolutè iustum.
      - In vera doctrina perseuerandum esse.
      - Quales sint Pseudoapostoli, & quales nos esse oporteat.
    - CAP. 4.
    - Vt in Domino fidant.
    - Vt sint modesti.
    - Ne de rebus terrenis admodum sint solliciti.
    - Vt ea quæ vera sunt sectentur, id est, omnes virtutes.
  - Gratiarum actio est pro muneribus per Epaphroditum missis. Vbi copiosiùs enumerat Philippensium in se beneficia: ac vicissim imprecatur ipsis bona.

Dispositio Epistolæ Pauli ad Colossenses, quæ in quinque partes diuiditur.

- EPISTOLAE ad Colossenses partes.
  - Exordium à gratiarum actione sumptum. Vbi
    - Laudat Colossensium fidem & charitatem.
    - Docet vnde discatur Fides, Spes & Charitas: quia ex Euangelio.
    - Imprecatur illis cognitionem Dei amplissimam, & augmentum virtutum vberrimum, quibus fiat, vt dignè Deo ambulent. Quid verò id sit, exponit per consequentia.
  - Descriptio Christi seu summa Euangelij. Vbi docet
    - Salutem nobis gratuitò per Christum offerri.
    - Christum fundamentum fidelium, verum Deum esse: præstat enim scire quis sit, cui semel omnia tribuuntur, vita, redemptio, satisfactio, sanctificatio, &c.
    - Christum esse caput Ecclesiæ.
    - In Christo nos habere omnia, quæ ad perfectam pertinent salutem.
    - Salutem per Christum ad Colossenses etiam ac alios pertinere.
    - Prædicationem Christi afflictionibus non carere.
    - Per ministerium verbi cognosci Christum.
    - Quanta solicitudine Ministri verbi teneri debeant, quò animi fidelium rectè habeant, charitate cohæreant, atque indubitata fide nôrint omnes thesauros sapientiæ in Christo esse repositos.
    - In Christo esse veram Legis completionem.
    - Per Christum nos à Lege & peccato liberari.
  - Cauendos esse Pseudoapostolos, qui vel Philosophiam vel legalia: id est, sacrificia. Circumcisionem, &c. prædicato Christi Euangelio miscebant. Vbi
    - De circumcisione disserit & Baptismo.
    - Certas Legis species recenset, & sub his alias his similes intellexit.
    - Artes Pseudoapostolorum graphicè depingit.
    - Inuehitur in fabulas Iudaicas & præcepta hominum, quæ veri ac boni specie simplicioribus imponunt.
  - Institutio morũ. Vbi
    - Enumerat vitia, quæ maximè Christianos dedecent.
    - Plantat virtutes.
    - Officia præscribit
      - Vxorum.
      - Virorum.
      - Filiorum.
      - Patrum.
      - Seruorum.
      - Dominorum.
    - Hortatur ad orationem & prudentiam.
    - Instruit sermonem & colloquia nostra, docens qualia esse debeant: generosa nimirum.
  - Salutationes.

Dispositio Epistolæ primæ Pauli ad Thessalonicenses, quæ in septem partes diuiditur.

EPISTOLAE primæ ad Thessalonicenses partes.

- Exordiũ à gratiarum actione sumptum. Vbi
  - Laudat Thessalonicenses, quòd perseuerantes sint in vera religione, & quòd obedientes & constantes sint in verbo Domini.
  - Monet latenter illos vt & deinceps constantes esse pergant. Atque huc pertinet narratio capitis 2 de ingressu suo ad Thessalonicenses: item expositio capitis 3. de legatione Timothei.
- Quòd purè Euangeliũ tradiderit Thessalonicensibus. Vbi
  - Tria impostoribus attribuit, Adulationem, Auaritiam, & Ambitionem, siue studium gloriæ, & hæc à se remouet.
  - Laudat Thessalonicenses, quòd prompto animo prædicationem Euangelij susceperint, & quòd in persecutionibus perstiterint in veritate Euangelica.
  - Amorem & studium suum Thessalonicensibus commendat, propter quod & Timotheum illis mittit, & fausta imprecatur.
- CAP. 4. Institutio in vera pietate. Hortatur enim vt
  - Caueant sibi ab immundicia, & vitæ puritate Deum colant.
  - Caueant sibi ab iniuria, fraude & deceptione fratrum, quibus sit per charitatem seruiendum.
  - Otium fugiant, laborent autem sedulò.
  - Mortuos non lugeant luctu immoderato, & Christianis indecoro. Vbi de fide resurrectionis, de extremo die, de vigilia, de sobrietate, &c. disserit.
- CAP. 5. De Ministris Verbi, & quid his debeat Ecclesia.
- Quid Christianum virum deceat. Curandum enim omnibus est, vt quisque pro sua proportione, admonitione tempestiua rebus consulat, vel corruptis, vel ad corruptionem propendentibus.
- De prophetijs, & probandis his.
- Conclusio Apostolica, in qua precatur his sanctificationem Dei.

Dispositio Epistolæ Pauli posterioris ad Thessalonicenses, quæ in quinque partes diuiditur.

EPISTOLAE secundæ ad Thessalonicenses partes.

- Exordium à gratulatione, seu gratiarum actione. Gratias enim agit Deo, pro constantia illorum, & incremento virtutum.
- De aduẽtu Domini. Vbi describit
  - Habitum Iudicis potentissimi.
  - Quos aduentu suo puniturus sit Dominus.
  - Quàm lætus ac gloriosus pijs Christi aduentus futurus sit, ac propterea illis orãdum, vt hac vocatione digni habeantur, qua beatos vocabit in regnum suum.
  - CAP. 2. Quid aduentum Domini præcedere oporteat. Iudicij enim diem præcedit defectio & Antichristi regnum. Vbi & Antichristi ingenium, regnum, tempus, quando videlicet vires suas magis exerat: item ruinam & interitum, potentiam, mendacia, & signa describit.
- De electione. Vbi docet
  - Quomodo salus perficiatur: videlicet per sanctificationem Spiritus, & fidem veritatis, quæ ex prædicatione verbi, operante in nobis Deo, nascitur.
  - In veritate perseuerandum esse. Atque hic pro more suo admonitioni faustam imprecationem subiungit.
- CAP. 3. Adhortatio. Hortatur enim ad
  - Orationem.
  - Laborem, vbi monet in ordinem redigendum esse, qui otio & curiositate turbabant ordinem publicum. Atq; hic de labore suum exemplum allegat.
  - Misericordiam, seu beneficentiam.
- Conclusio, in qua ipsis pacem imprecatur.

Dispositio Epistolarum Pauli ad Timotheum, Titum, Philemonem, & ad Hebraeos.

Dispositio Epistolæ primæ ad Timotheum.

PARTES Epistolæ II.

- Inscriptio. Vbi ostendit
  - Quis sit, qui scribat.
  - A quo vocatus sit ad Apostolatum.
  - Cui scribat.
  - Quid illi precetur.
- ex CAP. I. Admonitio, vt reiectis omnibus traditionibus, ea tradat, quæ sunt fidei & charitatis. Vbi
  - Præfigit scopum & summam veræ doctrinæ, quæ est charitas gemina, Dei & proximi, ex puro corde, bona conscientia, & fide vera profecta.
  - Perstringit Matæologos, & vanos Legis Doctores, quòd à scopo Legis discedant.
  - Ostendit se non damnare Legem, sed ejus abusum.
  - Demonstrat verum vsum Legis esse, si sciamus iusto non esse latam: id est, non in hoc latam esse, vt iustificet, quia ex Lege non est iusticia, sed vt nos deducat ad Christum.
  - Monet quatenus, & quibus Lex abrogata sit. Hi enim à Legis præscripto eximuntur, qui per Spiritum faciunt Legem: verùm Lege tenentur, quotquot charitatis sensu & igne adhuc carent.
  - Gratias agit Deo. Vbi
    - Exaggerat peccatum suum quibusdam quasi gradibus.
    - Causas reddit cur gratias agat:
      - Quia nihil tale merenti concreditum sit Euangelium.
      - Quòd Deus ex mera sua gratia peccatum suum remiserit.
    - Disserit de gratia Dei erga omnes per Christum.
    - Sui exempli fructum tradit.
  - Concludit, & summā rei repetit, et habet duo membra.
    - Monet Timotheum vigiliæ & diligentiæ, & vt fidem & bonam conscientiam habeat. Hæc enim qui alijs tradere debet illorum non sit expers, oportet.
    - Damnat quosdam nominatim, qui à sacra & salutifera doctrina aberrārunt.
- ex CAP. 2. De cœtu Ecclesiastico. Vbi docet quid
  - In cœtu sacro agendum: videlicet orādū. Vbi ostendit
    - Quando orandum: Ante omnia, inquit, ipso statim diluculo conueniant Christiani, & orent.
    - Pro quibus orandum: Pro omnibus.
    - Quid precandum: Vt placidam tranquillamque vitam degamus, cum omni pietate & honestate.
    - Cur pro omnibus orandum: Quia hoc Deo acceptum est, & Deus, quem colimus, omnium gentium Deus est, & vnus totius carnis Mediator est Christus.
  - Hic deceat viros: videlicet vt orent in omni loco, vbicunq; res postulat. Ne quis ex prioribus colligat preces nullibi, quàm in conuentu efficaces esse. Omnis enim locus purus est, si animus non sit impurus.
  - Mulieres deceat. Vt in
    - Cœtum sacrum eo amictu prodeant, qui pudorem, pudicitiamque, non libidinem præ se ferat.
    - Cœtu sacro sileant, & adijcit huius rei causas: primùm, quia vir prior est formatus: deinde quòd fons præuaricationis à fœmina existat.
- CAP. 3.
  - Descriptio Episcopi cum tota familia, qualis esse debeat, & quid illum deceat: & addit causam cur hæc Timotheo scribat.
  - Descriptio Ecclesiæ per occasionem. Est enim basis veritatis. Statim autem explicat, quænam sit illa veritas, cui innitatur Ecclesia: idq; exordiolo præmisso commendat quantum sit hoc religionis nostræ mysterium. Est autem quòd Deus manifestatus sit in carne: id est, Verbum caro pro nobis factum sit. Hæc certa ac prima veritas est.
- CAP. 4. Descriptio Pseudoprophetarum, & seq. Vide literam A.

A. Descriptio

CAP. 4. Descriptio Pseudoprophetarum: primùm in genere: deinde speciatim, subijciens quædam illorum dogmata, ex quibus & reliqua æstimari possint.

- Vt de his auditores commonefaciat.
- Vt prophanas fabulas & traditiones reijciat.
- Vt ad pietatem se exerceat, eò quòd vtilis sit, & huius gratiâ carceres, plagas, ac mortem ipsam Christiani sustineant.
- Vt in sua iuuentute senilem prudentiam referat,
- Vt sit exemplar auditorum in omnibus.
- Vt in studio, lectione & doctrina se exerceat, nec donum negligat.

A. Institutio & officia Episcopi.

CAP. 5. Quomodo se gerat erga

- Seniores: videlicet adhortetur vt patres.
- Iuniores: vt adhortetur vt fratres.
- Anus: vt adhortetur vt matres.
- Iuniores & puellas.
- Viduas grandæuas. Hic docet
  - Quæ sint veræ viduæ.
  - Quam velit suscipi viduam, & ali.
  - Quæ sit reijcienda.
- Iuniores viduas. Vbi docet
  - Quid iunioribus viduis agendum.
  - Cur iuniores viduæ reijciendæ.
  - Quid his, qui viduas cognatas habent, agendum.
- Presbyteros. Vbi agit de
  - Stipendio Presbyterorum bonorum.
  - Defensione. Vt enim alimonia debetur bono Presbytero, ita & defensio. Si autem quis Presbyterorum accusatus, & testibus conuictus fuerit, non obstabit illius authoritas, quominus arguatur grauissimè: idque coram omnibus.
  - Ordinatione. Ne citò quis per Episcopum populo præficiatur, ne communicet peccatis illius. Hic verò interposita prius potus mentione, docet quæ peccata ordinandi sint Episcopo imputanda: manifesta scilicet & præcedentia, Iudicium, id est, cognitionem hominum.

CAP. 6. Quid præscribat seruis, qui habent Dominos infideles, & fideles.

De veritatis aduersarijs, quos hîc perstringit, & describit. Et ostendit duo mala & pestes aduersariorum: studium conflictandi, & quæstus.

De modestia quæ Ministros decet, & paucis contenta est.

De auaritia fugienda. Vbi docet
- Quantis cum periculis studium pecuniæ coniunctum sit.
- Quis sit vsus opum, & quæ diuitum officia.

Epilogus, in quo præcipit vt ista seruet, & humanas fabulas euitet.

Dispositio Epistolæ secundæ ad Timotheum.

PARTES Epistolæ.

- Inscriptio, quæ planè eadem est, quæ & prioris.
- Exordium à gratiarum actione. Vbi captat beneuolentiam, quòd
  - Deo pura conscientia seruiat.
  - Pro Timotheo sine intermissione intercedat.
  - Magno videndi illius desiderio teneatur.
- Adhortatio, vt in veritate perstet Euangelica, & hanc fideliter Ecclesijs tradat. Vbi
  - Proponit statum rei & summam.
  - Addit argumentum à possibili: Quia habeat Spiritum, qui obfirmabit animum Timothei, quominus metuat aduersariorum insidias & iniurias.
  - Monet ne pudeat illum verbi crucis, ac Præceptoris sui vincti propter Christum.
  - Subijcit summam Euangelij, vt ex ipsa re Euangelij euincat ipsum longè augustius esse, quàm cuius quenquam pudeat.
  - Meminit suæ vocationis, vt authoritatem sibi apud Timotheum conciliaret, & ostendat cur non debeat Timotheum Pauli pigere, aut pudere.
  - Repetit summam causæ, inculcans vt puram doctrinam illibatè custodiat, & purè Ecclesijs custodiendam tradat.
  - Perstringit quosdam, qui propter crucem se deseruerunt, ac in vinculis neglexerunt, & opponit statim contrarium Onesiphori exemplum, cui & benè precatur.
- ex CAP. 2. Monet ne à veritate resiliat, vel propter persecutiones, vel quorundam inconstantiam. Vbi
  - Repetit scopum negotij.
  - Hortatur ad patientiam in cruce: idque similibus quibusdam à militum & athletarum proprio, & agricolarum mercede.
  - Exemplo Christi & suo docet Timotheum, & Episcopum quemlibet, afflictiones æquo animo perferre.
  - Præmijs ac supplicijs ad patientiam & malorum tolerantiam hortatur.
  - Ab inutilitate diuersæ doctrinæ hortatur ad patientiam & constantiam in pura Euangelij doctrina.
  - Præcipit vt verbum tantùm veritatis prædicet, & hoc quidem iustè tractet: disputationes verò inutiles fugiat, quæ nihil vtilitatis, magnum verò incommodum habent.
  - Exempla profert, quibus quæ dixit, confirmat: videlicet quàm sit periculosum, relicta veritate, conuerti ad concertationes.
  - Docet hæreticorum peruersitate non posse vniuersam Christi religionem subuerti, eò quòd Dominus nouerit qui sunt sui. Huc pertinet & sequens parabola, de ampla Diuitis domo, & vasis dissimilibus.
  - Declarat quomodo se Timotheus expurget, & se accommodum vsibus Domini paret.
  - Informat quomodo se gerat erga aduersarios.
- CAP. 3. Vaticinium de moribus postremi seculi. Vbi
  - Describit homines sceleratissimos, & Pseudoprophetas.
  - Exemplo illustrat istorum malitiam, simul & interitum & confusionem ad piorum consolationem prædicit.
  - Corruptissimis exemplis & hominibus suum exemplum proponit imitandum.
  - Ostendit in quo & in quid proficiant impij. Proficient enim in malo, & in ipsorum maximum interitum.
  - Monet vt perseueret in doctrina sana.
- De laude Scripturæ Canonicæ, vbi docet Scripturam omnia ea continere, quæ ad veram pietatem conducunt. Quare huic per omnia innitendum, & obediendum esse.
- ex CAP. 4. Obtestatio grauis. Vbi
  - Monet vt relictis quæstionibus stultis, pergat doctrinam ex Scripturis tradere Ecclesijs.
  - Causam subiungit, cur hæc tantoperè vrgeat.
  - Epilogum subtexit, in quo repetit ea, quæ hac Epistola disputauit.
  - Exponit aliam causam, ob quam hæc tantoperè vrgeat, vt sanam doctrinam prædicet Ecclesijs: quasi dicat, Quia enim ego interficior, cupio exemplum piæ conuersationis & sanæ doctrinæ in te relinquere, vt nunquam desint idonei fidelesque Ministri.
  - Exemplo suo, & præmio proposito, adhortatur ad constantiam, ac simile pietatis studium. Vtitur autem hic similitudine ab athletis, militibus & cursoribus sumpta.
- Peculiaria quædam, vt de
  - Aduentu Timothei.
  - Penula, libris, & membranis adferendis.
  - Periculis & liberationibus suis.
  - Salutationibus.

Dispositio

Dispositio Epistolæ Pauli ad Titum.

- PARTES Epistolæ.
  - Inscriptio. Vbi ostenditur
    - A quo sit scripta Epistola, atque hic summam Euangelij complectitur & electionem Christianorum ab æterno.
    - Cui scribat.
    - Quid illi precetur.
  - Quales deligat Episcopos. Vbi
    - Describit Episcopum qualis esse debeat.
    - Causam subiungit, cur talem velit Episcopum: Quia videlicet apud Cretenses, vt & apud alias gentes sint Pseudoapostoli, quos oporteat acerrime profligari.
    - Monet vt Pseudoprophetas & ab illis seductos redarguat, ne fabulis attendant.
    - Subijcit exemplum Iudaicarum fabularum, & confutat. Disputabant enim in cœtu Sanctorum Iudæi de discrimine ciborum & dierum, de contactu corporis, de mundicia & pollutione, sed quæ versantur in rebus externis, in quibus constituebant omnem iustificationem.
    - Docet quales sint Pseudoprophetæ.
  - ex CAP. 2. De officijs —
    - Senum.
    - Anuum.
    - Adolescentum & adolescentularum.
    - Episcopi, vt sit exemplum omnium.
    - Seruorum, vt doctrinam Christi fide & obedientia ornent in omnibus, & additur ratio cum exhortatione graui ad pietatem, à reuelata Euangelij doctrina, à præmio & emundatione Christi.
  - ex CAP. 3. Quales se gerãt Christiani erga
    - Magistratus.
    - Omnes homines. Vbi
      - Addit rationem cur Christiani mansueti & humani erga omnes esse debeant: Quia videlicet & nos antea cæci versabamur in tenebris, nunc prædicatione Euangelij per Dei gratiam, depulsa caligine vitæ prioris, veram adepti sumus salutem, quo factum est, vt vitæ prioris statum planè mutauerimus.
      - Coucludit locum de officijs pietatis.
  - De inutilibus quæstionibus reijciendis.
  - De vitandis hæreticis.
  - Præceptum de aduentu Titi.
  - De alendis & iuuandis bonis & doctis viris, qualis erat Zenas & Apollo, & vnde iuuandi, ostendit: Ex munificentia scilicet Christianorum, Propterea, inquit, discant autem & nostri bonis operibus præesse, &c.
  - De salutationibus.

Dispositio Epistolæ Pauli ad Philemonem.

- PARTES Epistolæ.
  - Inscriptio. Vbi ostenditur
    - A quo sit scripta. Hic sibi Paulus Timotheum adiungit.
    - Cui: Philemoni scilicet, socijs, ac Ecclesiæ eius domesticæ.
    - Quid illi precetur.
  - Exordium, quod ducitur à persona
    - Pauli, cùm dicit: Quanta diligentia ad Deum pro illo precetur, vt fides illius magis magisque crescat in cognitione bonorum, quæ in Christo possidemus.
    - Philemonis, quem commendat à fide & charitate.
  - Narratio, qua narrat quantum ex eo perceperit gaudij, quòd Sanctos liberalissimè adiuuerit: vnde gradatim ad deprecationem transit.
  - Propositio Epistolæ, quæ est hæc: Recipe seruum tuum in gratiam, fugitiuum quidem & furem; sed iam resipiscentem.
  - Confirmatio propositionis, atque hic singula ferè verba singula argumenta sunt. Confirmat autem propositionem
    - A nomine suo: Ego, inquit, Paulus, Apostolus videlicet Iesu Christi, raptus in Paradysum, electionis vas.
    - Ab ætate sua: Senex, inquit, senectus honoranda est; debes igitur meas iam senis preces pro seruo exaudire.
    - A sorte sua: Vinctus, inquit, Iesu Christi. Fauemus naturâ captiuis supplicibus; quantò magis fauendum est captiuo propter Christum?
    - A persona Onesimi, quem Paulus Filium suum vocat: Filius meus est Onesimus; ignosces ergo illi, veniam roganti.
    - A tempore generationis: Quando scilicet genuerit Onesimum in Christo per ministerium. Genuit non liber, sed captiuus.
    - Ab interpretatione nominis Onesimi; Onesimus enim significat vtilem, cui nunc probè respondeat.
  - Confutatio, Conclusio, & seq. Vide literam A.

A.

- **Confutatio, in qua tacitis obiectionibus respódet: quarum,**
  - Si tam est vtilis, cur non retinuisti apud te? Respondet id noluisse sine sententia Philemonis facere.
  - Cur discessit, si iterum redire voluit? Respondet: Discessit antè seruus, nunc reuertitur, non seruus tantùm, sed etiam frater, nec vulgaris, sed dilectus.
  - Recipiam quidem, sed, ita, vt quæ furto abstulerat, restituat. Ad hoc respondet: Si quid tibi debet, mihi imputato, ego dependam: id est, Ego fide iubeo me exoluturum debitum pro Onesimo, & in testimonium huius promissionis hanc Epistolam mea manu scriptam tibi dabo, vt habeas meum chirographum, quo me tibi obligatum habeas.
  - Quid tu mihi dependeres vinctus, & breui in suplicium perducendus? Ad hoc respondet, plurima suppetere ad dependendum, eò quòd Philemon sibi seipsum debeat, qui multò preciosior sit illis rebus furto per Onesimum ablatis.
- **Conclusio, in qua**
  - Repetit præcipuum argumentum, quod ad persuasionem aptissimum videbatur. Onesimus factus est mihi non solùm frater & filius, sed etiam alter ego.
  - Rogat vt se respiciat, vt si hoc fecerit, refocillationem accipiat.
  - Corrigit seipsum, quòd tam sollicitè scribat pro Onesimo, ac si de eius humanitate & pietate dubitaret.
  - Rogat vt paret sibi hospitium.
  - Addit multorum salutationes.
  - Claudit Epistolam precatione.

Dispositio Epistolæ ad Hebræos, quæ in septem partes diuiditur.

Tabula prima, de prima Epistolæ parte.

EPISTOLÆ pars — CAP. 1. 2. 3.

1. Quòd Christus, per quem Dominus postremis diebus loquutus est, Deus sit, ac propterea non reijciendus, sed firma fide suscipiendus. Probat autem Christum Deum esse, quòd
   - Hæres sit omnium rerum paternarum, eò quòd Filio subdita sint à Patre omnia.
   - Per Filium condita sint omnia.
   - Sit splendor gloriæ Dei: vt enim radius à Sole non separatur, ita neque à Patre Filius diuiditur. Ac vt radius è Sole emicat, sic etiam Filius ex seipso non existit, sed ex Patre genitus est.
   - Sit expressa imago substantiæ Dei. Mira enim æqualitas est typi & figuræ typo expressæ, vt & eadem est diuinitas, gloria & maiestas Patris & Filij.
   - Omnia consistant robore, vi, & potentia Christi: sicut & Ioannes; In ipso vita erat.
   - Purget peccata.
   - Sedeat in dextera maiestatis, id est, diuina virtute & administratione cœlitùs regnet.
   - Angelis per quos Mosi & alijs loquutus est Deus, maior sit. Id probat
     - Testimonijs Scripturæ.
     - Quòd Angeli sint creati, Christus creator. Id probat ex Dauide.
     - Quòd Angeli non sedent à dextris Dei, vt Christus.
     - Quòd Angeli Ministri sunt, Christus Dominus. Atque hic in 2. cap. infert hunc Christum amplectendum esse, cùm sit Angelorum etiam Dominus. Nam si robur habuit, quod per Angelorum legationem docuit Deus, maiorem certè habet authoritatem quod per Filium, Angelorum Dominũ, Deus orbi nunciauit. Et si puniti sunt qui vel Angelicam, vel Propheticam legationem aspernati sunt, dignioribus certè grauioribusq; mulctabuntur pœnis, qui Christum contemnunt.
     - Quòd omnia sint Christo subiecta, Angeli etiam. Id probat ex Dauide. Atque hic demonstrat quomodo aut quare sit maior Christus Angelis: videlicet propter crucem, qua tamen gloria Christi nihil obscurata est. Mox enim & ab ipsa morte per resurrectionẽ declaratus est Filius Dei. Hic verò per occasionem de vera Christi carne & causis incarnationis Christi disserit, ac Christi humanitatem Scripturæ testimonijs probat.
   - CAP. 3. Christus Mose etiam, cui per Angelos loquutus est Deus, maior sit. Quod quidem aduersus eos dicit, qui Christũ aspernantes obijciebant: Nos Mosi Discipuli sumus, cui per Angelos loquutus est Deus. Hunc verò Iesum vnde sit, & quis sit, nescimus: pergemus ergo in vijs Patrum nostrorum. Confert igitur Christum Mosi, ac illi quàm longissimè præfert. Posteà producit per adhortationẽ Prophetę Dauidis verba, eaq; cap. 3. tractat copiosè, ac dignissimè, & suo accommodat instituto, & ludit quietis allegoria. Hic & de virtute verbi Dei disserit, docens illud nunc etiam non minoris esse virtutis, quàm olim. Quemadmodum enim olim peste & gladio inobedientes perdidit Deus, ita & nunc.

Tabula secunda, de secunda Epistolæ parte.

- **Epistolæ pars.**
  - **Cap. 5.6.7.8.** 2. De Christi sacerdotio, qui locus ex superiore depēdet: cū enim Christus verus Deus & homo sit, sequitur illum Mediatorem ac Pontificem esse. Vbi docet
    - **Cap. 5.6.** Christum Sacerdotem esse, id probat à cōparatis, siue similibus, vel ipsa Lege Mosaica. Vbi argumentatur ex
      - Vocatione Quemadmodū apud veteres nemo Sacerdotis dignitatē & officiū priuata sibi authoritate vendicabat: ita ne Christus quidē Sacerdotium sibi propria voluntate vsurpauit, sed à Deo vocatus & cōstitutus est Sacerdos, secūdùm ordinē Melchisech. Prior pars confirmatur Lege Mosis, & exemplo Aaronis: posterior probatur duplici testimonio ex Dauide sumpto.
      - Officio Sacerdotis. Sacerdotis est intercedere & offerre. Christus intercedit, & offert: ergo, &c. Atque hic digreditur expostulans cum Iudæis, horumq; increpat segnitiem, & tarditatem: pœnas item, ni pergāt in veritate, intentat: ac posteà mitigat superiora, & ad constantiam hortatur, Abrahæ exemplo.
    - **Cap. 7.** Quòd Christus vnicus verus & æternus Sacerdos sit, per quē Leuiticum abrogatum sit Sacerdotium, quod Leuitis maior & melior sit. Id probat ab
      - Exemplo Melchisedech, q. typus fuit Christi: cuius quidem nomen, locum, genus & cōditionem exponit, ac ea Christo, occulta quadā collatione, accōmodat: posteà aperta collatione colligit.
        - Leuitæ non nisi à suis fratribus, qui & ipsi erant de prosapia Abrahæ, velut æquales ab æqualibus accipere decimas. Melchisedech, qui Christi typus est, non à fratribus, sed ab ipso Abrahamo xenia accepit. Hoc ergo maior Leuitis est Melchisedech. Quò dignior est filijs Pater?
        - Minus est quod benedictionem accipit: maius quod benedicit. Accepit benedictionem Abraham: benedixit Melchisedech: minor est ergo Abraham: maior Melchisedech. Quantò minores ergo Leuitæ Christo?
        - Leuitæ in Abraham addecimati sunt Melchisedecho. Maior ergo Christus Leuitis.
        - In Lege mortales accipiūt decimas: At in typo Euāgelij viuēs accipit xenia Quò itaq; morte præstātior vita, hoc Christus Leuitis maior est. Hoc argumentū ordine tertium est.
      - Oppositis.
        - Si Aaronicum Sacerdotium eo consilio à Deo ordinatū erat, vt in hoc nihil immutaretur, sed vnicum satis esset ad salutem, iam nō opus fuisset vllum alium polliceri Sacerdotē, quàm Aaronicum: At alius promissus est: Ergo, &c.
        - Lex Leuitica eos duntaxat constituit Sacerdotes, qui sūnt ex Tribu Leui: Christus non est ex Tribu Leui, sed Iuda: Non igitur secūdùm Legem Christus ordinatus est, interim verò Sacerdos est: Ergo Sacerdotium translatum est.
        - Lex Leuitica carnalis est, & carnem lustrat Christus carnalis non est: Ergo, &c.
        - Christus iureiurando, vt immutabili, inauguratus est Sacerdotio: At Leuitæ velut propediem immutandi citra iusiurandum sunt cōstituti: Ergo abrogati.
        - Plures apud maiores erāt sacerdotes, quia mortales successoribus egerēt: Christus vnicus & solus est Sacerdos, quia æternus, &c. Hic describit Pontificem Christi, conditionē illius enarrans per antithesim, cap. 8, posteà colligit, quæ de Sacerdotio Christi disputauit.

Tabula tertia, de tertia & quarta Epistolæ parte.

Epistolæ ad Hebræos pars.

- **Cap. 9.** 3. De Christi sacrificio. Vbi docet
  - Christum vnicam & verã pro peccatis totius mundi hostiam, multò maiorem & præstantiorem victimis Aaronicis. Hic
    - Describit locum, in quo veteres suas immolabant hostias.
    - Typum tantummodò proponit. Quòd in anteriori Tabernaculo, quod Sanctum dicebatur, quotidie sacrificabant Sacerdotes, Num 28. In posterius autẽ, hoc est, in Sãctũ sanctorũ, non nisi semel in anno solus ingrediebatur summus Sacerdos offerens pecuinum sanguinem pro se & populi ignorantijs, Leuit. 16.
    - Docet quid primo & anteriori Tabernaculo præfiguretur: nẽpe Leuiticum Sacerdotium, quod prorsus vanum sit, & inutile.
    - Docet quid per Sanctũ sanctorũ præfiguratũ sit: Noui scilicet Testamenti populus, & sacrosanctum Christi sacrificium, quod vnicum & solum satis sit ad expianda totius mundi peccata.
    - Vtitur argumento a cõparatis. Confert enim Christi sanguinem cum sanguine taurorum & aliorum sacrificiorum legalium.
  - Christum mori oportuisse. Id probat ex
    - Ratione testamenti. Vbicunque testamentum est, ibi testatoris mors intercedat necesse est. Iusticia & peccatorum remissio testamẽtum est: Ergo testatorem mori necesse est. Maior probatur, Testamentum in mortuis ratum est.
    - Ipsa figura: Omnia secundùm Legem sanguine purificantur, &c.
  - Christum vnicum & æternum sacrificium esse. Id probat, quòd
    - In ipsum cœlum ingressus sit.
    - Semel oblatus vt & semel mortuus. Neq; enim quotãnnis sacrificat, vt Aaron in Sancta ingrediens quotannis immolabat. Id similitudine aperit: Homo enim non nisi semel moritur: Et Christus homo fuit: Ergo, &c.
  - **Cap 10.** Sacrificia legalia inutilia esse. Id probat à
    - Sacrificiorum vicissitudine. Ibi sacrificia prorsus cessant, vbi perficiunt, & peccata expiant. Leuitica sacrificia non cessabant, nam eadem quotannis & continenter, sineq; omni intermissione offerebantur: Itaque peccata non expiabant, & proinde non modò inefficacia, sed & inutilia fuerunt.
    - Testimonio Dauidis. Vbi postea colligit ea, quæ à cap. 9. de sacrificio Christi disputauit, ac Ieremiæ testimonio probat, quæ dę abrogato Leuitico sacerdotio, ac vero Christi sacrificio recensuit: sicut & causam de Sacerdotio Christi eodem collegit testimonio, cap. 8.
- **Cap. 10.** 4. Adhortatio. Hortatur enim ad
  - Fidem.
  - Charitatem, vbi & desertoribus Euangelij, & transfugis Ecclesiæ minatur, vt & hos reuocet, & in fide officioq; contineat.
  - Patiẽtiam, ad quam & cap. 12. hortatur, exemplis, similibus pręmijs & pœnis. Atq; eodem capite postea hortatur ad constantiam, pacem, fugam immundiciei, &c.

Tabula quarta, de quinta, sexta & septima Epistolæ parte.

Epistolæ pars.

- **Cap. 11.** 5. Præconiũ fidei. Vbi docet
  - Quid sit fides.
  - Quanta virtus fidei. Quòd fide omnes ab exordio mundi Patres coluerint, eique placuerint, mundum vicerint, fide quoque iustificati sint.
  - Fidem verum esse cultum, veram religionem & iusticiam: id quod in infinitis demonstrat exemplis à primo homine iusto, vsq; ad ipsa penè tempora Christi repetitis.
- **Cap. 12.** 6. Peroratio. Vbi colligit quæ dixerat de
  - Legis infirmitate & inefficacia.
  - Euangelij dignitate, & Christi redemptione absoluta.
  - Fiducia in Christum, & suscipienda Euangelij prædicatione, ad quod prima & secunda Epistolæ parte cohortatus erat.
- **Cap. 13.** 7. Sententiæ quædam breues & absolutæ de
  - Charitate.
  - Hospitalitate.
  - Castitate.
  - Auaritia fugienda.
  - Perseuerantia in veritate.
  - Discrimine sanæ & non sanæ, seu peregrinæ doctrinæ. Hæc enim escis & sacrificijs externis mandationem tribuit.
  - Christi sacrificio.
  - Sequela Christi.
  - Christianorum sacrificijs.
  - Obedientia Ministris debita.
  - Oratione.
  - Operibus bonis.

Dispositio

Dispositio Epistolarum Iacobi, Petri, Ioannis Apostolorum.

Dispositio Epistolæ Iacobi.

PARTES Epistolæ.

- Inscriptio Epistolæ. Vbi ostendit
  - A quo sit scripta Epistola.
  - Quibus.
  - Quid illis precetur.
- Adhortatio ad patientiam. Vbi
  - Docet quis fructus nascatur ex afflictionibus.
  - Ostendit quò in afflictionibus confugiendum sit, & quomodo orandum, cum nescimus quid agere debeamus.
  - Remouet quæ impatientiam foueant, vt sunt pauperies, cõtemptus, opum direptio, exilium, &c. Humilis, inquit, id est, pauper & spretus, à mũdo in eo glorietur, quòd à Deo sit exaltandus. Diues ob humiliationem, id est, ereptas opes gaudeat. Licèt enim in mundo sint humiliati apud Deum, tamen interim sunt exaltati, & sunt incertæ diuitiæ floribus similes.
  - Proponit vincentibus præmium amplissimum, vitæ coronam.
- Quòd Deo non sit imputanda culpa peccati nostri, seu tẽtatio: id est, lapsus in tentatione. Vbi
  - Docet Deum naturâ bonum esse: non esse ergo mali alicuius authorẽ.
  - Ostendit vnde impellamur ad malum.
  - Tradit Deum omnium bonorum fontem esse, id quod redemptionis humanæ beneficio diuino demonstrat.
- Adhortatio ad vitæ innocentiam. Vbi docet
  - Christianus qualis esse debeat.
  - Qualis sit auditor sermonis verus, & qualis hypocriticus.
  - Qui habeant vanam fidem.
  - Vera religio & fides quibus fructibus sit illustris.
  - Fidem & charitatem non respicere personas, sed sine respectu personarum benè facere, quod exemplo Dei probat.
  - CAP. 2. Neminem se excusare posse leuiculis peccatis, & quod alij peccent grauiùs. Quod facit per occupationem.
  - Omnia dicta & facta ad charitatis regulam exigenda esse, nisi à Deo puniri velimus.
  - Non excludi opera à fide: imò inanem esse fidem per se, absque operibus. Quod probat exemplo Abrahæ & Raab.
- ex CAP. 3. De docendi functione. Eam non esse temerè ambiendam. Quem locum postea copiosiùs tractat, vbi de vera & falsa sapientia disserit. Vera enim religio ac fides, rixas, contentiones, æmulationes, garrulitatẽ non amat, &c. quibus quidam pleni erant, docendi munus affectantes.
- De linguæ vitio fugiendo. Vbi docet
  - Magnam esse vim linguæ, quod per parabolas expolit.
  - Collationibus demonstrat linguam incoercibile esse malum.
  - Contra naturam esse pugnantia loqui lingua veritatem & mendacium.
- ex CAP. 4. Inuectiua contra auaros. Vbi
  - Effectus auaritiæ ostendit.
  - Docet nullum Deo commercium esse cũ auaris, quos hîc Adulteros appellat, Paulus Idololatras.
  - Demonstrat Deum esse zelotypum, quare eum cultorem ferre non posse, qui & mundum amat, & Christum se amare dicat.
  - Concludit & hortatur, vt Deo, non Diabolo nos subijciamus, & malimus luctum, afflictiones, quam risus lasciuos, iocos, tripudia, &c. & additur ratio.
- De fugiendo liuore & detractione, & additur ratio.
- Contra fastuosa diuitum verba & consilia.
- Repræhensio, Adhortatio, & seq. Vide literam A.

A.
- ex CAP. 5. Repræhensio vitiorum diuitum. Vbi
  - Taxat illorum securitatem, insana gaudia, & vitam dissolutam.
  - Reprahendit studium congerendi opes: quibus tamen aut vti nolunt, aut non possunt.
  - Demonstrat damnum maximum diuitiarum, quod est maximus animarum cruciatus.
  - Corripit furta, fraudes, rapinas, violentiam, & detentionem laboris, mercedis aliorum.
  - Incusat luxum diuitum, & exitium ostendit.
  - Carpit in diuitibus crimen crudelitatis, oppressionis pauperum, & corrupti iudicij.
- Adhortatio ad patientiam,
  - A spe præmij.
  - Ab aduentu Domini.
  - Ab exemplis Prophetarum, Iob & Christi, qui omnes in afflictionibus patientissimi fuerunt, & liberati sunt.
  - A bonitate Dei.
- Prohibitio iuramenti illegitimi & temerarij.
- Quid in afflictionibus & infirmitatibus faciendum sit. Vbi docet
  - Quid ægroto faciendum.
  - Quid Senioribus ac Christianis, ad ægrotum accersitis, apud illum agendum.
  - Quàm efficax sit oratio fidelis, idq; Eliæ exemplo.
  - Non corporis modò, sed & animi morbis subueniendum esse. Vbi maxima illi pollicetur præmia, qui correptos animi vitijs diligenter curârint.

Dispositio Epistolæ primæ Petri.

PARTES Epistolæ.
- Inscriptio. Vbi ostenditur
  - A quo scripta.
  - Quibus scripta.
  - Quid precetur.
- Exordium à gratulatione. Vbi
  - Deum laudandum esse prædicat.
  - Ostendit cur sit laudādus, vbi & diuinæ naturæ declaratur indoles
- Adhortatio ad patientiam, à
  - Temporis breuitate.
  - Causa finali.
- De ingenio & vi fidei. Vbi
  - Ostendit quod sit obiectum fidei: Deus videlicet inuisibilis.
  - Docet quid operetur: videlicet dilectionem, gaudium, & salutem.
  - Differit de fidei nostræ certitudine, veritate, ac vetustate, ne afflicti putarēt se pati propter doctrinam falsam. De hac enim vaticinati sunt & Prophetæ: nempe quando Christus venturus sit, quòd afflictiones subiturus, & quomodo glorificandus. Ostendit autem hic Prophetas non sibijpsis scripsisse tantum, aut sui temporis hominibus, sed vt omnem posteritatem erudirent.
- De vitæ innocentia, quam suadet
  - A tempore, quo illis iam gratia reuelata est.
  - A natura fidei & cognitionis Dei. Inuocatio enim pro religione solida & fide accipitur.
  - A redemptionis precio per collationem, vbi & de mysterio Christi, quòd Agnus ab origine mundi occisus sit.
  - Ab authore, seu causa sanctimoniæ & innocentiæ, qui est Spiritus, quem iam acceperant Christiani.
  - A renascentia & indole filiorum Dei, per collationem.
  - A corruptibilitate rerum terrenarum, & perpetuitate rerum cœlestium, ex Esaia. Est autem sententia Esaiæ generalis aduersus omnem carnis gloriam, opes, voluptates, &c.
  - Ex CAP. 2. Ab exemplo puerorum infantium, cum Dei ipsius sint filij ac pueri.
  - A similitudine ædificij, vbi adfert Scripturæ testimonium, & qualis lapis sit Christus ostendit.
  - A vocatione gentium, ac omnium Christianorum, & electione.
  - A sorte Christianorum, quòd sint aduenæ, nec habeant hîc manentem ciuitatem.
  - Ab honesto & vtili: videlicet vt inde glorificetur Deus.
- De officijs quibusdam, & seq. Vide literam A.

De officijs quibusdam Christianorum. Vt quid

- Deceat subditos: videlicet obedientia Magistratibus & legibus ciuilibus præstanda: & addit rationes cur Magistratui & Legibus sit obediendum, à causa efficiente & finali.
- Omnibus debeamus: videlicet honorem, dilectionem.
- Deo debeamus: videlicet timorem, Regibus honorem.
- Deceat seruos: nempe subiectio, & additur ratio: primùm ab honesto: deinde à vocatione, siue vocatione, & exemplo Christi, vbi & de gratia & redemptionis precio, deq; iustificatione per Christum, ex Esaiæ testimonio.
- EX CAP. 3 Deceat vxores, eas in primis instituens, quæ incredulis iunctæ maritis, imperium eorum ferebant impatientiùs. Hic docet quales esse debeant, non corporis habitu splendido, sed animi decore & modestia. Idque exemplo priscarum mulierum.
- Deceat maritos.
- Omnes deceat, & additur ratio ab vtili, seu præmio.

Suadet Petrus patientiam, constantiam, confessionem, bonam conscientiam, &c.

Digressio in locũ de redeptione. Vbi docet,

- Quòd Christus pro peccatis passus sit.
- Pro quibus: videlicet pro iniustis.
- Quomodo nos redemerit: videlicet per carnem, seu corporis imbecillitatem.
- Quòd his etiam profuerit mors Christi, qui olim excesserunt è viuis.
- Quis effectus mortis Christi sit.

Adhorratio ad vitæ nouitatem,

- Ab anteactis.
- CAP. 4. A mercede impiorum, qui vitam pœnitentium irrident. Vbi ostendit, Christũ in iudicaturum viuos & mortuos, & addit rationem.

A.

Adhortatio ad sobrietatem, vigiliam, orationem, charitatem, hospitalitatem, donorum fidelem dispensationem, patientiam à causa finali. Vbi & afflictionis causas restringit, ne quis omnem afflictionem crederet esse sanctam, & afflictos consolatur à comparatis.

CAP. 5. Regressio ad officiorum institutionem. Vbi docet quid deceat

- Presbyteros ac Seniores: nempe pascere in modestia gregem Christi:
- Iuniores: nempe subiectio

Commendatio humilitatis ab vtili.

De sobrietate & vigilia contra insultus Satanæ.

Epilogus Epistolæ. Vbi

- Imprecatur illis constantiam in cruce.
- Ostendit cur & quibus de rebus scripserit.
- Salutat quosdem, ac pacem precatur.

Dispositio Epistolæ secundæ Petri.

PARTES Epistolæ.

- Inscriptio eadem quæ & prior.
- Exordium à mysterio Christi sumptum. Vbi docet Deum omnia nobis in Christo dedisse, quæ ad pietatem & vitam pertinent.
- Adhortatio ad studium innocentiæ. Vbi virtutum velut coronam gradatione quadam festiua texit. Hortatur autem ad vitæ innocentiam ab vtili, à testificatione electionis & præmijs.
- Qua occasione, & quibus de rebus hanc Epistolam scribere cœperit.
- De religione Christiana, quòd vera & absoluta sit, id quod testimonio Patris & Prophetarum probat. Et addit quomodo Scriptura canonica & prophetica scripta legenda, & exponenda sint.
- EX CAP. 2. De falsis Prophetis. Vbi
  - Describit eos
    - Ab artibus infandis.
    - A versutijs.
    - A blasphemijs.
    - A sectatoribus.
    - Ab interitu. Id quod probat exemplo Angelorum, mundi puniti per diluuium, ciuitatū subuersarum. Vbi & de liberatione piorum disserit.
    - A peccatis, id est, stupris, contemptu Magistratus, conuicijs, luxu, mente pœnitere nescia, seductione aliorum, rapina, auaritia, &c.
    - EX CAP. 3. A doctrinæ vanitate, per parabolam fontium & nebularum. Hic verò appræhendit & expositionem parabolæ, & ostendit quàm grauiter peccent seductores, & seducti, & quales sint.
  - Docet in quem finem hæc de falsis Prophetis scripserit: videlicet vt commoniti, ab illis caueremus, & in veritate agnita perstaremus.
- De impijs postremi seculi moribus, & conteptoribus diuini Iudicij. Vbi
  - Asserit Iudicium Dei futurum contra impudentiam quorundam. Idque ab exemplo primæ ætatis, cùm Deus terram diluuio puniuit. Vnde facilè colligi possit, Deum iudicaturum omnes, pios & impios: non iam per aquam, sed per ignem.
  - Respondet ad quæstionem quorundam: Quando ergo veniet Dominus? Deo neq; longum, neque breue esse tempus, quod nobis vel breue, vel longum videtur, & in suis promissis non nostram cupiditatem, sed æternum suum consilium sequi.
  - Ostendit cur spatium longius sui aduentus præscripserit: Nostri videlicet causa.
  - Quomodo Dominus ad Iudicium veniat: videlicet præter omnem opinionem, & quanto terrore & supplicio afficiendi sint impij.
  - Ostendit fidelium esse, vt contemptis impijs illis, ipsi se parent ad diem illum Iudicij. Hic verò per occasionem nobis & Pauli scripta commendat, quod & ille de hisce rebus admonuerit, & quomodo legenda sint, docet: animo scilicet fideli & diligenti.
- Clausula, in qua repetit quæ in tota Epistola tractauit, & monet vt firmiter in cœpta veritate perseuerent.

Dispositio Epistolæ primæ Ioannis.

PARTES Epistolæ.

- De christianæ religionis, de qua Ioannes scribit, certitudine. Vbi
  - Notat Euangelij de Christo veritatem à sensibus.
  - Exponit quod dixerat de sermone vitæ: Vita, inquit, manifestata est. id est, Verbum caro factum, ipsúmque Euangelij, mysterium orbi retectum est.
  - Adijcit fructum annunciationis Euangelij, quòd hi, qui suscipiunt Christum, vnum sint cum Patre & Filio: id est, fœdere Deo iungantur, & consortes efficiantur vitæ æternæ, & habeant gaudium: id est pacatam conscientiam, vbi per occasionem & de puritate vitæ concionatur: idque à natura & genio Dei.
  - Docet in Christo esse peccatorum remissam, si modo peccata ex animo confiteamur, & veniam per illum petamus.
- EX CAP. 2. Adhortatio ad vitæ puritatem. Vbi.
  - Hortatur vt filios, ne peccemus, ne quis ex redemptione Christi peccandi sibi arriperet licentiam.
  - Disserit de Mediatore Christo.
  - Ponit certissimam Christiani hominis notam: si videlicet sanctimoniæ studeamus, & iussa Dei seruemus. Hoc per antithesim amplificat.
  - A connexis, vel exemplo arguit, qui Christiano nomine se venditat, is à Christi exemplo pendere debet.
  - Præceptum de vitæ puritate ipsa vetustate commendat, & quomodo etiam nouum dicatur, ostendit. Hic verò occasione sumpta à lumine. Iterum à connexis ducit argumentum, & Charitatem potissimam Christianorum notam ingerit.
  - Retegit tandem illud malum, quo puritas vitæ & innocentia proditur, & labefactatur, quod est amor mundi: propterea præcipit, ne diligatur mundus. Id facit post locum tertium.
  - Puritatem vitæ suadet ab vtili, per antithesim.
- Collegit ac repetit, & seq. Vide literam A.

Colligit ac repetit potissima Euangelicæ doctrinæ capita, omnibus cum hominibus, tum ætatibus congrua: vt de peccatorum remissione propter Christum: de cognitione Christi: de labefactandis carnis cupiditatibus: de cognitione Dei vel patris erga nos beneuoli. Atque hæc iterum repetit.

De Antichristo. Vbi docet
- Multos iam Antichristos exortos esse.
- Vnde profecti sint Antichristi.
- Cur exciderint: Quia oportuit triticum cribrari, & paleam ventilari.
- Quomodo artes istorum euitari possint: videlicet si doctrinæ Spiritus Sancti hæreamus.
- Quis sit Antichristus.
- In veritate Euangelica, quam docet spiritus persistendum esse.

ex CAP. 3. Adhortatio ad vitæ innocentiam,
- A dignitate Christianorum, quod filij Dei nominantur & immortales redduntur.
- A causa incarnationis Christi.
- A coniugatis: Is iustus est qui facit iusticiam, non qui multa garrit de iusticia.
- Ab authore & factorum similitudine per antithesim: Qui committit peccatum ex Diabolo est.
- Ex genio & natura rei.

A. Adhortatio ad charitatē,
- A capite doctrinæ & religionis Christianæ.
- A contrario exemplo.
- A testificatione electionis.
- A pœna eorum qui alios non diligunt.
- Ab exemplo Christi.
- A comparatis & contrario exemplo.
- A commodis.
- A Dei præceptis.

ex CAP. 4. De probandis Spiritibus. Vbi docet
- Quomodo discernendi sint.
- Quam facile sit Spiritus filijs Dei vincere.
- De causis vtriusq; religionis & doctrinæ: Christiana enim ex Deo est, Antichristi doctrina ex mundo.

Regressio ad adhortationem ad charitatem,
- A genio filiorum Dei.
- Ab exemplo Patris.
- Ab vtili.
- A notis veræ religionis, quarum altera est, conscientiam habere inconcussam in die iudicij: altera, ad exemplum Christi vitam instituere.
- A comparatis.
- A summario Legis.

ex CAP. 5. De virtute Fidei. Vbi
- Ponit caput Fidei.
- Docet Fidem non esse ociosam, sed progignere vitæ nouitatem & charitatem.
- Ostendit Dei præcepta non esse grauia.
- Probat Christum Filium esse Dei, quem fides amplectitur: venit enim Christus doctor & lux mundi, hostia, & redemptor æternus. Id enim per aquam & sanguinem intelligit. Accedit his & testimonium Spiritus.
- Ostendit quid per Filium, si in eum credamus, consequamur: nempe vitam æternam & salutem.
- Disserit de effectu Fidei: videlicet precationis nostræ exauditione, & pro quo valeat precatio. Vbi peccatum distinguit.
- Concludit quæ de Fide disputauit, & monet, vt à simulachris nobis caueamus. Idololatria enim Fidei & veræ Dei cognitioni aduersatur. Ac qui verè Deum cognoscit, facilè ab idololatria deficit.

Finis Epistolarum.

CONCIONES BREVES AC SVCcinctæ in Apocalypsim Ioannis Apostoli in Tabulas redactæ.

STEPHANVS SZEGEDINVS LECTORI.

Si secreta Dei cupias cognoscere, Lector,
Aut quæ Christicolas fata futura manent.
Huc ades: hic Christus Patris secreta reuelat,
Angelus exponit fato futura pijs,
Veridicus monstrat ventura pericula Vates,
Et velut errantes ad meliora vocat.
Præcinit vt pietas varijs oppressa ruinis,
Splendidus ac iaceat relligionis honor.
Sæpius hunc relegas, manibus voluasq́ libellum:
Namq́ Apocalypsis mystica verba gerit.

Vaticinium FRIDERICI Imperatoris in Romanam tyrannidem ad GREGORIVM nonum.

Roma diu titubans, varijs erroribus acta,
Corruet, & mundi desinet esse caput.

MAGNI-

MAGNIFICO DOMINO, D. SIGISMVNDO HALLER, CONSILIARIO Sacræ Cæsareæ Regiæque *Maiestatis &c.*

Domino ac Mecœnati suo obseruandiss.

S. P. D.

SPIRITVS ille Dei, cuius oculis patent omnia, disertè nos de futuris Ecclesiæ periculis admonet, ac apertè suggerit in posterioribus temporibus venturos esse Pseudoprophetas, foreque homines sui amantes, attendentes spiritibus impostoribus, qui quidem sanam doctrinam sustinere haudquaquam possunt, sed iuxta concupiscentias suas conseruabunt sibi Doctores, hi quibus pruriunt aures: & à veritate quidem aures auertent, ad fabulas verò conuertentur. Quæ Spiritus Prophetia nulli ætati tam propria est quàm nostræ, in qua vidimus neglecta iacuisse sacrosancta Dei eloquia: pro his verò prædicata esse themata quædam de rebus friuolis, ac innumeris apostaticarum inuentionum abominationibus. Vidimus reiectam etiam Ioannis Apostoli Apocalypsim, quam vt è manibus piorum excuterent impij & conscelerati homines, Cerintho illi hæretico blasphemo, ac Ioannis Apostoli antagonistæ attribuerunt, ac aliam quandam Cyrilli Carmelitæ Græci Apocalypsim substituerunt. Hanc è cœlis, Cœlestini tertij tempore, acceptam, ac Dei ipsius digito in argenteis tabulis Græcè de futuro Ecclesiæ statu scriptam, per puerum verò illi Abolla vestito, & sub auroram missanti, exhibitam tradunt. Quo certè encomio nituntur impostores priorem illam ac veram Ioannis Apostoli Apocalypsim auferre, aut funditùs delere, eò quòd Pseudoprophetas Babylonios, ac Antichristos Romanenses suis appositè depingat coloribus. Quò verò hinc tendebat Satan? Hac enim prodigiosa Cyrilli reuelatione minimè contentus, aliud tentare cœpit. Excitauit enim fraterculos quosdam Dominicanos & Franciscanos, qui ex his Cyrilli visionibus & Ioachimi Abbatis interpretationibus prodigiosis nouum quoddam Euangelium, fucatæ suæ sanctitati accommodum, conflauerunt, ac illud Euangelium Spiritus Sancti Euangelium deinceps duraturum, atque Euangelium æternum vocauerunt, ad mutandum Euangelium Iesu Christi in aliud Euangelium, quod dicunt perfectius, melius & dignius quàm sacrosanctum Christi sit Euangelium: quod ad Euangelium Christi comparatum sit, vt Sol ad Lunam, aut nucleus ad testam comparatus. O Satanę ministros! Quæ enim obsecro est blasphemia si hæc non est? videbāt certè hi fraterculi nō posse amplius auaritias, pompas ac libidines defendere cōtra Valdenses, nisi sepultum fuisset sacrosanctum Christi Euangelium. Nouum igitur Euangelij genus comminisci coacti sunt, quod Euangelio Christi ex diametro pugnaret. Hæc enim illius prima ferè capita sunt: Christum non esse Deum: Sacramentum eius nihil esse: Mariam Christi matrem ac Christum mendicando victum sibi quæsiuisse: Euangelium Christi non esse verum: Missam esse sacrificium pro viuis & mortuis, &c. O blasphemiam plusquam Diabolicam! Hæc certè omnium abominationum mundi maxima est. At, quis tandem huius blasphemiæ finis? Non potuit Deus vltrà hanc execrandam blasphemiam perferre, sed excitauit quosdā, qui de hisce rebus apud Pontificē conquererentur. Crescentibus igitur scandalis ac odijs inter Magistros Parisienses & fratres Prædicatores, præcepit Alexander quartus, vt nouus ille liber, qui Euangelium æternum nominabatur, secretò, ac si fieri posset, sine fraterculorum (quos ille impensiùs amabat) scandalo combureretur. Quod diligentia Hugonis Cardinalis cautè ac tacitè, vt præceptum erat, procuratum est. Etsi verò Euangelium illud Diabolicum deletum iam sit, mansit tamen eadem in Deum blasphemia, ac summa, à recta fide in Christum, in Papistarum adinuentionibus, defectio, ad nostra vsque tempora.

Sed Deo gratia, qui verum ac æternum Chriſti Euangelium hiſce poſtremis temporibus nobis reſtituit, ac patefecit, vt omnes vbique reſipiſcant, ac reiecto peſtifero illo Euangelio, hoc verum ac ſacroſanctum Chriſti Euangelium amplectantur. Verùm nos ad Apocalypſim Ioannis reuertamur. Hæc cum ventribus ac culinis Papicolarum minùs congruat, Pſeudoprophetam illum appellârunt, qui hanc explanaret, ac iuxta genuinum Scripturæ ſenſum interpretaretur. At Ioannes initio ſtatim, libri huius authoritatem aſſerens, eos refutat: dicens, Beatus qui legit & audit verba Prophetiæ, & ſeruat ea quæ in ea ſcripta ſunt. Hic Apocalypſim Prophetiam appellat: Prophetiam vtique non fictam, ſed veram, ac noui Teſtamenti Prophetiam. Veri igitur Prophetæ ſunt, qui hanc purè ac dilucidè exponunt. Ac vt Iudæi ſuos habuerunt Prophetas, ita & nos noſtros Prophetas habemus: eos videlicet qui legunt, interpretantur ac audiunt verba libri huius. De hiſce Prophetis in Ioele dicitur: Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ, &c. Atque hæc noui Teſtamenti Prophetia non tam in vaticiniorum dono conſtat, quàm in cognitione Dei per Chriſtum, quam Spiritus ſanctus per verbum Euangelij lucere facit: quæ quidem cognitio vitam æternam affert. Quare & Ioannes hos beatos appellat, qui legunt & audiunt verba Prophetiæ huius. Laudandi igitur ſunt Interpretes, qui hanc noui Teſtamenti Prophetiam purè ac ſimpliciter interpretantur, ac populo Dei proponunt. Atque hi meritò Prophetæ dici poterūt. Horum verò Prophetarum ſeu interpretum etſi magna hoc tempore ſit copia, viſum eſt tamen & mihi, totam hanc Ioannis Prophetiam in breues quaſdam Tabellas redigere. Quod inſtitutum meum etſi temerarium videri poſſit, habui tamen non exiguam mei inſtituti cauſam. Non enim omnibus longiores interpretum commentarios perlegere, vel propter ingenij imbecillitatē, vel propter occupationes varias, licebit. Placuit autem, mihi Princeps clariſſimè, hanc meam qualemcunque operam tuo nomine dedicare: non ſolùm vt tibi officium meum probarem, ſed vt hac occaſione publicam Eccleſiæ ac ſacrarum literarum cauſam tibi commendarem. Neceſſe enim eſt vt Principes ipſi, qui reliquis vel potentia vel authoritate præſtant, Eccleſiæ Chriſti patrocinium ſuſcipiant. Cum hiſce verò Tabellis ritè conferri poſſunt & Epiſtolarum Paulinarum diſpoſitiones, iam antea à nobis, ſecundùm doni diuinitus largiti mediocritatem, elaboratæ. Vt enim Ioannes in ſua Apocalypſi, ita Paulus verus Dei Propheta de futuro Eccleſiæ ſtatu & Antichriſti regno in duabus præcipuè Epiſtolis vaticinatur. Voluimus porrò iſta ratione adoleſcentibus ipſis conſulere, quibus magnopere prodeſt orationis diſpoſitionem oſtendere. Hac enim animaduerſa, omnia faciliùs percipiuntur. Imperiti enim non poſſunt difficiles diſputationes intelligere, niſi ordine regionibuſque partium animaduerſis. Quod qui non conſiderat, adeò non intelligit Paulum (de quo & Petrus 2. Pet. 3. Charus, inquit, frater noſter Paulus pro ſibi data ſapientia ſcripſit vobis: vt qui in omnibus ferè Epiſtolis loquatur de iſtis: inter quæ ſunt nonnulla difficilia intellectu, quæ nonnulli parumque ſtabiles detorquent, vt & reliquas Scripturas, ſuo ipſorum exitio) vt qua de re agat ne ſuſpicari quidem poſſit. Quare te oro vt hunc meum laborem candidè ſuſcipias, ac in eo, quod cœpiſti, pergas diligenter: & conſilio ac authoritate tua doctrinam verè piam tuearis, & ſacra ſtudia defendas. Quod ſi feceris, & ſaluti Eccleſiæ Chriſti conſules, & tu per Chriſtum ſalutem accepturus es. Vale in Chriſto Princeps mitiſque piuſque.

Veſtræ Magnificentiæ deditiſſ.

Stephanus Szegedinus,

Miniſter Eccleſiæ Kalmantſchienſis.

IN APOCALYPSIM IOANNIS CONCIONES quædam, numero trigintatres.

Prima Concio de vtilitate & partitione libri Apocalypsis.



Dvo loci de

- Vtilitate libri Apocalypsis. Tradit enim.
  - Plenissimam descriptionem Christi.
  - Elegantissimam Ecclesiæ Christi descriptionem, & quomodo eadem extruatur, reparetur & conseruetur.
  - Plenissimam descriptionem Antichristi, membrorum eius & synagogæ, consiliorum, regni, artium, truculentiæ & interitus eiusdem, à qua nos cauere iubet.
  - Compendium historiarum à temporibus Christi ad finem vsque seculi.
  - Absolutam & certam Prophetiam de rebus futuris.
  - Maximam Ecclesiæ consolationem in aduersis, & prouidentia Dei omnia fieri, & finem esse malorum, & semper futuram esse, inuitis Diabolis, Ecclesiam.
  - Doctrinam copiosissimam de Iudice & Iudicio extremo, & pœnis & præmijs.
- Partitione Apocalypsis. Sunt enim partes libri tres:
  - Præfatio libri.
  - Ipsum opus in septem visiones distinctum.
    - Visio primis tribus capitibus exponitur, exhibens nobis Christum regnantem in gloria & gubernantem, disponentemque, & corrigentem, conseruantemque suam Ecclesiam.
    - Incipit à 4. capite, & extenditur ad 8. vsque caput. Et ipsum Deum & Christum eius spectandum proponit, cuius iustissimam prædicat gubernationem.
    - Ad caput vsque 12. pertingit, & habet septem Angelos septem tubis clangentes.
    - Per cap. 12. 13. 14. exponit pugnam Mulieris cum Serpente, ac exhibet nobis veterem septicipem & nouam bicornem bestiam spectandam: Antichristi videlicet descriptionem.
    - Ad 17. vsque caput, Angelos septem proponit, phialas iræ diuinæ septem effundentes.
    - A 17. cap. incipit & progreditur vsque ad cap. 21. disseritque de iustissimo Dei iudicio, in Babylonem, in scortum Babylonicum, in Antichristianos, denique in impios omnes.
    - Et vltima visio omnium fidelium animis proponit gloriam, & perpetuam Sanctorum beatitudinem.
  - Conclusio & commendatio, cum obsignatione operis, in qua asseritur authoritas libri & colligitur summa paucis. Attexitur verò conclusio operi sub finem cap. 22.

Concio secunda de prima parte libri, videlicet de Præfatione, ex cap. I.

PRAEFATIONIS partes tres.

- Inscriptio totius operis, ea est Apocalypsis. Vbi docet
  - Vnde sit illa reuelatio: nempe ex ipso Deo. Dicit enim, Quam dedit, illi Christo, inquam, Deus vtiq; Pater, à quo accepit Filius aliquid, tanquam homo per dispensationis mysterium.
  - In quem finem Deus Pater reuelârit, aut dederit reuelandi munus. Officium Sacerdotale Filio suo, videlicet vt seruis suis demonstraret.
  - Quid vel quæ reuelârit Ioanni Christus: Quæ, inquit, oportet citò fieri, id est, fata Ecclesiæ, quæ bona & mala obuentura sint pijs, quæ item supplicia impijs.
  - Quomodo reuelârit ea Christus: Emisso scilicet Angelo suo, cui quid diceret & ageret, mandatum dedit.
  - Cui reuelata hæc sint: videlicet Ioanni, quem, hoc est, semetipsum quatuor ornat epithetis: Quòd
    - Sit seruus Christi.
    - Testificatus sit sermonem Dei, Ioan. I.
    - Testificatus sit testimonium, id est, doctrinam Iesu Christi.
    - Testificatus sit ea quæ viderit.
  - Hanc reuelationem prophetiam esse, eò quòd veteres Prophetas illustret, & prædicat res futuras.
  - Beatos esse qui legant, audiant & seruent ea, quæ in libro hoc scripta sunt.
- Exordium, cuius loci sunt.
  - Quis sit author & scriptor huius libri.
  - Quibus scribat, & ad quos pertineat hic liber. Ad septem Ecclesias Asiæ, de quibus infrà, quo nomine multitudinem Ecclesiarum significat.
  - Salutatio Apostolica. Vbi
    - Imprecatur gratiam & pacem.
    - Docet à quo hæc cōferantur: nempe à Deo, qui est
      - Pater, de quo hîc dicit, Qui est, erat, & venturus est, quod per seipsum subsistat, & absque principio & fine sit.
      - Spiritus, qui hîc septenarius appellatur, propter septuplicem, id est, omnimodam gratiam & dona multifaria.
      - Christus Filius Dei.
  - Descriptio Christi. Quòd
    - Sit testis fidelis.
    - Sit primogenitus ex mortuis, Dominus mortis & victor.
    - Sit Princeps Regum terræ.
    - Redemerit nos ex charitate motus, purgauerit, ac Reges ac Sacerdotes effecerit, vt Deum perpetuò celebremus.
    - Venturus sit in iudicium, & puniturus impios.
  - Confirmatio authoritatis libri huius, cuius author ostenditur Deus ille æternus & omnipotens.
- Narratio huius libri. Vbi narrat
  - De sese, vocans sese fratrem fidelium, participem in afflictione vt qui relegatus à Domitiano ageret in exilio. Addit autem afflictioni & patientiæ regnum cœleste, vtique non terrenum.
  - De loco in quo ei facta est hæc diuina reuelatio, vbi & illam scribere iussus est diuinitùs. Locus fuit insula Pathmos, vbi non tacet causam aduentus sui in illam insulam, propter sermonem Dei, &c.
  - De tempore, quo hæc illi mysteria cœperint reuelari: Dominica videlicet die, in quo sacros & celebres cœtus agebant Christiani.
  - De mandato quo iussus est & scribere reuelata, & mittere ad Ecclesias septem Asiaticas.
  - Cuius fuerit vox, & cuius authoris hæc reuelatio: Dei vtique æterni, qui se appellat alpha & omega, id est, principium & finem. Nullus verò ordo, aut tempus certum hic intelligendum est, sed simpliciter æternitas.

SE-

SECVNDA PARS LIBRI DE septem visionibus.

De prima visione tribus capitibus compræhensa, quæ duabus partibus præcipuis constat.

De prima parte Visionis primæ, quæ extenditur ad cap.4.

Concio ex capite primo.

LOCI quinque:

- Descriptio Christi, loquentis per Angelum, personam Christi gerentem: in specie enim Angeli Christus repræsentatur. Describitur autem Christus
  - A loco, vbi sit aut versetur Christus. Versatur enim in medio septem candelabrorum, id est, Ecclesiæ: virtute enim diuina manet in Ecclesia, & operatur Christus præsens. Non igitur illi opus erit vicario. Septem candelabra vniuersitatem Ecclesiarum designant, quæ ab vnita luce Christo illuminantur omnes. Aurea appellantur, ob puritatem preciositatemq; latentis in eis fidei. Iam vt candelabra per se non lucēt, sed sunt lucis acceptabula: ita ex nobis tenebræ, non lux exoritur. Si lux illa æterna lumen collocet in candelabrum lucet lux, exerit se fides in confessione, & puritas vitæ in conuersatione.
  - A dignitate Sacerdotali ac regia. Poderis enim vestis sacerdotalis est. Candida hæc & munda erat, quia Dominus Sacerdos est impollutus, Heb.7. Balthæus est militum & triumphantium, & significat regiam in Christo dignitatem. At baltheus vel zona non in consueto ponitur loco, in lumbis. Non enim cingitur more peccatorum, sed circum mamillas, vt intelligas ipsum esse Regem Regum: alienum ab omnibus affectibus, iustissimum & sanctissimum.
  - A sapientia, æternitate, ac diuinitate. Hoc significat caput Christi canum, & capilli eius candentes instar purissimæ lanæ.
  - Ab omni scientia. Habet enim oculos igneos & corruscantes. Christi oculos peruigil est, nihil illum latet. Videt quæ sunt omnium bona, pariter & mala. Videt autem vt iudicet, & requirat. Iucundus bonis Christi aspectus, in periculis nostri curam gerit, quomodo igitur abest à sua Ecclesia?
  - A conuersatione & via eius inculpata, iudicijs æquis & iustis: hoc significant pedes purgatissimi, electrini & igniti.
  - A potentia vocis, id est, Euangelij sui, quam etiam Reges potentissimi minus cohibere possunt, quàm aquarum fragorem & ventos concludere succis.
  - A potentia, qua dat nobis Pastores, Instituit & confortat, & confirmat atq; tuetur vt annuncient verbum eius. Hoc est Christum tenere dextra septem stellas, id est, omnes per totum orbem Episcopos. Prædicatores stellæ appellantur, propter doctrinam lucidā cœlestemq;, & propter puritatem vitæ.
  - Ab operatione continua per ora Ministrorum suorū.
    - Gladio verbi defendit suos ab aduersarijs. Impios verò conficit. Hic gladius non pendet in pariete, non hæret in vagina aut latere, sed procedit ex ore, sicut & nunc egreditur adhuc gladius ille ex ore Christi per ora Ministrorum.
    - Illuminat omnes homines, vt sint & ipsi filij lucis & irradiet in die illa facies Sanctorū sicut Sol vt & Christi facies luxit, Mat.13.17.
- Quomodo Ioannes affectus sit ad illam cœlestem visionem: Hoc enim videns concidit in terram, &c. Diuinæ enim visiones redarguunt nostram infirmitatem, nec idonei & purgati satis sumus, vt super cœlestia illa nondum purgatis oculis contemplemur.
- Consolatio Ioannis.
  - Factis, id est, manus impositione, quod symbolum est amicitiæ, protectionis, præsentisque auxilij.
  - Verbis seu voce Euangelica, NOLI TIMERE.
- Explicatio visionis. Vbi explicat
  - Quis sit, qui similis Filio hominis visus est ambulare inter cādelabra. Hunc describit
    - A natura diuina. Christus enim verus Deus, Patri coæqualis est.
    - A natura humana. Fatetur enim se mortuum fuisse.
    - Ad immortalitate. Christus enim mortuus iam viuit, & iam non amplius moritur.
    - A plenaria potestate necis & vitæ. Hæ sunt claues inferni, quos enim vult viuificat & retrahit ab inferis: quos damnare velit, iusto perdit iudicio. Non dedit hanc potestatem Pontifici Romano, sed Christus eam habet, & retinet in æternū. Ministri habent annunciationem vitæ & mortis.
  - Quid per stellas significetur. Stellæ enim Angeli sunt, id est, Legati & Pastores Ecclesiarū. Hi sunt in dextera Christi, id est patrocinio, nec eripiet illos quisquam de manu eius.
  - Quid sint candelabra septem. Hoc enim nomine vniuersitas Ecclesiarum significatur.
- Mandatum, vt visa describat.

De secunda parte Visionis primæ: videlicet de Epistolis è Throno Dei à Christo per Angelum reuelatis, & à Ioanne exceptis, scriptis & missis ad septem Ecclesias Asiæ, atq; adeò non minùs ad nos illæ pertinent, quàm Templum ingressus Tabellio, has nobis exhiberet literas.

Concio ex Epistola ad Ephesios, quæ est cap. 2. libri.

- Loci, seu partes Epistolæ, quatuor.
  - Quis sit à quo procedit Epistola, vt authoritatem Epistolæ addat. Est enim qui
    - Septem stellas in manu sua tenet: hoc est, qui Ministros, adeoq; mysterium verbi vel Ecclesiæ gubernat, & operatur per Ministros salutem fidelium.
    - Ambulat in medio septem candelabrorum: id est, adest Ecclesijs, seruat, erudit, iuuat eas, ac modis omnibus super eis aduigilat, solicitus est ne desit eis oleũ Spiritus, ne desit eis veritatis ignis & lux, deniq; emungit ac purgat fide quicquid in eis purgatione opus habet.
    - Nouit opera omnium bona & mala. Repetitur hæc summa in singulis Epistolis.
  - Laudat in hac Ecclesia quædam, vt
    - Laborem Episcopi & Ecclesiæ. Laborem vocat solicitudinem curamq; in via Domini, mortificationem carnis, studium bonorum operum, crucem & persecutionem.
    - Patientiam: Nisi enim patientia adsit certantibus, laborem minimè sustinemus.
    - Quòd non sustineat malos obstinatos.
    - Quòd probauerit impostores ac Pseudoprophetas, quorum tunc maxima erat copia. Probauerit verò ad symbolum Christianum, ad doctrinam Apostolicam.
    - Quòd quæ inter probandum mala à falsis Prophetis inferantur, patienter sustineat.
    - Quod Nicolaitarum opera oderit. Ea sunt,
      - Idololatria.
      - Stuprum.
      - Vesci idolothytis.
      - De quibus infrà in Pergamensi Epistola, Irenæus libro cõtra Valetinianos, cap. 27. Tertulianus, Iosephus lib. 4. cap. 62.
  - Vituperat in hac Ecclesia quòd primam charitatem reliquerit. Antea enim amabant Deum & proximos, sed progressu temporis frigidiores facti, minùs amabant Deum & proximos. Obserua, Ecclesiæ imputari non tantùm defectionem, idololatriam, & crassa alia flagitia, sed etiam si aliquid decederet feruore sancto.
  - Hortatur ad pœnitentiam,
    - Consilio. Vt
      - Meminerint quid amiserint, & quibus malis nunc teneantur. Agnitio enim & confessio peccatorum in emendatione præcedere debet.
      - Conuertantur ad bonum, faciant iusticiam ex fide.
    - Minis. Dicit enim:
      - Veniam tibi citò, id est, adero vindex & vltor, & fortè citius quàm ipse expectes.
      - Mouebo candelabrum de loco suo. Mouetur autem candelabrum loco suo, dum Ecclesia spoliatur prædicatione veritatis, nec iam in Christum amplius incumbit, neque à Christo defenditur, sed deseritur. Atque adeò Ecclesia Christi vera amplius non est. Fit hoc ab ipso Christo, iusto eius iudicio, propter ingratitudinem hominum & vitam pœnitere nesciam: propter hæc enim recedit à nobis Deus, & relinquit nos erroribus ac impostoribus.
    - Amplissima promissione. Vincentibus enim promittit se daturum fructum de Arbore vitæ, consita in Paradiso Dei. Paradisus ipsa est æterna beatitudo. Arbor vitæ Christus, communicans nobis vitam suam æternam, qua fruimur, dum translati in cœlos per ipsum & in ipso viuimus.

Expositio secunda Epistolæ Iesu Christi ad Smyrnenses, in quibus nihil accusatur, vt in alijs.

Secvndae Epistolæ partes.

Cui mittatur hæc Epistola cœlestis: Angelo Smyrnensis Ecclesiæ: id est, Pastori, atq; adeò toti gregi. Testantur autem Historiæ Pastorem hunc fuisse Polycarpum: ordinatum ab ipso Ioanne, ac vixisse in ministerio huius Ecclesiæ annos octuagintasex: qui tandem ob ingenuam & apertam Christi confessionem igni exustus est.

Quis sit huius Epistolæ author. Qui hic tribus epithetis ornatur:
- Primus & nouissimus dicitur, quo significatur æterna Christi diuinitas, quæ principio & fine caret.
- Mortuus fuisse, sed reuixisse dicitur: quo significatur vera Christi humanitas. Consolatur hoc afflictos hic enim suos à morte seruare potest, qui ipse à mortuis resurrexit.
- Omnia suorum opera nouisse dicitur, præcipuè verò fidelium suorum afflictiones: videlicet
  - Paupertatem & inopiam rerum omnium ex direptione bonorum.
  - Contumelias, conuicia, siue blasphemiam contra fideles.
  - Carceres & vincula, sub quibus omnia intelliguntur tormenta, quibus corpora excruciantur.
  - Mortem ipsam amaram, per ignem, laqueum, gladium, aquas, &c.

Quis malorum omnium author sit: nempe Diabolus. Oriuntur enim mala à communi hoste generis humani & salutis fidelium.

Quos Satan præcipuè contra Christianos armet: Eos videlicet qui Iudæi, id est, veri confessores, fideles Dei cultores, sancti viri ac Ecclesia appellantur, cùm nihil sint minus. Sunt potius conciliabulum & schola Satanæ, in quibus non Dei Spiritus, sed Cacodæmonis inspirat mendacia, &c.

Exhortatio, quæ tribus constat membris.
- Nihil horum timeas, inquit, quæ passurus es, vbi monet ne quid fide indignum patrent metu pœnæ. Metuere enim mala & mortem naturale est.
- Fidelis esto, inquit, vsq; ad mortem. Qui enim perseuerauerit vsq; ad mortem, hic saluus erit.
- Dicit, Qui habet aures audiendi audiat, &c. Vbi authorem omnium horum Spiritum esse Dei prædicat, omnesq; ad diligenter auscultandum & obediendum exhortatur, & omnibus hæc per orbem Ecclesijs scripta esse ad eruditionem, attestatur.

Consolatio, quæ constat quinq, membris. Quòd
- Christiani pauperes facti, diuites sint: spoliati enim propter Christum externis bonis, ditantur animi facultatibus, gaudent, & exultant in Deo, æquo animo ferentes quamuis sortem.
- Tentamur in afflictione, id est, non permittit Deus suos Satanæ vt pereant, sed vt probentur, purgentur à sordibus, reluceat fidei virtus, glorificetur Deus, reddantur pij purgatiores.
- Tempus afflictionis non sit diuturnum, sed breue: tempus enim afflictionis decem dierum esse dicitur: decimus numerus multitudinis est. Multæ enim sunt tribulationes iustorum. Quia tamen dies, non menses, non annos ponit, non diuturna fore mala prædicit, quia semper futura sunt interualla & respirationes.
- Afflicti tandem coronentur vita æterna.
- Afflicti perseuerantes in fide liberantur à morte secunda, id est, damnatione perpetua. Migrant igitur fideles à morte prima, id est, naturali, in vitam secundam, id est, æternam. Quid ergo garriunt Monachi de Purgatorio?

Expositio tertia Epistolæ, scripta ad Pergamensem Ecclesiam, ex cap. 2.

Epistolae tertiæ partes.

Cui mittatur hæc Epistola: Pastori videlicet Pergamensi, quisquis ille fuit, vniuersæq; Ecclesiæ.

Quis sit huius Epistolæ author: is videlicet qui habet acutum gladium in ore, id est, qui spiritu & verbo suo consolatur & conseruat credentes: territat autem & conficit incredulos. Rectè hoc principium accommodatur causæ, quæ sequitur de cruce fidelium, & de Nicolaitis pellendis.

Laudat quædam in hac Ecclesia: quòd
- Etsi sit in loco lubrico & infœlici, vbi sedem suam habet Satanas, perstiterit tamen hactenus, neque potuerit in ipsa sede Satanæ expugnari. Pergami regnabat gentilismus, mendacium, idololatria, superstitio, bonorum oppressio & cædes: vnde verè dicitur sedes Diaboli.
- Fortiter retineant nomen Christi, id est, inhæreant Christo.
- Fidem veram non negauerit, turbulentis etiam temporibus: negatur verò fides
  - Silentio, cùm tacemus, cùm maximè pro gloria Dei loquendum erat.
  - Dissimulatione, vt Petrus ait: Nescio quid dicas, cùm tamen sciret quid diceretur.
  - Cùm apertis verbis negatur Christus.
  - Figurata cōfessione, cùm aliquid quidē cōfitemur, sed obscurè.
  - Cùm corde quidem simulamus nos veram doctrinam seruare, factis autem negamus, inclinantes nos ante idola, &c.

Vituperat, Adhortatur, & seq. Vide literam A.

A. Vituperat in hac Ecclesia, quòd habeat tenentes doctrinam Nicolaitarum, quam doctrinam Balaam appellat idque per similitudinem. Balaam enim accepit precium iniquitatis, vt dicit Petrus, & illis voluit maledicere, quibus benedixit Dominus. Deinde suggerit Regi consilium pestilentissimum, per quod populum Dei illicere potuit in certam perniciem, in esu idolothytorum & in fornicationem fœdissimam. Doctrina ergo Balaamitica erit omnis quæ spe lucri contra verbum Dei, & conscientiam prolata, idololatriam, esum immundum & fornicationem docet, aut non redarguit, sed suadet potius. Tales erant & Nicolaitæ, tales sunt & nostri Papistæ. Tales verò odit Dominus & condemnat.

Adhortatur ad resipiscentiam.
- Consilio: Resipisce, inquit. Resipuit autem si non dissimulauit Nicolaismum, sed oppugnauit constanter. Resipuerunt Nicolaitæ si deposita fœditate, puritatem fidei & vitæ resumpserunt.
- Minis: dicit enim,
  - Veniam tibi citò, de quo genere locutionis superiùs.
  - Pugnabo cum illis, id est, impœnitentibus videlicet & Nicolaitis, gladio oris mei. Vt enim annunciat verbum, ita executio diuinæ potentiæ & vltionis sequitur, ac sicut verbo minatur, facit.
- Promissionibus: promittit enim vincentibus
  - Manna absconditum, id est, semetipsum impertit victoribus, se dat ipsis in cibum, Ioan. 6.
  - Calculum album, id est, absolutionem & remissionem peccatorum omnium. Allusit ad veterem ritum in iudicijs, in quibus damnabant atris, absoluebant candidis calculis. ¶ Ouid. 15. Metam. Mos erat antiquis niueis, atrisq; lapillis, His damnare reos, illis absoluere culpa.
  - Nomen nouum se in lapillum inscriptum, & quidem quod nemo sciat nisi qui illo fruitur: hoc nomen est electio, gloria & communio gaudij cœlestis. Victoribus cedebant nomina illustria, nobis cedit victoribus gloria cœlestis, ea est tam immensa vt sentiendo tantùm non loquendo intelligatur.

Expositio, Epistolæ quartæ ad Thyatirensem Ecclesiam cap. 2.

EPISTOLAE quartæ partes septem.
- Cui sit inscripta Epistola: Episcopo vel Pastori Thyatirensi ac toti Ecclesiæ.
- Quis sit author huius Epistolæ: Christus videlicet Dominus, qui hic duobus epithetis ornatur: Quòd
  - Habet oculos ignem & flammam euomentes. Nihil enim fugit Christi Iudicis conscientiam & iudicium: inspicit renes & corda: illuminat alios, alios igni sempiterno concremat.
  - Purgatissimos habet pedes, calcat omnem impietatem, absumit hæreticam prauitatem & vitam impuram.
- Laudat quædam in hac Ecclesia:
  - Charitatem Dei & proximi.
  - Ministerium, scilicet in egenos & pauperes, & ministerium verbi, quo docendo, exhortando, consolando, repræhendendo plurimùm promouemus Dei gloriam & animarum salutem.
  - Fidem, id est, fidelitatem, quæ omnia alia dona ornat, & vtilia vel fructuosa reddit.
  - Patientiam, quæ etiam necessaria virtus est, præsertim in afflictionibus.
  - Quòd plura & maiora indies faciebant.
- Vituperat quædam in hac Ecclesia: quòd
  - Permittat docere Iezabelem, nec prohibeat seueriori disciplina. Neque enim satis est habere multa & egregia dona, nisi & hæreses prohibeantur. Iezabelis exemplo confutat Cataphrygas vel Montanistas, qui nouum Paracletum iactabant & nouas reuelationes, quasi non omnia plenè sint ab Apostolis tradita, sed reuelanda ipsis adhuc multa esse relicta. Cófutat & fœminas quasdam prophetissas, id est, hæreticas: vt enim Iezabel religionem Baalaticam intulit, extructo Templo magnifico in Samaria, & instituit Sacerdotū collegia. Hoc ipso verò fornicationem, omnemq; impuritatem auxit. Ita erant quædam fœminæ in hac Ecclesia, quæ sibi magisterium in religione & in Ecclesia vendicabant, arrogantes sibi spiritum propheticum, ex quo docebant quidem, sed corruptam doctrinam, scortabantur & idolis participabant.
  - Iezabel tempus illi ad emendandum concessum non agnouerit.
- Minatur
  - Iezabeli, quòd hanc in lectum conijciat, id est, morbis animæ & corporis torqueat. Per Iezabelem authores hæreseos intelligit.
  - Coeuntibus cum Iezabele, id est, falsæ doctrinæ adhærentibus. His intentat maximas afflictiones, corporis & animæ præsentis & futuræ vitæ.
  - Liberis ex hac fornicatione natis, quibus mortem interminatur. Liberi hæreticorum sunt, qui hæreses iam eneruatas veluti de nouo resuscitant, ac restituunt.
- Quòd Ecclesiæ doctrina, & seq. Vide literam A.

A.
Quod Ecclesiæ doctrina plenè sit tradita, vt nihil opus sit nouis reuelationibus. Hic disce
- Quibus potissimùm hæc dicantur: videlicet simplicibus, qui mirificarum artium Satanæ inscij quid maximè sequantur ignorant, dum Pseudoprophetæ, & ipsi iactent Spiritum Sanctum, & virtutibus splendeant, & magna constantia sua dogmata pro veris vendicent.
- Quid onus sit. Accipitur enim pro doctrina de rebus grauibus & ponderosis. Asserit Dominus se doctrinæ Euangelicæ nil amplius adiecturum. Perpetua igitur hæc est doctrina immutabilis, & ideò retinenda ab omnibus pertinacissimè.
- Quousq; hæc Euangelij doctrina retinenda: Ad Iudicium vsq; ne quis fingeret interea Spiritui Sancto visum esse aliud: Propterea, inquit, donec veniam.

Quid promittat Dominus custodientibus opera sua id est, doctrinam, & fidem veram:
- Victoriam contra omnes impios, quæ promissio plenè implebitur in vltimo Iudicio.
- Stellam matutinam, id est, vberiorem sui cognitionem, vel clarificationem illustrissimam.

Expositio quintæ Epistolæ ad Ecclesiam Sardensem, quæ est cap. 3.

QVINTAE Epistolæ partes septem.

- Cui nam dicata sit Epistola: Episcopo nimirum Ecclesiæ Sardensis, ac toti Ecclesiæ.
- Quis sit author huius Epistolæ: Dominus videlicet Iesus, qui ornatur duobus epithetis: Dicitur habere
  - Septem Dei spiritus: id est, septiformem spiritum: multiplicia videlicet dona Spiritus.
  - In dextra sua septem stellas, id est, totam omnium concionatorum multitudinem, seruans eos atque instruens.
- Vituperat quosdam in hac Ecclesia, qui sibi videbantur viuere, cùm tamen mortui essent. Mortui sunt qui non habent in ipsis viuentem Christum per fidem & spiritum, & qui non edunt opera viua.
- Officium Episcoporum præscribitur. Quid hîc agere debeant:
  - Vigilare iubet super gregem suum.
  - Confirmare iubet quod reliquium erat gregis, nondum quidem perditum, sed perditioni proximum: & addit rationem quare gregem confirmare debeant Pastores. Ne videlicet in mortem labatur.
- Quod sit officium plebis vt curari possit:
  - Recordari verborum Domini quomodo ea acceperit.
  - Seruare & retinere verba Dei.
  - Resipiscere, quod versatur in opere, vt animo & corpore auertamur à malo, & conuertamur ad Deum. Addit verò minas, si non vigilauerimus aut non resipuerimus.
- Laudat quosdam, paucos tamen, quos nominat: id est, Illustres personas appellat. Illustres autem fidei integritate & sanctimonia vitæ. Laudat autem, quòd non inquinauerint vestimenta sua. Vestis Christus est. Polluunt hanc vestem qui nec fide, nec sanctimonia vitæ respondent professioni.
- Quid Dominus promittat vincentibus:
  - Vestimenta alba, id est, clarificationem, & consortium cum Deo gloriosum.
  - Nomen indelebile, id est, æternum. Non delebo, inquit, nomen eius de Libro vitæ. Inscripti sunt albo cœlesti omnes credentes & perseuerantes. Quicunque autem non credunt, aut in fide non perseuerant, vel non sunt scripti in Libro vitæ, vel delentur rursum ex Libro vitæ: id est, etsi videbantur inscripti, tamen re vera non sunt in populo Dei.
  - Quod Filius credentes ac viuentes confiteatur coram Patre cœlesti, ac coram Angelis eius.

Expositio sextæ Epistolæ ad Philadelphienses, Cap. 3.

SEXTAE Epistolæ partes.

- Cui dicata sit hæc Epistola: Pastori videlicet Philadelphiensi, atque adeò toti Ecclesiæ.
- Quis sit author Epistolæ: videlicet Dominus Iesus, cui tres tribuuntur. Quod
  - Sanctus sit, & Sanctus sanctorum.
  - Verax sit: quia æternus & fidelis, sibi semper constans.
  - Habeat clauem Dauid, qua purgatos introducit in regnum cœlorum, impuros deijcit ad tartara. Hic ostium aperit fidelibus, vt liceat fidelibus ingredi, infidelibus verò non liceat viam hanc præcludere. Manus enim Christi non potentia hominum (quæ exigua est) apertas retinet fores.
- Commẽdat in hac Ecclesia quòd
  - Seruet sermonem suum.
  - Non negauerit nomen Christi.
- De præmijs piorũ in vera Fide persistẽtium. Quòd
  - Hostes Ecclesiæ amici futuri sint.
  - Et hostes cognoscent Ecclesiam Deo charam esse.
  - Deus seruet eos tempore tentationis.
  - Dominus citò adsit Ecclesiæ suæ, ac defendat eam.
  - Faciat pios gloria & decore illustres, seu columnas in Templo Dei. Vbi alludit ad morem Græcorũ ac Romanorum, qui bene meritis de Rep. decernebãt statuas, quibus etiã virtutes inscribebant eorum, quorum gratiã, vel in curia, vel foro, vel locis alijs exigebantur. Columna de qua nunc loquitur, in Templo Dei collocabatur, id est, in ipso cœlo, & sancta in vrbe modò Ecclesia. Significatur & perpetuitas gloriæ bonorum, cùm adijcit, Et foras non egredietur ampliùs. Nunquam enim è cœtu Sanctorum eijcientur fideles. Hæc columna non constringetur. Tria autem potissimũm inscibentur columnæ: id est, Sanctis: primum nomen Dei, id est, appellantur nomine Dei, vel Filij Dei dicuntur: secundum, nomen ciuitatis Dei, id est, Ecclesiæ, quæ hîc tribus ornatur epithetis: vocatur enim ciuitas Dei, noua Hierusalem, & quæ non ab hominibus, sed cœlitùs extructa est: tertium, nomen nouum Christi, quo innouatio ac clarificatio significatur.

Septimæ Epistolæ expositio ad Ecclesiam Laodicenam. Cap. 3.

SEPTIMAE Epistolæ partes.

- Cui inscripta sit Epistola: videlicet Laodiceno Episcopo, atque toti Ecclesiæ.
- Quis sit author Epistolæ: Christus Dominus, qui hîc describitur
  - Quòd sit Amen, id est, fidus seu constans.
  - Principium creaturæ Dei, id est, conseruator humanæ naturæ.
- Vituperat Ecclesiã, quòd
  - Neque frigidus sit, nec feruidus, sed tepidus. Frigidus est, qui mundum ex professo sequitur, erroribus gentilitijs inuolutus. Calidus, cuius pectus incensum à Spiritu Sancto mundũ contemnit, veram religionem amat. Tepidus, qui nec mundum, errores, atque peccata deseruit, neque planè Christum, veritatem, ac iustitiam recipit, sed partim mundo seruit, partim Christo.
  - Arbitrantur se esse sapientiã ac iustitiã plenos, cùm tamen miseri sint, pauperes, in bonis operibus nudi, id est, carentes veste nuptiali, cæci in veritatis cognitione.
- Pœna tepidorum: Euomam, inquit, te ex ore meo. Qua locutione & fastidium significatur, quod Deus cõcepit ex tepiditate, & reiectio qua punit eandem.
- Salubre Domini cõsilium, quod seu medicamentum opponit morbis, quos superiùs aperuit.
  - Vt emat aurum ignitum, id est, verbum Dei, vt locuples sit.
  - Vestimenta alba emat. Vestis fidelium Christus, est iusticia & innocentia ipsorum.
  - Vt emat collyrium, quod est pharmacum oculorum contra cæcitatem. Collyrium mandatum Domini est, teste Dauide.
- Quid Dominus cùm castigat velit: nempe, vt resipiscamus.
- Dei benignitas in recipiendis peccatoribus: stat enim ad ostium cordis, & pulsat: stat, id est, inuigilat saluti nostræ: pulsat autem dum excitat verbo suo, rursus ostentis & prodigijs, varijs item casibus & impulsionibus, nostrum verò erit aperire Christo.
- Quid Dominus intromittentibus ac vincentibus promittat.
  - Ingrediar, inquit, ad illum: id est, inhabitabo corda fidelium.
  - Regnum cœleste, ac Cœnam illam iucundissimam.

Secunda Visio Ioanni exhibita, quæ à cap. 4. ad 8. vſque extenditur, & habet quatuor partes præcipuas.

De prima parte Viſionis ſecundæ, ex cap. 4.

Præparatio Ioannis ad hanc viſionem. Cùm enim vidiſſet apertum in cœlo patere oſtium, audit ſimul: Aſcende huc. Iubet enim Chriſtus aſcendere Ioannem in ſupercœleſtia: non corpore quidem, ſed animo. Subleuanda enim mens noſtra in contemplatione cœleſtium: purganda, quantum fieri poteſt, à terrenis affectibus. Iam etiam texitur argumentum dicendorum: Oſtendam tibi quæ oportet fieri poſt hæc. poſt typum enim Dei fata Eccleſiæ exponuntur per ſeptem ſigilla & ſeptem tubas.

Loci duo.

Typus, ſeu deſcriptio Dei, omnia iuſtè operantis. Deſcribitur autem

A maieſtate imperatoria, ſeu adminiſtratione rerum iuſta. Hoc enim Thronus hic ſignificat: & quia Thronus non eſt in terris, ſed videtur in cœlo, cogitabimus prouidentiam adminiſtrationemq; iudiciorum Dei eſſe cœleſtem, integram, ſanctiſſimam. In hoc Throno eſt ſedens. Sedens, inquam, non iacens, aut ſtans. Nam Iudex vniuerſorum tranquillo eſt animo: nec vllis hominum inſtar, affectibus perturbatur. Sedenti nullum nomen indit, quia Deus ſua natura definiri non poteſt, inuiſibilis & immenſus.

A perpetuitate, ſeu æternitate Dei: hoc enim viriditas lapidis Iaſpidis ſignificat.

A charitate, quam color igneus Sardij deſignat: Deus enim ignis conſumens eſt, adeoque ipſa charitas.

A gratia: Iris enim ſymbolum eſt perpetuæ gratiæ fœderisq; pacti à diluuio. Viret illud fœdus, & valet ſemper. Iugis eſt Dei bonitas erga homines.

Ab ornatu populi ſui, qui vigintiquatuor Seniorum nomine deſignatur. Duodecim ex his Seniores veterem ante natum Chriſtum Eccleſiam ſignificant, per duodecim Patriarchas adumbratam. Duodecim verò nouam Chriſtianam Eccleſiam, à duodecim Apoſtolis plantatam & exortam. Significatur ergo tota Sanctorum vniuerſitas in cœlo collecta, & triumphans cum Chriſto. Hæc albis veſtita eſt, purgata vtique per Chriſtum, puraque ab omni corruptela. Coronata etiam, quia vicit, & iam regnat in æterna gloria.

A proceſſione Sancti Spiritus, ſeu diſtinctione perſonarum. Ex Throno enim procedebant fulgura. In Throno eſt ſedens & Agnus: id eſt, Pater & Filius, ex vtroque procedit & Spiritus Sanctus. Nam per interpretationem mox ſequitur. Quæ ſunt ſeptem Spiritus Dei. Fulgura enim, tonitrua, & alia, ſunt ſymbola Spiritus ſancti. Qui alibi per ignem & aquam, & ventum, & per linguas igneas legitur fuiſſe adumbratus. Operatio autem Spiritus his typis proponitur. Fulgurat enim, quando obſequentes illuminat, rebelles territat minis grauiſſimis. Tonat cùm inuehitur in ſceleratiſſimum mundum. Deinde edit voces ſalutiferas doctrinæ, adhortationis, conſolationis per Miniſtros verbi. Septem lampades ardentes, illuſtrem Spiritus gratiam deſignant.

Ab immenſa potentia. Id ſignificat mare ante Thronum vitreum poſitum eſſe. Vitreum enim mare mundum fragilem ſignificat, qui ſubiectus eſt Deo, & velut in conſpectu eius. Quæcunque verò fiunt in mundo, mira varietate ea omnia, ſeu in ſpeculo, relucent ante Thronum, vt illa omnia ſeu in Chriſtallo videat Deus. Potentiam Dei deſignat, quum dicit: In medio & in circuitu Throni quatuor animalia fuiſſe. Per illa enim animantia omnis Dei creatura intelligitur, per quatuor mundi plagas diſperſa. Singula ſuas habuêre facies & corpora: alas ſenas plenas intus oculis, ſicut & corpora ipſorum plena fuerunt oculis. Significari his videntur omnes creaturæ viſibiles, inuiſibiles, rationales & irrationales, & quidem excellentiores. Humana facies ſapientiam & prudentiam ſignificat, vt & oculi proſpicientiam, vigilantiam, & agendi fœlicitatem. Leonina facies robur & fortitudinem ſignificat. Bouis aut vituli aſpectus, tolerantiam, laborem. Aquila & alæ ſenæ, pernicitatem. Quas enim delegerit creaturas, vt aliquid per ipſas exequatur, eas efficit efficaces, quaſuis inſtruens pro ſua ratione & conditione, ne quid eis deſit, prudentiæ, roboris, tolerantiæ, celeritatis.

A gloria, quæ Deo debetur. Hanc tribuunt illi
- Animalia quatuor, id eſt, omnes creaturæ.
- Vigintiquatuor Seniores, id eſt, Eccleſia Dei triumphans.

De secunda parte Visionis secunda, ex cap. 5.

Loci tres.

De prouidentia Dei, iustè omnia gubernātis. Vbi docet

Deum ipsum iudicandi, præsidendi, dominandiq; potestatem habere : id significat Deum sedere in Throno.

Omnia consilia Dei, omnia iudicia, omnia eius opera ex Libro, veluti ex fonte, id est, determinatione quadam prodire. Hic liber nō iacet in Throno, vel sub Throno, sed est in dextera Dei manu. Qua re significatur operatiua Dei virtus & potentissima. Deinde intus & foris liber scriptus est. Prouidentia enim Dei continentur bona, pariter & mala, fœlicia & infœlicia, aperta & arcana. Postremó signatus est Liber septem sigillis : iudicia enim & opera Dei firma sunt, vera, iusta, & irrefragabilia. Sigilla enim certitudinis & iustitiæ testimonia sunt. Deinde vt sigillis muniuntur arcana, ne pateant cuiuis, sed illis duntaxat, quibus destinata sunt : ita iudicia & opera Dei plurima occulta sunt, nec omnibus patent.

Neminem posse diuina aperire consilia & iudicia : neminem posse administrare ea, quæ in mundo operatur Deus, nisi vnum Christum : administrandi ergo potestas adimitur alijs omnibus. Hoc est quòd dicit, Neminem dignum esse, qui aperiat Librum & sigilla eius. Apertio enim Libri & sigillorum resignatio, reuelatio iudiciorum Dei est, declaratioque consiliorum eius occultissimorum : denique operatio, administratio, & executio voluntatis eius iustissima sanctissimaque. Nemo mortalium hunc Librum aperit : quia nemo dispensationi tantæ par est. Nemo legit, id est, intelligit plenè Dei iudicia, nisi Filius, & cui ipse reuelauerit. Nemo inspicit, id est, nemo opera Dei, & iudicia Dei intueri potest, vt non offendatur, nisi Christi sit imbutus Spiritu. Hoc verò non malè habet, sicut & Ioannes plorat, & gemit, quòd videret magnum esse momentum in apertione, lectione, & resignatione Libri huius Domini.

Descriptio Christi elegātissima. Quòd

Christus sit gubernator vniuersi, Princeps inuictissimus. Vicit autem moriendo, & ita emersit in summum fastigium. Hinc Leo de Tribu Iuda appellatur. Alludit ad vaticinium Iacob. Genes. 49.

Radix Dauid sit, allusum ad illud Esa. 11. Tunc prodibit surculus, &c. Certè Maria filia Dauidis est, ex qua genitus est Christus.

Sit in medio Throni, in medio quatuor animalium, vigintiquatuor Seniorum : eximitur ergo ex numero creaturarum : maior enim est istis, nimirum consubstantialis Patri.

Sit Agnus. Agnus est innocentiæ symbolum, & sacrificijs ab initio destinatum. Christus ergo liberator noster est, expiatio, reconciliatio, innocentia, sanctificatio, iustificatio, & salus sempiterna. Hic Agnus stat, quod iamiam obeat munus Regis Catholici, & Sacerdotis, expeditus ad seruandum. Et apparet velut occisus, quòd in morte non manserit.

Habeat cornua septem. Quod significat Christum omnigena potestate præditum esse, diuina, humana, pontificia, regia, &c.

Oculos septem habeat : hos exponit, qui sunt septem Spiritus, de quo suprà.

Hymnus Christo dictus,

A quatuor animalibus.

A vigintiquatuor Senioribus. Hi Citharas & Phialas aureas habent, quæ sunt laudes & gratiarum actiones Ecclesiæ. Prædicant autem primùm Christi maiestatem, quòd solus in vniuersitate rerum inuentus sit, qui in omnia teneat imperium, quòd solus sit mysteriorum diuinorum reuelator, & omnium gubernator. Hoc enim est accipere Librum, & aperire. Deinde prædicant virtutem, seu effectum mortis Christi.

Ab Angelis. Septem Christo tribuunt:

- Virtutem vtique diuinam.
- Diuitias: est enim Thesaurus omnium bonorum.
- Sapientiam : Filius enim Patris est sapientia.
- Fortitudinem : exequendi scilicet ea, quæ sapientissimè instituit, fortitudinem denique suos asserendi, & aduersarios compescendi.
- Honorem.
- Gloriam.
- Benedictionem, id est, laudem, & gratiarum actionem.

Ab omnibus creaturis. Atq; hic prosopopeia Prophetis vsitata est : Laudate, inquit Dauid, Sol & Luna, &c. Volunt autē Prophetæ his prosopopeis homines excitare ad laudē Dei. Creaturæ Christum laudare dicuntur, cùm nihil horum negligunt, ad quæ sunt conditæ, sed præstò sunt suo loco, ordine, tempore, & quidem pulcherrimè suum officium faciunt.

De tertia parte Visionis secundæ, ex cap. 6. de apertione scilicet sex Sigillorum.

Loci sex. De

Verbi Dei cursu fœlici, qui ex apertione primi sigilli progreditur. Hic cursus per equum album significatur. Albus enim color consecratus est innocentiæ, puritati, victoriæ, & fœlicitati. Insidet autem Eques, qui agit equum & arcum habet. Christus enim fœlicitat cursum Euangelij. Hic ferit hostes, atq; in suam redigit potestatem. Corona eius regnum & imperium significat.

Cursu bellorum cruento contra inobsequentes, qui ex apertione sigilli secundi procedit. Hic significatur per equum rufum, vt consequentia ostendunt. Qui insidet equo, pater mendaciorum est, qui ab initio homicida fuit. Hic fecem hominum sibi colligit ad seditiones ciuiles, clades, incendia, &c. Vides vnde sit turbatio pacis, quam Deus odit. Audiuimus autem illi datum, iusto videlicet Dei iudicio esse permissum, vt omnem pacem turbet. Id verò Deus iustissimas ob causas permittit. Noluerunt enim isti pacem, sibi per Euangelistas oblatam amplecti: digni ergo erant qui implicarentur bellis.

Infœlici & tristi cursu famis, & inopiæ rerum omnium, qui per equum nigrum cum suo illo sessore, trutinam in manu sua perferente, significatur. Dignum est enim, vt qui nullo in precio habent panem vitæ, cogantur maximo precio parare res necessarias. Imò non inueniant, sed fame contabescant. Scimus atrum colorem consecratum esse luctui & tristitiæ, sed & absumptis inedia carne & sanguine, cuti atrorem squaloremque inducit. Id verò equo nigro significari consequentia demonstrant. Consolatur autem pios, cùm innuit Deum propter electos necessaria vsibus humanis seruare.

Cursu pestis & omnium morborum, denique ipsius mortis, quam sequitur infernus: id est, fouea vel sepulchrum. Sessor ergo disertè vocatur Mors. Has imagines ipse Dominus per Ioannem exponit, cum dicit: Et data est illi potestas interficiendi, gladio, fame, morte, &c. & quidem super tertiam partem. Scit enim Dominus quos puniat, & quos benignè foueat.

Persecutione fidelium, & statu Martyrum in alio seculo: idque ex apertione quinti sigilli progreditur. Hic docemur
- Animas à corporibus separatas immortales esse.
- Martyres causam magis facere, quàm supplicium. Nam & hic causa ostenditur, propter quam sint interfecti Martyres: Propter verbum Dei, &c.
- Vbi sit locus animarum interfectorum propter verbum Dei: Subter altare, quod capite 8. ponitur in cœlo. Sunt ergo in cœlo ante thronum Dei animæ omnium Sanctorum. Nō caret mysterio quòd ponuntur subter Altare, velut sub vmbraculo. Christi enim qui per Altare significatur, beneficio, animabus bene fit. Nam propter Christi expiationem & interuentum recipimur in gaudia cœlestia.
- Quid agāt Sancti sub Ara: Clamāt, & quidē voce magna. Nemo verò imaginabitur animas beatorum in cœlis queri & dolore, accusare & perturbari. Affinguntur hæc in alium finem, vt inde colligamus Deum non obliuisci suorum, videre & querere, suorum iniurias & neces. Ergo per prosopopeiam hæc sanctorum dicta intelligimus, quia intelligimus Martyres Deo esse curæ, quia sanctus est & verax.
- Animarum statum in cœlis fœlicissimum esse. Id significatur per stolas candidas. Singulæ animæ sua accipiunt præmia.
- Animas Sanctorum in cœlis in quiete versari per omnia.
- Persecutionis tempus breue esse.
- Numerum electorum complendum esse.

Corruptela doctrinæ quæ ex apertione sexti sigilli progreditur. Hîc disce, quid sit
- Terræmotus. Maximas enim turbas significat, eò quòd nouum doctrinæ genus inducendum sit in orbem.
- Solem obscurari aut nigrescere. Est enim aliam doctrinam constitui, aliam iusticiam, intercessionem, salutem & vitam, quàm Christi sit. Christus in seipso non obscuratur, vt neque Euangelij veritas, sed vt ex atrore nubium obiectarum lux Solis nigrescit: ita ex hominum traditionibus obscuritas oritur in religionis negotio. Hominum doctrinam qui recipiunt, videntur sibi cilicinam induxisse vestem, quæ pungit, & vrit, & molestat perpetuò. Nulla enim tranquillitas & refectio est ex corruptela doctrinæ, sed duntaxat molestia.
- Lunam esse vt sanguinem. Est enim in Ecclesia quæ per Lunam significantur oriri, grandia scelera, idololatriam, & in primis Dei falsum cultum, quæ per sanguinē significantur, Leuit. 17. Dū Sol obtenebratus est, non potest nō obscurissima esse Luna.
- Stellas decidere. Est enim Doctores Ecclesiarum, qui stellæ appellantur, deficere à doctrina cœlesti, & additur icon ficuum.
- Cœlum recedere, & seq. Vide literam A.

A. Cœlum recedere. Est enim Ecclesiam, quæ per regnum significatur, contrahere se in terris, ac in fine seculi latere Ecclesiam: non vera putabitur Ecclesia, quæ vera est. Literæ & verba non expunguntur ex Libro, sed non videntur quando complicatur: ita fit & de Ecclesia.

Montes moueri. Est enim fide firmos deficere.

Se abscondere in spelunca. Est salutem quærere in Monachatu, &c.

Dicere montibus. Cadite super nos. His enim verbis conscientia afflictissima significatur, nihil habens consolationis cùm videt iram Agni.

De quarta parte Visionis secunda, ex cap. 7.

Loci tres.

Prohibitio lectionis sacræ ac prædicationis. Hic disce,

- Angelos quatuor significare malos Ministros per totum orbem dispersos, à malo Angelo inspiratos, qui liberum verbi Dei cursum impediunt.
- Quatuor ventos significare Doctores veros vbique dispersos, qui doctrina Euangelij perflant auditores.
- Per terram, mare, arbores, significari omnes vbicunque existentes.

Signatam esse turbam innumerã in medio corruptelæ, ne periret. Hic disce,

- Quis sit Angelus ascendens ab ortu Solis. Est enim Christus Sol ille iusticiæ, exoriens in tenebris illis doctrinæ falsæ.
- Quid sit sigillum viuentis Dei. Est enim spiritus vitæ, & fides viuifica, Ephes. 1.
- Magnam esse seruatorum in Antichristianismo, & primò quidem Iudæorum per singulas tribus colligit duodecim millia: deinde per multiplicationem centena quadragintaquatuor millia: Gentium autem innumerabilem turbam. Seruatos autem esse ex mera gratia per Christum, non ex superstitione Papistica.
- Quinam seruentur, seu signentur. Serui videlicet Dei, dolentes propter abominationem nefandam.
- Qua sui parte signentur: videlicet in frontibus. Frons enim gerit mentis vel animi typum: spiritus enim ac fides inditur fidelium animis, Significanter verò nota frõti, non occipiti aut dorso imprimitur. Qui enim verbo & Spiritu illuminati fidem habent, confitentur ipsam, nec dissimulant. Quòd igitur prohibet Christus Satanæ ministris ne noceant hominibus, priusquam obsignatæ sint mentes electorum, docet, vtcunque prohibeatur veritas, multorum tamen animos ita muniendos verbo Dei, diuinaque inspiratione, vt seductio nullum locum habeat, vel in finem inhærere non possit.
- Cui Sancti salutem suam ferant acceptam: videlicet Deo & Agno, id est, Christo. Dicunt enim, Salus ei, qui sedet super Thronum, &c. Confirmant hæc omnes in cœlo Angeli, ne quid desit quod ad certum & magnificum pertinet testimoniũ. Iidem verò Sancti stant ante Thronum, & in conspectu Agni: prima enim in beatitudine fœlicitas, est videre Deum sicut est. Sunt in albis, id est, glorificati, & habent palmas, quod victoriæ signum est.
- Quinã sint albis induti, id est, beati ac noua luce induti. Qui
  - Emerserunt tandem ex tribulatione magna.
  - Stolas suas lauerunt in sanguine Filij Dei: id est, purgati sunt fide in Christum.

De vera beatitudine. Vbi docet

- Sanctos frui Deiipsius aspectu: hoc est, esse ante Thronum Dei.
- Lætari & iubilare Sanctos, laudare Deum: hoc est, seruire Deo in Templo eius, & quidẽ die ac nocte: quod significat seruitutẽ Dei, ac gaudiũ sempiternum fore.
- Tolli ab omnibus beatis quicquid est infirmitatis ac miseriæ. Hoc est quod dicit, non esurient ampliùs, &c. itẽ, Sol non cadit super eos: id est, nullis afficiuntur molestijs, nullis exercentur laboribus.
- Quæ sit causa tantæ fœlicitatis. Christus Agnus, id est, Mediator & Redemptor, qui pascet Sanctos, & deducet ad fontes aquæ viuæ: id est, viuificabit in æternum, & conseruabit in illa fœlicitate omnes Sanctos.

Tertia Visio, quæ à cap. 8. pertingit ad caput vsque 12. & habet septem Angelos septem tubis clangentes, & quinque partes præcipuas.

De prima parte Visionis tertiæ, ex cap. 8.

Loci quinque.

Remedium contra omnis generis sectas, seditiones & turbas: confugiendum videlicet esse ad Christum, generis humani Redemptorē. Hic disce,

- Altare aureum, sicut & Angelum, significare Christum.
- Angelum stare ante Altare, significare Sacerdotium Christi.
- Quid Christus faciat ad dexteram Patris: Primùm enim agit causam Ecclesiæ suæ coram Deo, & patrocinatur fidelibus: deinde intercedit pro nobis, & preces nostras Deo Patri offert: hoc enim per incensa significatur.
- Preces Sanctorum Deo gratas esse per Christum: Hoc enim est ascendere fumum incensorum.
- Per Christi orationem, seu interuentum impetrari nobis Spiritum, qui hîc ignis appellatur.
- Quis effectus sit huius Ignis, id est, Spiritus: Facta enim sunt tonitrua, & voces, &c. Per Spiritum veluti tonitruis perterrefacta sunt sceleratorum corda. Vocibus Euangelicis sanata sunt peccatorum vulnera. Ex Euangelij prædicatione mira omnium gentium secuta est commotio.

De prima tuba: id est, pugna inter Hæreticos & veros Ministros. Hanc primus Dei Angelus denunciat, vt fideles admoniti, à pernicie illa sibi diligenter caueant. Hic disce,

- Quid grando significet: Est enim doctrina corrupta & perniciosa.
- Quid sanguis: Est enim idololatria, & falsus Dei cultus.
- Quid ignis: Periculum ex falsa doctrina ortum significat.
- Seduci & perdi bonam partem hominum instabilium: Hoc enim est tertiam partem arborum concremari.
- Afflictos & exercitatos variè esse erroribus & turbis animos fidelium, sed tamen vt aurum igni probatum, non absumptos esse penitùs. Hoc est quod dicit. Omne fœnum viride combustum esse.
- Talem pugnam fuisse Nazaræorum vel Mimeorum, ac Hebionitarum contendentium, non sola fide Christi, sed per Legem cōtingere iusticiam: pugnatum est acriter à nostris, Paulo & reliquis Apostolis contra hanc perniciosam doctrinam.

De secūda tuba, quę significat noua iterū exoriri bella & hæreses. Hic disce,

- Mare mundum significare.
- Montem, hæresim instructissimam, quæ videatur inuincibilis. Hic mons est velut ardens. Multi enim hæretici videntur ardere Spiritu diuino, & toti nihil aliud esse quàm Spiritus: omnia ipsorum esse Spiritus oracula. Tales erant Manichæi, Montanistæ.
- Quàm magnus hæresium sit profectus: nam tertia pars maris facta est sanguis. Perijt & magna pars creaturarū in mari: perierunt & naues multæ: Nauiclatores nimirum, & insulares homines corrupti istis hæresibus.

De tertia Tuba, quæ noua prælia cecinit. Hic disce,

- Quid sit Stella magna: Significat enim insignem virum, qui defecit, id est, à vera fide in hæresim.
- Hanc Stellam Absynthium vocari propter amaritudinem doctrinæ.
- Scripturam sacram corrumpi falsa doctrina: hoc est quod dicit, Cecidisse Stellam in tertiam partem fluminum, &c. Scriptura enim per fontes & flammam designatur. Vel hîc de effectu hæresis loquitur, vt per aquas populos intelligamus.
- Hæc completa esse in Paulo Samosateno & Ario. Inflammauit ex facula orbem. Negauit pestis illa diuinitatem Christi: adeoq; totum Euangelium nobis amarissimum fecit.

De quarta Tuba. Hic disce,

- Quid sit obscurari tertiam partem Solis: est enim doctrinam Pelagianam gratiam Christi negare, meritumq; Christi merito humano conculcare.
- Tertiam partem Lunæ percuti: Est Ecclesiam obscurari.
- Tertiam partem Stellarum obscurari: Est Ecclesiam vera confessione destitui, aut Ministros verbi non rectè docere.
- Nec diem nec noctem tertia sui parte lucere: Esse, nec gratiam plenè ex Pelagiano dogmate agnosci posse, nec peccatum.

De secunda parte Visionis tertiæ, ex cap. 9. de aperto Puteo Abyssi, & Locustis.

De quinta Tuba, quę comprehendit atrocissimum certamen, quod Papa suis erroribus excitauit. Hîc dicendum iuxta seriem cõtextus de

- Origine mali huius Papistici.
  - Stella de cœlo cecidit, quæ hic Episcopum Romanum significat. Cecidit autem de cœlo, quando ad Imperium & dominatum aspirare cœpit.
  - Clauis Putei Abyssi datur huic Stellæ, vel Angelo, vt infrà nominatur. Hæc clauis est corrupta doctrina, per quam in Abyssum, ad Inferos videlicet, deducentur homines. Datur autem ei à Principe tenebrarum.
  - Hic Angelus claue Puteum Abyssi, id est, inferos, non cœlum, aperit.
- Progressu huius mali.
  - Ex Inferis ascendit, vel excitatur fumus. Fumus significat opiniones noxias infernalesq;. Nocet oculis fumus, nec finit liquidò cernere verum: ita & Papæ doctrina. Significat autem Papistica dogmata admodum esse densa & multiplicia cùm dicit: Sicut fumus fornacis magnæ.
  - Doctrinâ Papisticâ obscuratur Sol & Aer: id est, Christus & Euangelium.
  - De fumo exeunt Locustæ: id est, turba Clericorum Papistica.
- Locustis, id est, Pseudoclero. Hic disce
  - Cur ita appelletur Clerus.
    - Sicut Locusta ore nocet, ita Clerus Papisticus suis prædicationibus.
    - Vt locusta, si sola sit, contemptissima videtur, ita nihil vilius solitario Monacho, aut Sacrifico: si turmatim volitent, horrori sunt hominibus, nec vlla vi depelli possunt, depascunt & perdunt omnia: ita & Clerus. Locustæ æstate cantillant, salitant, otio fruuntur cum detrimento Agricolarũ: eadem vides & in Clero.
    - Vt Locustæ innumerabiles sunt: ita & Clerus.
  - Quæ Cleri potestas. Hic docet
    - Blandis verbis Clerũ Papæ decipere: Vt enim Scorpio blandum est animal, quod mox cauda venenum infundit: ita & Clerus blandis verbis venenum infundit.
    - Quibus nocere posiint Locustæ, id est, Clerus: his videlicet, qui scientes & volentes perire volunt. Non autẽ nocent electis ac simplicibus, qui per fœnũ viride & arbores significantur. Atque hos etiam lædunt quidem, sed non vt infideles ad mortem.
    - Quousque crucient electos Dei: Mensibus quinque, id est, pauculo tempore. Vt enim Locustæ non diutiùs viuunt, quàm ab Aprili in Septembrem: ita certè præfixum est tempus illis seductoribus. Locustarum ergo tormenta sentiunt pij pauculo tempore.
  - Quomodo Clerus describatur, vt cauere eos posimus.
    - Similes esse dicuntur equis paratis ad prælium: qua imagine ostenditur Cleri ambitio, superbia, contumacia, audacia, ferocia, pugna contra electos, libido, voluptas.
    - Dicuntur habere super capita tanquam coronas: iactant enim se esse Reges & Sacerdotes, cùm tamen neutrum sint. Habent etiam diademata, coronas aureas, & preciosissimas.
    - Facies earum erant hominum: magnam enim simulant humanitatem.
    - Capilli sunt vt mulierum, quo significatur luxus & mollities Cleri.
    - Dentes sunt quasi Leonum, quo significatur iraculentia & crudelitas eorum contra Christianos.
    - Thoraces sunt ferrei, quod significat pertinaciam in errore, & quòd aliena protectione sint tutissimi.
    - Alas habent, quod superbiam eorum denotat.
    - Sonitus alarum sicut curruum, quod significat pugnacissima, horrenda, ac lethalia esse omnia istorum.
    - Caudæ vt Scorpionum, quo venenata & infecta notatur doctrina.
    - Rex eorum Angelus Abyssi, id est, Papa. Huic nomen Abbado & Apollyon, id est, vastator & perditor.

De

De tertia parte Visionis tertiæ, ex cap. 6. vbi agitur de rebus Saracenicis.

De sexta Tuba, qua saraceni ad pugnam incitantur. Hic disce

Angelos quatuor Orientales populos significari. Arabes, Saracenos, Turcos, Tartaros, qui propter peccata atterunt orbem. Vbi enim Altare aureum conspurcatum est, excitauit Deus vastatores orbis Orientales olim, vtcunque sopitos, qui velut abditi aut alligati videbantur in Euphrate.

Quales sint hi populi. Describit enim eos

- Ab expedita celeritate: semper enim expediti sunt ad capessenda Dei iudicia, & excipienda.
- A numero innumerabili.
- A moribus & potentia. Equites enim induti erant thoracibus igneis, hyacinthinis, vel fumi colorem habentibus, & sulphureis, &c. Hæc spiritualiter & corporaliter intelligi possunt. Spiritualiter ignis, fumus & sulphur Mahumetis doctrinam significant, quæ innumeros homines perdidit. Vi etiam leonina multis populis Alchoranum suum obtruserunt, & dum blandiuntur, serpentes agunt. Ex ore ipsorum non tantum leges blasphemæ, sed & mira procedunt præconia, miræ iactationes victoriarum: quæ quidem victoriæ multos in errore detinent, Corporaliter autem, ardent igni & sulphure Turcæ, quoque se vertunt, conflagrant igni omnia. Cauda serpentina nocent plurimum: si enim fœdere alicubi sese insinuarunt cum Principibus Christianis Turcæ, non sine dolo & fraude id fecerunt.
- A vastatione magnæ partis hominum. His enim plagis, igne fumo & sulphure excisa est pars tertia hominum. Caudis quoque serpentinis nocebant hominibus. Dicit autem potestatem eorum fuisse in ore ipsorum, nocumentum in cauda.

Quid reliquis impœnitentibus, nihil interim mali sentientibus, ex locustis & equis fiat. Punientur enim & illi à iustissimo Deo. Vtranque verò Legis Tabulam profert Ioannes, & per hanc redarguit peccata & malitiam hominum impiorum. Compræhendit his omnia paria, vel non dissimilia, maiora & minora admissa contra Deum.

De quarta parte Visionis tertiæ, ex cap. 10.

Loci sex.

Christi descriptio, qui Antichristo opponitur, & est per antithesim applicanda.

- Angelus fortis dicitur: Est enim fortis ad superandum confringendumque omne robur huius seculi, hostium suorum, Antichristi, Diaboli, &c.
- Dicitur de cœlo descendere: Consilium enim & auxilium confert laborantibus, spiritu suo adest pijs, suos iuuat & animat.
- Nube amictus est: Deus enim est qui suos super æthera & nubes euehit in regnum suum, rorem & pluuiam salutarem depluit, ad refrigerandos & fœcundandos electos suos.
- Iride coronatus est: Est enim Rex pacis, omnia pacificans & reconcilians Deo ipsos quoque homines inter se concilians charitate.
- Facies Angeli vt Sol: vt cognitione enim plena Christi exoritur iucundissima in animis lux.
- Pedes sunt tanquam columnæ ignis: Firma enim, recta, vera, & purgatissima sunt Christi omnia. Ac vt ignis prohiberi non potest, ita nec progressus verbi Dei impediri poterit.
- Pedes ponit in terra & mare: Quod significat Christum recuperare & occupare quæ videbantur terra & mari, id est, vbiuis terrarum esse erepta.
- Libellum patentem in sua manu tenet: Per Christi enim gratiam habemus claram veritatis prædicationem contra falsam doctrinam Antichristi.
- Rugit sicut Leo: Quod significat per verbum Christi consternari omnes impios.
- Post rugitum loquuntur septem Tonitrua voces suas: Significatur per has voces varia Spiritus dona.

Cur prohibetur Ioannes voces Tonitruum scribere: Quòd Scriptura sancta sit conscripta ac edita dudum: sufficiunt pijs ea, quæ scripta sunt. Obsignare iubetur: Scriptura enim est authentica, vt nihil addere, aut adimere quisquam debeat.

Iuramentum Christi. Vbi describitur

- Forma, seu ritus iurandi.
- Verba iurantis solennia, per viuentem in secula.
- Quid iurârit:
  - Tempus non fore ampliùs tale: scilicet quale nunc est, periturum & vicissitudinis tempus.
  - In diebus vocis septimi Angeli, id est, ad extremū Iudicium, consummandū, ac plene implendum mysterium Dei: scilicet de abolendis & perdendis impijs per Christum, de restitutione & vita æterna piorum. Atque hoc mysterium per Prophetas etiam pijs prædicatum fuisse testatur Dominus.

Quales esse oporteat, & seq. Vide literam A.

A. Quales esse oporteat Prædicatores verbi cõtra Antichristum.
- Diuina vocatio his expectanda est: Vade,inquit.
- Mandato ac vocationi parere debent.
- Requiritur in his studium, feruor, & diligentia: hoc enim est deuorare libellum. Deuoramus enim magno cum desiderio, quæ singulariter & diu cupiebamus edere. Deuorasse item dicuntur libros & authores,quod ad vnguem didicerunt,& tenent Studiosi.

Quis effectus Ministerij in Prædicatoribus.
- Facit amaricari ventrem. Affert enim verbum mortificationem carnis, labores,molestiam,crucem,& aduersa innumera,quæ constanti patientia superare oportet.
- Facit gaudio ac voluptate frui pios: hoc mel significat.

Expositio visionis huius,Dicit enim, Oportet te iterum prædicare in Gentibus: scilicet per fideles Ministros Spiritu tuo imbutos.

De quinta parte Visionis tertiæ, ex cap. 11.

Loci quinq;

Deo curæ esse Ecclesiam,infideles reijcere Deum. Hic disce,
- Templum Ecclesiam Dei significare.
- Altare Christum designare.
- Adorantes, fideles esse,qui Deum per Christum adorant,spiritu & veritate.
- Metiri Templum virga,item Altare,& adorantes esse,Dominum adiecisse animũ ad extruendã Ecclesiam Aedificaturi enim metiũtur loca,in quibus ædificia collocẽt.
- Atrium interius,esse Sacerdotes impios Atrium enim interius in Lege fuit statio Sacerdotum. Hi prima Ecclesiæ pars esse volunt.
- Atrium eijci foras,esse Sacerdotes qui primates Ecclesiæ Dei esse volunt,excommunicari ac reijci à Deo. Et additur causa,Quia datum est gentibus,id est,in atrio nõ agunt Sacerdotes ac fideles,sed gentes: id est,gentibus similes sunt,quæ à consortio Dei & Ecclesiæ iure sũt exclusæ.His accedit quod ciuitatẽ sanctã,id est,Ecclesiam calcant. & additur tẽpus mensiũ 42.vbi certũ tempus pro incerto ponitur,vt intelligamus terminum à Deo constitutum esse illis furoribus, quem solus nouit: breuem tamen: neque enim annorum,sed mensium duntaxat indicat tempus.

De duobus Prophetis cõtra Antichristum strenuè pugnãtibus, per quos intelligit omnes omniũ temporũ Pastores,qui se hæresibus opponunt.Hic docet
- Vnde mittantur: Quia à Deo.
- Quanto temporis curriculo prædicent veri Dei Ministri: Toto videlicet tempore, quo Antichristus Templum & Ciuitatem sanctam calcabit: certum enim tempus pro incerto ponitur. Consolatorium est,quòd dierum non annorum meminit. Laborãt enim in labrioso Domini opere,patiuntur persecutiones,at pauculo tẽpore.
- Quis habitus horum Prophetarum. Saccus vestis lugubris est, & pœnitentium. Significat ergo genus doctrinæ.Hi enim pœnitentiam & reformationem vrgebunt, suadebunt frugalitatem.
- Prophetas esse candelabra, lumen sustinentia: id est, prædicare Christum, & oliuas esse,oleum Euangelij proferentes.
- Prophetas esse,vel stare corã Domino: sunt enim in protectione, cura & prouidẽtia Dei.
- Quæ sit potestas Prophetarum: Primùm ignis verbi Dei exibit ex ore ipsorum quo superabunt aduersarios. Deinde potestatem habent claudendi cœlũ, id est,testabũtur certò clausum esse impijs cœlũ. Itẽ conuertunt aquas in sanguinẽ, id est, testabuntur verbũ Dei cessurũ esse illis in condemnationem. Itẽ percutiunt terrã plagis,id est,ex verbo Dei minantur Deũ plagis peccata hominũ percussurum.

De crudeli pugna Antichristi cõtra Prophetas Domini. Hic docet
- Quando sit cõmouenda persecutio:Nõ priùs quam fuerit finitum testimonium Prophetarum.Deus enim Prophetas tuetur in suam vsque horam.
- Quis sit hostis Prophetarum: bestia videlicet, id est, Romanus Pontifex, de hac Bestia infrà cap. 13 & 17.
- Quomodo pugnet contra Prophetas: Artibus, videlicet excommunitatione, supplicijs, terroribus.
- Qua fortuna & euentu pugnet: Vincit,inquit,&c.Non vincit Scripturis, sed vi,carcere, gladio,multitudine,pompa,authoritate,potentia, opibus.
- Quanta crudelitate vsurus sit contra Prophetas: Corpora,inquit,iacebunt in plateis,& corpora eorum non sinent poni in monumento.
- Quo loco hæc contra Prophetas exercenda sit crudelitas: in Ciuitate magna,id est, Ecclesia Romana, dispersa per orbem, quæ Aegyptus & Sodoma rectè appellatur. Vide mores & impietatem Sodomæ & Aeyppti. Atque hic Christus crucifixus est: passus enim Christus sub imperio Romano, sub Imperio nouæ Romæ. Cadunt hodie Prophetæ ferro & igni. Ad crudelitatem pertinet quod dicit,Impios gaudere super calamitatibus piorum, quod tanto onere leuati sint.

Conatus Antichristi,& seq. Vide literam A.

A. Conatus

- A.
  - Conatus Antichristi in extirpandis Prædicatoribus esse vanos. Hic docet
    - Restitui subinde prophetiam, quæ extincta videbatur: prophetiam enim per nouos Prophetas reparandam fore à Deo.
    - Ingentia pijs parata esse præmia.
    - Impios non integra fruituros voluptate, sed Deum interturbaturum esse ipsorum gaudia, etiam in his terris. Duo autem commemorat mala, calamitates magnas, & defectiones. Territi enim quidam verbi prædicatione, & plagis, deficient à Romana Ecclesia
  - De Tuba septima, quã annunciat adesse Iudicẽ, q excitet ex mortuis pios & Impios. Hic describitur laus, hymnus & gratiarum actio Seniorũ: q
    - Acceperit potentiam magnam Dominus: hoc fit, quum seruat pios, opprimit impios.
    - Mercedem in Iudicio rependet.
    - Perdit vastatores: hoc significant etiam fulgura, tonitrua, voces, terræmotus, &c.
    - Pijs aperiatur Templum in cœlo, vbi videatur Arca testamenti, id est, Christus.

Quarta Visio, quæ extenditur ad caput 15. & habet quatuor partes.

De prima parte Visionis quartæ, ex cap. 12.

- Loci quinque.
  - Descriptio Ecclesiæ omnium temporum, quæ mulieris imagine significatur.
    - Est amicta Sole: Quia Christus lumen, vita, & iusticia Ecclesiæ est.
    - Luna est sub pedibus eius: Quæcunq; enim huius mundi mutabilia & corruptibilia sunt, affectus quoque & infirmitates calcat pedibus Ecclesia. Omne lumen quod habet, à Christo habet.
    - In capite habet coronam duodecim stellarum: Decus Ecclesiæ, ornamentnm & Rex Christus est, in quo sunt stellæ Ecclesiam illuminantes, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, qui lucem ex corona habent.
    - Mulier prægnans dicitur: Primitiua enim Ecclesia ex promissione illa seminis benedicti concepit in animo spem firmissimã, fore vt semen illud promissum nascatur. Generatur præterea Christus in suis fidelibus, quoniam eius virtute regenerantur.
  - Descriptio Diaboli sub imagine Draconis sæuientis in mulierem.
    - Appellatur rufus, quòd igni & sanguine Sanctorum madet.
    - Habet capita septem, & in singulis conspiciuntur diademata regia: habet & cornua decem. Nam Diabolus appellatur Princeps huius seculi.
    - Habet caudam, quæ trahit tertiam partem stellarum: Blanditijs enim, imposturis & mendacijs perpellit ad nefaria quælibet. Stellas, id est, Doctores & illustres viros, quos à cœlestibus abreptos allidit terrestribus.
  - De conatu, insidijs, & virulentia Draconis. Vbi docet,
    - Finem conatuum Draconis esse, deuorare Filium: id est, intercipere gloriam Christi, & fideles regeneratos perdere.
    - Draconem non posse Christo & eius Ecclesiæ nocere. Fugit enim Mulier in solitudinem: id est, post Ascensionem Apostoli ex Iudæa migrantes, transierunt ad Gentes. Hic locus à Deo paratus est Ecclesiæ.
  - Descriptio certaminis Christi & Ecclesiæ cum Dracone. Hic disce,
    - Michaelem Christum significare.
    - Quomodo Christus pugnet cum Dracone. Pugnat moriendo, resurgendo: nam hoc modo caput eius prorsus attriuit.
    - Quomodo Draco pugnet: Tentationibus scilicet, incitando Pharisæos, Primores populi, Reges, Sacerdotes contra Christum & fideles eius.
    - Quo successu sit pugnatum: Vincit enim Christus, vincunt & Christiani Draconem, pro quo epinicion victoriale additur.
    - In quibus locum & regnum habiturus sit Draco: In hominibus vtique terrenis & carnalibus, in quibus exerit iram suam magnam contra electos.
  - Defendi & seruari Ecclesiam à Domino. Hic discenda sunt,
    - Datur Ecclesiæ facultas fugiendi, & euadendi hostium Christi furores. Hic est quod dicit, Ecclesiæ datas esse alas Aquilæ magnæ. Tempus Ecclesiæ non definit: vult enim Deus abscondita nobis esse tempora. Certè Ecclesia mansura est inter gentes ad Iudicium.
    - Etsi Satan molem malorum effundat in Ecclesias, sectas, dissensiones, turbas, seditiones, &c. quod flumen euomere significat: Deus tamen adest pijs, auxilium confert vnde minimè expectasses. Hoc est quod dicit. Terram deuorare flumen.
    - Non diu duraturi sunt Satanæ furores contra Ecclesiam: nam regnum Diaboli ruinosum est. Hoc est Draconem stare in arena maris.

De secunda parte Visionis quartæ, ex cap. 13. de nobili Draconis organo veteri Romano Imperio.

Loci duo. De

- **Imperio Rom. veteri, quod per Bestiã significatur. Hic describitur**
  - Origo Imperij Romani veteris. Est enim ex Dracone, id est, Diabolo. Omnis enim Imperij huius crudelitas, impietas & conscel eratio ex Diabolo est. Emergit Bestia ex mari, in cuius arena consistit Draco.
  - Potentia, quam capita septem, & cornua decẽ significant. Capita enim Reges excellentiores significant: cornua potentiam. Id significat & imago ex varijs bestijs cõposita.
  - Mores. Vt enim Pardus maculosus est, ac varius: ita Romani colluuies erãt multarũ gentiũ, natarũ quodammodo ad seditiones & cædes. Pedibus nõ modò incedit Vrsus, sed & ferit, & rapit prædam: ita & Romani nihil aliud quã feriebãt, pugnabãt, rapiebant. Vt Leonis robur excellẽtissimũ est inter quadrupedes, ac os Leonis insatiabile & fœtidũ: ita Imperiũ Romanũ fortissimũ fuit, auarum & inexplebile, ipsaq; putredo scelerum.
  - Blasphemia. Quicquid enim vspiam excogitari potest blasphemiarum, id totum in hoc Imperio reperiebatur conspicuum.
  - Tristis casus populi, qui ipsis accidit à prima mox persecutione in Ecclesiã Christi cõmota, & post sublatos è medio clarissimos Apostolos. Videt enim Ioãnes ex capitibus vnũ quasi occisum in mortẽ. Nero enim qui primus primã ex Imperatoribus persecutionẽ cõmouit, manu propria sese iugulauit. At hic Cæsarũ vltimus fuit, in quo hæc familia desijt Imperiũ autem ita afflictũ reliquit, vt videretur multis iam nunc ruiturũ.
  - Curatio, seu restitutio casus. Vespasianus enim exãguẽ diu fessũq; terrarũ orbẽ breui refecit.
  - Interitus tanti Imperij. A Constantini enim imperio cœpit maiestas Romæ ad ruinam inclinare. Atq; intra annos 136. septies venit Roma ad alienas manus, ac direpta est crudelissimè, gladio cecidit, & abducta est in captiuitatem. Additur causa interitus: Quisquis captiuitatem collegerit, in captiuitatem abibit, &c.
  - Pugna contra Ecclesiam Dei.
- **Mundi stultitia & impietate. Vbi discas,**
  - Mundum præsentem fœlicitatem spectare, vt illam religionem maximè illustrem putet, firmam, ac veram, quæ clara sit victorijs, & splendeat huius mundi ornamentis. Hoc est quod dicit: Et admiratio fuit in vniuersa terra.
  - Mundi magnã partem Diabolũ adorare: qui videlicet inuentiones diabolicas sequũtur.
  - Plerosque Bestiam, id est, Romanum Imperium adorare: qui videlicet decreta, ritus, & ordinationes superstitiosas Imperij recipiunt, propter victorias illius. Docet verò eos adorare Bestiam, qui non sunt in Libro vitæ Agni: id est, qui sunt reprobi, non electi, increduli, qui verbum Euangelij aspernantur.

De tertia parte Visionis quartæ: de Bestia videlicet, quæ ascendit ex terra: id est, de Antichristo, ex cap. 13.

De Antichristo, cuius describitur

- Origo. Hæc enim Bestia orta est ex terra: id est, ex malis artibus, ambitione, auaritia, proditione, & crudelitate. Atque secunda Bestia non prodit, nisi sublata prima.
- Blasphemia. Loquitur enim sicut Draco. Tribuit ergo Antichristo, vel Papatui, doctrinam diabolicam, vel os Sathanicum, ac blasphemiam.
- **Potentia.**
  - Potestatem prioris Bestiæ exercet posterior: id est, eam, quam vetus Romanum Imperium exercuit, & quidem in conspectu eius, è vestigio illam subsequendo, adeóque imitando.
  - Facit adorare Bestiam primam: Papatus enim ethnicismum, mutatis tantùm nominibus, reduxit, & idola Imperij veteris restituit.
  - Bestiæ imaginem excitat: id est nouum instituit Rom Imperium. Quod tantum simpliciter Bestia non dicitur, sed Bestiæ imago: id est. Imperium quidem, quod tamen tanto spatio ad vetus accedere non potest, quanto distat imago ab exemplari. Nam exemplar quodam modo est vetus Rom. Imperium, cuius quidẽ à Pontifice excitatum Imperium, simulachrum duntaxat, repræsentatio, vmbra, ac veluti somnium est: similitudinem interim aliquam cum illo habens. Reuera enim nomen sine re, & titulus inanis est, absq; veteri illa potentia, maiestate & gloria. Nisi enim Imperatori ex hæreditate proprium sit regnum, quale ex nomine Imperatorio nomen habet? Quomodò autem hæc imago excitata sit, inde cognosces. Diximus Rom. Imperiũ illud vetus sublatum fuisse. Olim alter Imperatorum imperitabat, moriente Constantinopoli: alter in Occidente Romæ, vel Rauennæ. Ab Augustulo verò amplius quàm per 300. annos nullus fuit Occidentis Imperator. Ergo circa annum Domini 800 cùm Carolus Magnus Francorum Princeps Romam venisset, in festo Natalis Domini, Leo tertius imposita Carolo corona, Imperatorem fecit, acclamante toto populo: Carolo Augusto a Deo coronato vita & victoria. Lege Philippum in Chronicis.
  - Dicit habitantibus in terra, vt faciant imaginem Bestiæ. Cùm enim viderent Imperium fluctuare, ac ea de causa mox ruiturum, Pontifex Romanus Septemuiros instituit, id quod Gregorio quinto tribuitur.
  - Datum est illi vt daret spiritum imagini Bestiæ, vt loqueretur. Nisi enim Papa electionem Imperatoris confirmârit, Imperatorio nomine indignus videbitur.
  - Facit vt quicunq; non adorauerint imaginẽ Bestiæ, occidãtur. Adorãt imaginẽ Bestiæ, qui decreta & ordinationes illius sedis, & Imperij loquentis, inspirationẽ Bestiæ recipiũt, qui Romanas approbant religiones, &c
- Signa, Character, & seq Vide literam A.

Signa, quæ vel artibus præstigijsq; Satanicis, dolo & impostura hominum sceleratorum fiunt, qualia Magorum, vel Incantatorum sunt, &c. Inter signa verò illud in primis commemorat, quòd ignem faciat descendere in terram. Antichristus enim iactabit se cœlitùs data potestate conferre gratiam Spiritus Sancti, qui per ignem figuratur. Est & alius ignis, quem cœlo deuocat, & in hostes suos ad vindictam contorquet: telum videlicet & fulmen excommunicationis. Hæc formidabilis est Regibus, Principbus, &c. his seducit homines. Facit autem signa in conspectu Bestiæ, quæ aliàs imago Bestiæ appellatur: id est, hæc signa facit, conspicientibus omnibus intrepidè & audacter ad terrendum decipiendumq; ipsam Bestiam.

A. Character nomen, & numerus nominis eius: hæc enim in idem recidunt. Hic disce,

Characterem Antichristi esse confessionem Papisticam: credere & confiteri Papam esse caput Ecclesiæ: credere secundum fidem & traditionem Ecclesiæ Romanæ: item vnctionem Episcopalem, confirmationem, vota, rasuram, &c.

Characterem Bestiæ habere eum, qui agnoscat sedem Romanam. Nomen Bestiæ habere eũ, qui vult se nominari sanctæ sedis obedientem filium. Numerum Bestiæ nominis habere, qui cum Bestia coniunctionem habet, quam numerus ille prodit, ac indicat.

Eum qui non habeat characterem Bestiæ, aut nomen, prohiberi ne possit emere, vel vendere: id est, omni abdicatum, esse hominum consortio: id est, excommunicatum esse.

Sapientiam veram & diuinam esse scrutari, ac cognoscere Antichristum.

Supputandum esse numerum nominis Bestiæ. Addit non fore id difficile: nam numerum hunc hominis esse numerum: nimirum quem homo industrius facilè fide & labore assequatur.

Numerum nominis Bestiæ esse supputationem ipsam, per quam peruenitur ad nomen eius. Est autem nomen breuis cuiusuis rei descriptio, vnde quæ & qualis sit, cognoscitur. Iam ergo numerum hunc disertè edit & iubet nos numerare annos *666*. Supputatio horum annorum ineunda est ab eo tempore, quo Ioannes Apocalypsim vidit. Eusebius verò in Chronicis dicit illum annum fuisse à natiuitate Domini *97*. Idcircò restant adhuc anni tres ad complendam primam à natiuitate Domini centuriam. Adde ergo annis centum annũ hos numeri nominis Bestiæ *666*. & detrahe annos illos primæ centuriæ tres, & habebis annum Domini 763. qui fuit 13. aut circiter, regni Pipini. Iam verò non spectandum quid illo veluti puncto anni 763. euenerit, sed quid proximis annis præcedentibus & consequentibus contigerit. Quibus omnia ea contigere, quæ & Antichristo nomen dant, & ex quibus seu res quælibet ex suo nomine cognoscitur, & ipse nomen adipiscitur, & agnoscitur, vt postea caueri possit. His annis & religio, ritus, ceremoniaque Romana obtrusa est, confirmata idololatria, & Papa vniuersalis Episcopus dictus est, & potentissimus Rex factus ex donatione Cæsarum, Pipini, ac Caroli Magni præcipuè.

De quarta parte Visionis quartæ, ex cap. 14. quæ est consolatoria.

Loci ecto.

Descriptio Christi regnantis in Ecclesia.

- Stat Agnus super montem Sion: id est, nunquam defuturus est suis fidelibus Christus, sed stat, velut accinctus ad ferenda suis subsidia in Antichristianis persecutionibus.
- Agnus solus non est, sed habet apud se centum quadragintaquatuor millia, id est, amplissimam Ecclesiam. Id significat & vox aquarum multarum. Aquæ enim populi sunt in Scripturis.

Notæ veræ fidelium, seu Ecclesiæ.

- Habet nomen Patris, Agni in frontibus. Hæc nota animorum est, non corporis, & est fides, signum omnium filiorum Dei.
- Liberè profitetur Christum: ideoq; Ioannes sonitum audit tonitrui magni, & concentum citharis concinentium canticum nouum, quod quidem laudes & gratiarum actiones fidelium significat.
- Empta est de terra. Emit enim nos Dominus, precio redemptionis in cruce appenso, vt iam simus reformati ad imaginem hominis cœlestis.
- Fideles virgines sunt: id est, non coinquinârunt se participatione prauæ doctrinæ.
- Sequuntur fideles Agnum quocunque ierit: id est, neminem curant præter Christũ: neminem nisi Christum desiderant, in hoc omne præsidium, omne gaudium, omnem salutem constituunt.
- Empti sunt ex hominibus: id est, erepti gratiâ Christi, ne corruptum & immundum hunc sectentur mundum. Porrò ad hoc elegit, imò emit suos ex seruitute hominum, vt sint primitiæ Deo & Agno: id est, munus excellentissimum Domini: Deo enim toto vitæ suæ tempore seruiunt.
- In horum ore nullus inuenitur dolus: student enim veritati, ne quem fallant scientes, veram edunt confessionem.
- Sunt sine macula. Non sua virtute, sed Christi sanctificatione.

Prædicandum esse Euangelium, & seq. Vide literam A.

A.
- Prædicandum esse Euãgelium in mundo ante Iudicium. Hic disce,
  - Angelum hunc typum Concionatorum esse.
  - Volatum Angeli significare fœlicem cursum prædicationis Euangelicæ.
  - Euangelium æternum dici,
    - Quòd immortalis est veritas.
    - Quia primis parẽtibus nostris est annunciatum in Lege & Prophetis prædictum, à Christo adimpletum, expositum ab Apostolis, & ad nos vsque allatum per diuinam gratiam.
    - Quòd ad nos & posteros nostros in finem vsq; seculi, non tantùm ad maiores nostros pertinet.
  - Euangelium vocale esse debere. Multi habent Euangelium, sed mutum, & in libris scriptum. Non enim euangelizant.
  - Magna voce prædicãdum esse Euangelium: id est, magna constantia, & libertate: intensis item vocibus & feruore magno.
  - Quid prædicet Euangelium:
    - Timorem Dei.
    - Honorem Dei.
    - Adorationem.
- De Babylone, id est, Roma ruitura. Hic disce.
  - Babylonem Romam significare, propter cognationem inter veterẽ Babylonem & nouam.
  - Babylonem iam tum cecidisse dici: casuram adhuc propter certitudinem denotandam.
  - Cur cadat Roma. Inebriauit enim Roma suis impuris dogmatibus omnes populos. Appellatur autem Papismus vinum iræ. Quibus enim Deus irascitur, eos sinit aberrare in via Romanæ Ecclesiæ. Appellatur & vinum fornicationis: qua videlicet ipsa primùm fornicata adeò, iam alijs quoque omnibus magistra est fornicationis.
- Dehortatur omnes Angelus à consortio Romanæ Ecclesiæ, à damno & pœnis.
- Descriptio æternæ damnationis: Vbi disce,
  - Merum vinum in poculo iræ Dei infusum, iudicium Dei districtum, exquisitum, & longè grauissimum significare.
  - Per ignem & sulphur, pœnam grauem significari.
  - Fumum ascendentem in secula, supplicij æternitatem significare.
  - Cùm sciant pij ita puniri impios aduersarios suos vt patienter ferant omnia aduersa opus esse.
- De certa fidelium salute. Hic docet
  - Quando salus & beatitudo contingat morientibus: A modò, inquit: id est, illicò obuenit animabus fœlicitas, at non consummata.
  - Quis modus beatitudinis Sanctorum. Est enim beatitudo quies ab omnibus laboribus.
  - Præmium paratum esse virtutibus ex gratia per Christum.
- Descriptio diuini Iudicij contra Antichristianos, sub parabolis messis & vindemiæ. Describitur autem
  - Iudex Iesus Christus. Vbi disce,
    - Per nubem candidam, significari Iudicis diuinitatem. Legimus enim Deum vehi nube candida.
    - Coronam significare regiam dignitatem Christi Iudicis.
    - Falcem acutam significare iudicium districtum, & pœnam impiorum.
  - Processus Iudicij. Hic disce,
    - Certam constitutam esse horam Iudicij.
    - Christum iustè & iusto tempore iudicare, & iustè exequi omnia. Id significat, quòd Præco Iudicij prodit è Templo. Templum enim pietati & iusticiæ est consecratum.
    - Vindictam certò paratam esse in eos qui fundunt in terris sanguinem innoxium. Id significat ignis.
    - Inferos, seu locum supplicij extra ciuitatem Dei esse: id est, eijci impios foras in tenebras, exteriores. Id significat lacus seu torcular extra ciuitatem.
    - Maximam futuram copiam impiorum, & Deum abundantissimè vindicaturum sanguinem piorum: quod significatur hyperbole.

Visio

Visio quinta ad 17.caput,de septem Angelis phialas iræ diuinæ septem effundentibus: & habet duas partes præcipuas.

De prima parte Visionis quintæ,ex capite 15.

Duo loci.

- De gaudio & triumpho piorum. Vnde discas
  - Pios exultare dum iusticiam exercet Dominus.
  - Mare vitreum mundum significare,propter æstus & instabilitatem: Vitreum appellatur propter fragilitatem.
  - Ignem persecutionem significare. Sancti enim dum in mundo versantur perpetuò propemodum sentiunt ignem afflictionis: insistunt autem mari vitreo: victores enim calcant mundum & omnia mundi tormenta.
  - Citharam Dei,iubilum cœlestem significare.
  - Canticum Mosis, significare canticum triumphale seu gratulatorium. Sicut enim Maria olim cum choro virginum, authore Mose,carmen cecinerunt, cùm liberati essent ex captiuitate Aegyptiaca, & submersus esset Pharao cum toto eius exercitu: ita beatæ animæ in cœlo laudant Deum, qui ipsos liberauit à Satana,Antichristo,& Mundo.
  - Canticum Agni,Christianam gratiarum actionem esse, qua prædicatur à Sanctis Christi virtus & redemptio.
- Descriptio septem Angelorum.Hic disce
  - Septem Angelos multitudinem Ministrorum Dei significare, quorum opera affligat & perdat impios.
  - Septem plagas,omnis generis plagas significare: phialam iudicium Dei iustum.
  - Iudicia Dei, quibus affligit impios sacrosancta esse: prodeunt enim Angeli ex patefacto Templo.
  - Iudicia Dei vt immaculata ita illustria esse: id significat vestis candida & munda.
  - Parata & in promptu esse Dei iudicia contra impios,ea carere affectibus. Id significat zona aurea,qua pectus præcingitur.Id significat & phiala aurea,aureum enim typus est puritatis.
  - Imperuestigabilia esse Dei iudicia, vt quæ Deus nobis non reuelat. Id significat Templum fumo repletum esse, vt nemo introire potuerit in Templum. Ante finem enim rerum omnium Sancti non possunt omnia Dei iudicia liquidò prospicere,donec finiantur septem plagæ septem Angelorum.

De secunda parte Visionis quintæ, ex cap.16.de septem plagis,quas Deus in hoc seculo incutit impijs, maximè Antichristianis.

SEPTEM Angelorum plagæ.

- Plaga,vlcera: Antichristiani enim fornicationi studentes hoc morbo puniuntur iusto Dei iudicio.
- Plaga pestis. Hic disce
  - Mare,mundum significare.
  - Synecdochen esse,cùm dicitur,Interire omnis anima viuens.
- Sanguis. Hic disce
  - Per sanguinem hic significari seditiones,bella,&c.per Pontifices excitata.
  - Causam huius rei esse,quòd Deus iustus sit in iudicijs suis.
- Siccitas. Hic discas
  - Per ignem significari æstum, siccitatem ingentem, sterilitatem terræ, inopiamque rei frumentariæ,sitim intolerandam,& homines & iumenta affligentem, & morbos excitantem æstuantes.
  - Quis sit effectus plagæ istius: primùm enim æstuant homines: deinde impatientia instigati blasphemant Deum,quòd non liberet malè afflictos,æstu ardentes.
- Plaga tenebræ sedis Bestiæ. Hic disce
  - Tenebras esse obscurationem gloriæ Romanensis Ecclesiæ: Deus enim suorum misertus, in sedem Romanam effundit iram, luce Euangelica illustrans homines, vt agnoscant impietatem & abominationem sedis Romanæ: vnde maiestas sedis & sedentis in sede obscurari cœpit.
  - Effectum plagæ esse regnum tenebrosum & furorem Papizantium contra Euangelicos, quod morsu linguarum significatur: deinde cœli Dominum blasphemijs afficiunt.
- Exiccatio,Plaga,& seq. Vide literam A.

A.
- Execcatio Euphratis. Hic disce
  - Per Euphraten significari opes, munitionem, voluptates, commoditates, vectigalia, quæ sacra vocant Romanæ Ecclesiæ. Nam & Euphrates Babylonem muniebat, eique alias multas commoditates ac voluptates adferebat, quæ omnia exiccatione Euphratis per Cyrum amisit. Exiccatur autem flumen illud Pontificis prædicatione Euangelij.
  - Quomodo se gerat Antichristus contra pios pro exiccatione Euphratis laborantes. Mittit enim Legatos suos. Hic docet
    - Vnde hi Legati oriantur: Ex ore videlicet Draconis.
    - Quales sint:
      - Immundi spiritus.
      - Sunt tanquam Ranæ. Sicut enim Ranæ clamore ingrato molestissimæ sunt, palustres & fœdæ: ita & Pontificij vt Ranæ obstrepunt. Ita & Pontificij obstrepunt diuinæ veritati, vt Ranæ ad fastidium vsque ingeminant suum illud coax. Ita hi subinde in ore habent, sanctissima sedes, sanctissimus Pater, &c.
      - Sunt spiritus Dæmoniorum, id est, veri artifices fallaciarum, ad conficiendas res suas.
    - Quis finis sit consiliorum Legatorum Papæ, vt sepiant Reges & Principes ne vlla ignorent consilia, & vt Reges arment pro defendenda Romana Ecclesia, quod prælium est diei illius magni Dei: id est, quod dirimetur aduentu Filij in Iudicium.
    - Quod interituri sint Legati & seducti à Legatis. Congregat enim eos Dominus in locum Armageddon, quod exercitum vastationis significat.
- Plaga Iudicium extremum. Hic disce
  - Per tonitrua, fulgura, voces, &c. horrorem Iudicij significari.
  - Ciuitatem magnam esse vniuersitatem hominum in Ecclesia, quæ quidem diuiditur in tres partes. Tria enim hominum genera in Ecclesia inueniuntur: sunt Christiani veri: sunt Papistæ: sunt & neutrales.
  - Ciuitates Gentium, Iudaicas, Turcicas & peregrinas religiones esse in varias hæreses vel sectas diuisas.
  - Babylonem magnam Romam ac Romanam Ecclesiam esse.
  - Babylonem puniendam esse æternum.
  - Latibula & subsidia nulla in Iudicio inueniri. Nam & insulæ & montes, in quos multi, vt tuti esse possint, fugere solent, non inueniuntur.
  - Graue, ineluctabileque esse Dei Iudicium contra omnes impios pronunciatum. Id significat grando talentaris è cœlo præcipitanda.

Sexta Visio, quæ à 17. cap. extenditur ad 21. & habet quinque partes præcipuas.

De prama parte Visionis sextæ, ex cap. 17.

- Tres loci.
  - De excidio vtriusq; Imperij Romani, veteris & noui, & Papatus. Vbi ostēditur
    - Author reuelationis huius ipse Christus Dominus, qui ministerio Angeli vtitur.
    - Summa omnium: Veni, inquit, ostendam tibi iudicium Meretricis magnæ.
    - Modus visionis: Raptus sum, inquit, spiritu, corpore manens in Pathmo. Videt Bestiam in deserto, extra Ecclesiam.
    - Typus veteris & nouæ Romæ, ac interitus vtriusque ac scelera. Bestia typum refert Romæ veteris, Mulier nouæ, & Papatus. Sedet autem Mulier super Bestiam: successit enim imago Bestiæ & Papatus, & collocauit sedem in antiquam Romam. Bestia coccina est. Rubet enim & fulget colore qualis est Carmesini. Nam truculentissima fuit Roma sanguinaria.
    - Cultus Mulieris, quo significatur, Ecclesiam Romanam commendare se ornata planè mundano, cùm intus tota scateat abominationibus.
    - Doctrina Romanæ Ecclesiæ, quæ per poculum significatur.
    - Signum Mulieris. Habet enim nomen scriptum in fronte, quod aperiat mysterium vel intellectum. Mysterium significationem arcani vocat; per tropum enim appellatur Roma Babylon, quod confusionem sonat. At maximam in Ecclesiam induxit confusionem Roma.
    - Truculentia & tyrannis: Ebria enim est Sanctorum sanguine.
  - Expositio, De iudicio, & seq. Vide literam A.

A. Expositio visionis per Angelum. Vbi

- Septem capita, septem colles significant, super quos sedet Mulier, quam in fine capitis magnam Vrbem appellat:id est,Romam,quam omnes cognominãt Septicollem,septem videlicet impositam collibus.Deinde septem capita,septem Reges sunt. In præsenti ita numerat Reges septem, vt non sit dubiũ Romam esse de qua loquatur: Quinque, inquit, ceciderunt. nimirum ab inflicta plaga Neronis in morte. Mox enim post Neronem imperare cœpit Galba, quo confosso regnauit Otto,qui cùm ipse sibi intulisset manum, successit Vitellius, qui & ipse trucidatus est à Flauianis. Nam post eum imperauit Fl. Vespasianus, post ipsum Titus.Atq; hi quinq; intra quatuordecim annos ceciderunt. Addit,Et vnus ex septem illis est,id est,imperitat modò sextus,videlicet ordinem,Domitianus,Vespasiani filius,qui fideles persequebatur,& Ioannem exilio damnauerat. Alius,inquit, nondum venit, nimirum Nerua. Nam postquam venit in Imperium & sanctissimè viueret,non diu mansit. Regnauit enim vix anno,mensibus tribus.
- Explicat, cur dixerit, Fuit & non est. Id enim propter octauum Regem Romanorum Traianum dicitur. Nam hic octauus est, à saucio in Nerone Imperio, fuit Traianus de septem. Nam à septimo, id est, à Nerua fuit adoptatus. Traianus autem qui successit Neruæ, erat Hispanus, Erat ergo vel fuit Imperium in manibus Romanorum,iam amplius non est: succedit enim Hispanus. Et quoniam Traianus Christum & membra eius persecutus est, ipse quoq; ad interitum abiuit.
- Decem cornua decem Reges vel regna sunt. Denarius perfectionis numerus est. Significat ergo Romanum Imperium in plurima delapsurum regna·Inclinante enim Imperio ad ruinam, exorti sunt Reges in Oriente & Occidente, qui Romanum inuaserunt Imperium, Persæ, Gotthi, Vandali,&c. De his regibus varia monet Angelus: Hi, inquit, regnum nondum acceperunt.Dum enim Apocalypsin scriberet Ioannes, dominabatur Domitianus,& valida adhuc erat Romanorum monarchia. Potestatem ergo tanquam Reges vna hora,id est,tempore eodem acceperunt, cum Bestia,nimirum secunda. Eodem tempore adolescit Bestia, nouum illud Imperium & vires vel potentiam accipiunt Reges. Interitus veteris Imperij fuit robur Regum & noui Imperij Papistici. Ostendit prætereà quomodo se gerant regna erga Bestiam posteriorem, erga Romanam Ecclesiam. Omnes enim Romani Præsulis placita recipiunt. Addit postea grauiùs: Pugnabunt cum Agno,qui illos vincet, sed & electi vincent.
- Aquæ, populi sunt.

De iudicio Dei contra Romam veterem.

- Reges odio habebunt eam.
- Deuorabunt carnes eius,quo crudelitas extrema significatur.
- Igni concremabunt. Et additur ratio cur ita sequiant Reges in eam: Deus enim illos mouet vt exequantur iudicium Dei, & regnum Bestiæ tradant: id est, imagini Bestiæ & Papatui: idq; iusto Dei iudicio.

De secunda parte Visionis sextæ, ex cap.18.

QVINQVE loci.

- De ruina Romæ, vbi hypotyposi prophetica modum excidij ostendit: Facta est,inquit, habitatio Dæmoniorum:id est:non ciuitas,sed scelerum atque dedecorum sentina,& additur causa ruinæ vrbis & Imperij: hanc ruinam sæpius repetit.
- Consilium Dei,quomodo se gerant pij. Vt fugiant Babylonem non motu corporis, sed doctrinæ ac morum dissimilitudine, & addit cur sit fugienda Babylon. Atque hic iterum plagas ac certissimum Romæ interitum describit, & causas.
- Planctus super Romam. Vbi describuntur
  - Personæ plangentes, Principes, mercatores, nauicularij, qui omnes cum hoc scorto fornicationem exercuerũt,&ex consortio eius ditati sunt. Hi sunt Episcopi, Monachi in noua Roma.
  - Causæ planctus seu interitus, vt sunt luxus, opes, maiestas superbia & delitiæ vtriusque Romæ.
  - Quis finis aut exitus luxus, superbiæ,&c.
- Exultatio Sanctorum de fracta & deleta Babylone: gaudent enim de vindicata iusticia, & assertis pijs ab impiorum tyrannide. Cœlum autem hic cœlites significat.
- Descriptio excidij Romani. Vbi
  - Sermonibus propheticis figuratisq; insignem vastitatem significat.
  - Subijciuntur causæ vastationis tres. Quòd
    - Mercatores illius fuerunt Principes terræ: quo notatur auaricia, superbia, luxus.
    - Sit Babylon venefica: significatur autem seductio, idololatria, impietas.
    - In ea sanguis inuentus est.

De tertia parte Visionis sextæ, ex cap. 19.

Loci quinque.

- Gratulationes & hymni Sanctorum propter Romam vastatam, & omnem impietatem sublatam.
- De nuptijs Agni, quæ & Euangelium ac beatitudinem æternam significant.
- De præparatione Sponsæ ad nuptias, quæ in paranda veste iusticiæ consistit.
- De certitudine salutis, quæ demonstratur, quòd
  - Iubetur Euangelista scribere, quod rei certitudinem significat: quæ enim in literas referuntur certa sunt.
  - Exponit quid scribat: Beati, inquit, qui ad Cœnam nuptiarum Agni vocati sunt.
  - Grauissima asseueratio subijciatur. Hæc verba Dei vera sunt.
- De errore Ioannis Angelum adorare volentis. Dum enim Ioannes intelligeret Christum ipsum per Angelum suum tanta ipsi in vtilitatem Ecclesiarum aperire mysteria, cùm eius miraretur claritatem & dotes diuinas protinus vult adorare Angelum, non quòd cogitaret defectionem à Deo, & pro Deo Angelum adorare cuperet: neque enim de tanto Apostolo tantum nefas cogitare fas est. Duliâ ergo, vt vocant, Angelum adorare voluit: id est, Deum adorare vt Deum, sed Angelum aliquantò depressius, vt eximium Dei legatum. At ea re peccauit, vt omnes intelligerent, peccare se quotquot Angelos vel excellentes creaturas adorant, & colunt cultu duliæ. Quare neque Angeli, neq; diui adorandi sunt cultu duliæ. Proinde & Angelus prohibet ne se adoret, & adiungit rationes, cur non debeat adorare.

De quarta parte Visionis sextæ, ex cap. 19. de vltimo Iudicio.

Duo loci. Descriptio.

- Iudicis Christi.
  - Vehitur equo & quidem albo. Quo significatur Iudicem nostrum futurum victorem & triumphantem.
  - Est fidelis & verax scilicet in omnibus promissis erga pios omnes.
  - Oculi Iudicis sunt velut flamma ignis. Nam nemo subterfugere potest aut latere Iudicem aut iudicium, ac oculi horribiles sunt contra impios.
  - Diademata multa habet: quia ipse solus præsidet regnis omnibus.
  - Habet nomen scriptum, quod nemo nouit nisi ipse. Habet enim nomē ineffabile, quia Deus verus, æternus, immensus & omnipotens est. Nemo nouit hoc nomen nisi ipse. Maior enim est Dei maiestas, quàm possit compræhendi ab vlla creatura. Deinde nemini competit nomen Dei, nisi vni & soli.
  - Vestis Iudicis sanguine aspersa est. Quo significatur victoria & cædes hostium.
  - Vocatur sermo Dei: expressus substantiæ diuinæ character.
  - Adiungitur ei exercitus non tantùm Angelorum, sed omnium etiam fidelium, qui vestiti sunt byssino albo & mundo. Sancti enim in Christo consequuntur iusticiam & gloriam.
  - Ex ore eius procedit gladius anceps & acutus. Quo significatur iusta sententia ore Dei pronunciata contra impios.
  - Reget eos virga ferrea, qua impios comminuet seu Figuli vasculum.
  - Ipse calcat torcular vini furoris, id est, furorem effundet in impios.
  - Vocatur Rex Regum: Quo demonstratur vera Christi humanitas, iuxta quem exaltatus est.
- Iudicij, quo supplicium ab Antichristianis & impijs sumitur, Vbi describitur damnatio, causa & modus damnationis. Vtitur autem Apostolus prophetica phrasi. Nam prosopopeia quadam conuocantur ad mactationem & conuiuium omnes aues, vt saturentur carnibus cæsorum.

De quinta parte Visionis sexta, ex cap. 20.

Loci octo.

- De illustri veritate Euãgelica, quæ opera Apostolorũ diffusa est. Hîc disce
  - Angelum, ordinem Apostolicum significare, qui cœlo descendit. Nam vocatio & officium ipsorum cœlitùs est impositum.
  - Clauem & catenam significare liberam, sanctam & veram Euangelij prædicationem, qua factum est vt & Infernus clausus sit fidelibus, & Satan iniecta catena constrictus. Id significat & appræhensio Draconis.
  - Supputationem mille annorum ineundam esse a destructa vrbe Hierosolymorum, quo tempore reiectis Iudæis, gentes in locum Iudæorum receptæ sunt: qui erat annus Domini 73. & pertinges ad annum Domini 1073. Ad Pontificatum Gregorij septimi, in quo ipse regnauit Diabolus.
- De statu animarum post mortem. Vbi disce
  - Animas sanctorum non dormire, à morte corporea vsque ad iudicium extremum, sed viuere in cœlis cum Christo. Sub iudicium autem redire ad corpora resuscitata, & vna cum corporibus recipi ad sedes beatas.
  - Mortuos eos significare, qui neque per fidem regeniti sunt, neq; vitam pro Christo deponere voluerunt, sed maluerunt Bestiam adorare. Dicit hos non reuiuiscere donec consumentur mille anni. Non quòd postea reuixerint, sed quòd nunquam omnino reuixerint. Nam mille anni, vt in superiori membro de animabus pijs, ita hic perpetuitatem significant.
  - Resurrectionem primam esse cùm homines vera fide Christum recipiunt, & à peccatis resurgunt in nouitatem vitæ. Addit autem per occasionem triplicem primæ resurrectionis fructum: primus, beatitudo: secundus, liberatio à morte secunda, id est, æterna: tertius, sacerdotium ac regnum Christianorum.
- Qualis in orbe post mille annos seductio.
- Atrocissima persecutio Ecclesię. Vbi per Gog & Magog Antichristi populum per collationem intelligit quasi dicat, Sicut olim populus Gog & Magog infestauit populum Dei: ita Antichristi temporibus grauissima exorientur bella, quibus Dei Ecclesia concutietur.
- Pœna impiorum, sempiternaq; Diaboli & membrorum eius condemnatio.
- De extremo Iudicio. Vbi docet
  - Iudicium Filij Dei vniuersale ac iustum esse. Id significat Thronus magnus & albus.
  - Iudicium horribile esse impijs. Id significat cùm per prosopopeiam dicit: A cuius conspectu fugit cœlum & terra. Vbi igitur apparebunt impij?
  - Qui sint iudicandi: mortui scilicet, magni & pusilli omnes homines.
  - Quomodo iudicandi homines: Ex libris scilicet, id est, iustè. Liber vitæ Euangelium est, secundùm quod Iudicium administrabitur. Iudicatur autem quisque ex operibus: fides enim se exerit per opera.
- De resurrectione mortuorum.
- De damnatione æterna. Hic verò infernus per enallagen accipitur pro his, qui destinati sunt tartaro: sicut & mors, mortuos in peccatis significat.

Septima Visio à cap. 21. ad conclusionem vsq;, de æterna beatitudine, & habet duas partes.

De prima parte visionis septimæ, ex cap. 21.

Loci septem.

- De innouatione mundi, vbi non extinctionem significat creaturæ, sed in melius renouationem.
- Sanctos & innouandos esse & glorificandos, reponendosq; in beatas sedes. Atq; has hic describit: Vocat Ciuitatem Dei sanctam, nouam Hierusalem: id est, non pollutam sanguine piorum, vt corporalis Hierusalem sanguine Prophetarum & Apostolorum polluta erat. Deinde descendentem de cœlo, quòd à Deo parata sit, &c.
- Quale sit futura æterna beatitudo; hæc enim in duobus consistit:
  - Deus Sanctis suis præstabit omne bonum, quod promisit. In præsentia enim & perfruitione Dei erit omne bonum & desiderabile.
  - Remouebitur ab eis omne malum, & carebunt omni molestia & miseria.
- Deum promisisse vitam beatam. Vbi docet
  - Quomodo datur vita æterna: Quia gratis.
  - Quid requiratur ab illis, qui gratis iustificati sunt: Fides scilicet, vt sitiant aquam vitæ: deinde pugna contra peccatum mortem, Diabolum, & victoria per Christum.
  - Qui excludantur vera fœlicitate:
    - Timidi, qui plus metuunt homines quàm Deum.
    - Increduli, qui verbo Dei promittenti, iubenti, & minanti non credunt, neq; Deo innituntur.
    - Abominandi, quibus lusus est tota religio.
    - Homicidæ. Scortatores.
    - Venefici, id est, Magi, Incantatores, &c. Idololatræ.
    - Mendaces, id est, calumniatores, delatores, impostores, auari, fures, raptores, &c. Sub hoc catalogo continentur omnes scelerati.
- Descriptio, Quinam, &c seq. Vide literam A

A. Descriptio vel typus sedis beatæ, quæ hic Ciuitas appellatur magna. Describũtur autẽ Ciuitatis huius

Lumen, quod simile est lapidi precioso, lapidi, inquam, Iaspidi crystallizanti, Iaspis viret, Crystallus claret. Significat ergo claritatem illam cœlestem virere perpetuò. Lumen cœleste esse sempiternum, omnes exhilarans cœlites. In ædibus prima laus est, si omnia sint lucida.

Muri, hi sunt magni & alti. Quo significatur Sanctorum in cœlis protectionem adeò firmissimam tutissimamque futuram.

Portæ, quæ sunt duodecim. Patebit enim in vitam æternam ingressus vndiquaque amplissimus. Vna quidem cœli porta est. Sed quia constituit Angelos vel Prophetas, denique & Apostolos Ianitores cœli, quibus claues regni cœlorum credidit. Atque hi electos adducunt & intromittunt in cœlestem patriam. Plures vtique portæ fuisse leguntur. Vnde explicandi gratiâ subiũgitur, In singulis portis singulos fuisse Angelos. Rursus verò explicandi causa additur. Et in portis erant nomina inscripta, quæ sunt nomina duodecim Tribuum filiorum Israel. Quo significat Dominus se Patriarcharum & Prophetarum ex omnibus Tribubus opera fuisse vsum in reserando cœlo hominibus. Deinde verò omnes ex omnibus Tribubus electos pertinere ad consortium fœlicitatis. Sed & situm portarum attingit. Nam ternas dat singulis cœli plagis. Nã & Saluator dicit venturos ab ortu & occasu, & accubituros cum Abraham &c. Cœli portæ, vt postea ostendit non claudentur Ratio, per diem non solent claudi portæ, sed nocte. Nulla autem est nox in æterna patria. Aut quòd pax futura sit & securitas æterna.

Fundamenta, quæ sunt duodecim. In fundamento enim Christo collocando & reuelando vsus est Dominus opera duodecim Apostolorum.

Situs positus in quadratura. Quo significatur beatorum in cœlis firmitas: non enim versatilis aut volubilis est locus.

Longitudo, altitudo, & latitudo, quæ sunt æquales. Habent singula latera per quadraturam stadia duodecim millia, quæ in summa conficiunt quadraginta octo millia in circuitu. Ea re significatur amplissimam esse regiam cœlestem. Aequalitas ex omnibus partibus demonstrat, homines ex nationibus nullam habere prærogatiuam.

Crassitudo muri: Et mensus est, inquit, murum eius, &c. quo iterum significatur firmitas beatitudinis. Additur mensum esse Angelum mensura hominis, quæ sit Angeli, id est, Angelum mensurasse consuetos cubitos, & hominibus vsurpata stadia. Quo indicat certum fore & finitum locum æternæ beatitudinis. Virga autem mensoria, dispositionem Dei iustissimi significat, qua parauit sedes suis electis.

Materia.

Murorum: hi sunt ex Iaspide. Viret Iaspis, semper floret & ciuitas cœlestis.

Ciuitatis, id est, ædificiorũ, est aurum mundum: omnia enim purgata sunt in æterna patria.

Fundamentorum, quæ in principio dicit in genere ornata esse omni lapide precioso. Deinde speciatim recitat gẽmas preciosissimas. Christo fundamento salutis nostræ nihil est preciosius, nihil præstantius. Ponit ordine lapides duodecim, ita vt intelligamus non vnam tãtum gemmam collocatam esse, sed seriem ex vna specie tanta longitudine, quanta fuit in latere quadraturæ & per consequens, deinde similiter per omnes quadraturæ partes. Primus proinde ordo positus est lapis Iaspis, id est, in primo fundamenti loco Iaspides positi sunt suo ordine. Deinde in secunda serie Iaspidibus impositi sunt Saphiri per vniuersum spacium tanta longitudine quanta fundamentum fuit. Ita consequenter reliquæ sunt gemmæ impositæ.

Portarum: fuerunt enim ex solidis & singulis margaritis. Porta cœli Christus est, & Ianitores cœli Apostoli: preciosissimæ sunt, ergo portæ & firmissimæ.

Plateæ: platea enim instrata est auro, & pellucido. Nihil enim inuenitur in cœlis molestiæ, nihil obscuritatis.

Qui nã sint huius ciuitatis ciues: Gentes videlicet seruatæ: id est, quos redemit Christus à peccato, morte, diabolo. Item Reges pij, ac Doctores qui gloriã suã, id est, ipsas gẽtes, quas rexerũt disciplina & verbo, ducẽt secũ in cœlũ. Immundos, id est, fornicarios, idololatras, impostores, &c. non introire in regiam.

De secunda parte Visionis septimæ, ex cap. 21. & 22.

CONCLVSIO doctrinę de vita beata, quæ mẽbris decem absoluitur.

Quòd in cœlo Templum non est: Deum enim facie ad faciem videbimus.

Quòd ciuitas Dei luminaribus nihil indidigeat: nam gloria Dei illuminauit eam. Gloria est splendor lucis eius inaccessæ, quam ipse inhabitat, electis autem pro bona sua voluntate communicat, ac Christus illuminat beatos.

Quòd habeat fluuium aquæ vitæ, quæ potantes conseruet in vita. Ostendit & fluuij huius originem, deriuans ipsum ex Throno Dei. Significatur his ex solo Deo proficisci vitam, quam suis cultoribus in patria beata conferat.

Quòd habeat lignum vitæ, collocatum in medio plateæ vrbis, & ex vtraque parte fluminis. Significatur his, communem & expositum esse cibum non reclusum aut paucis destinatum. Viuificam verò vim haurit ex flumine quod oritur ex Throno. Nam vita illa cœlestis ex Deo est, defluitque in omnes eius electos. Ostenditur etiam qualis illius fuerit fructus: fructificat annuatim duodecies, primitiæ hominibus sunt in delicijs. Ergo in beata illa patria nihil erit ingratum, aut vlla parte respuendum, sed omnia erunt suauissima. Iam etiam folia non negligit, vsumque eorum ostendit: Seruiunt, inquit, medicinæ ac sanitati Gentium: id est, sanitate perpetua vsuri sunt beati.

Nulla erit hic, & seq. Vide literam A.

A. Nulla erit hic maledictio, neq; bellum, neque fames, neque morbi, neque quicquam tale quod à Mose inter maledictiones recensetur, Deuter. 28.
Thronus Dei & Agni erit in Ciuitate: id est, regnum Dei erit ibi, regnabitq; Deus, & omnis benedictio in electis.
In Ciuitate illa serui Dei perpetuò illi seruient, colent ipsum, odorando, laudando, glorificandoq; in secula.
In regia illa Sancti faciem Dei videbunt. Nam pleno oculo plenam Dei gloriam tum primum videbunt Sancti, quando liberati à miseria, & à corruptione purgati, etiam corpore fuerint glorificati, tum demum videbimus eum sicut est.
In regia illa habebunt fideles nomen Dei in frontibus suis: quia in patria illa manifestè patebit omnibus qui sunt filij Dei.
Fideles ibi regnabunt in secula seculorum.

TERTIA PARS HVIVS LIBRI.

Conclusio, ex capite vltimo.

CONCLVSIO libri absoluitur locis sexdecim.

Grauis est asseueratio, vera, firma, & indubitata esse ea, quæ hactenus dixit, aut scripsit.
Repetit quis sit huius operis author, & quomodo sibi sint reuelata ista omnia.
Colligit summam eorum quæ hactenus tractauit. Continentur ea duobus maximè capitibus. Continet enim hic liber Ecclesiæ fata à temporibus Apostolorum ad finem vsque seculi. Deinde compræhendit quæ pertinent ad Iudicium ipsum, ad quod ita veniet celeriter, vt impij nihil expectârint minùs.
Complectitur quam vtilitatem expectabunt serui Dei ex hoc libro: Beatus, inquit, qui custodit verba Prophetiæ libri huius.
Repetit & inculcat nomen suum, & se esse oculatum & auritum testem, cui tutò credatur, sic vult huic libro parare authoritatem.
Quid ipsi iterum euenerit cum Angelo reuelanti ipsi grandia hæc mysteria: Veluti enim prioris rei oblitus, propter Angeli præstantiam, aliquem certè ei cultum voluit impendere. Ita enim nobis promittimus plus quàm deceat, maximè erga personas præstantiores.
Præcipitur Ioanni ne librum hunc obsignet, sed vulget, nullo hominum habito respectu: liber enim hic omnibus patere debet.
Inculcanda esse huius libri omnia & audientibus & non audientibus. Erunt sanè iniusti innumeri, qui effrenes pergent in suis iniquitatibus. Verùm erunt & iusti, qui & ipsi in omni iusticia perseueranda, crescent in sanctis virtutibus.
Colligit, quæ docuit de futuro Iudicio & de præmijs piorum, impiorumque supplicijs. Vbi ostendit qualis, quomodo, & in quem finem Christus venturus sit. Canes vocat Gentiles, Pseudoprophetas, impudentes, voraces, inexplebiles, iracundos, sæuos, crudeles, sacrorum contemptores, fœdos, impuros absque pœnitentia.
Ostenditur author huius operis Iesus Christus, & quantus hic sit. Vbi & modus reuelationis repetitur. Misit enim Angelum suum qui hæc ex Christo, & nomine Christi aperuit. Finis quoque missionis Angeli aut reuelationis indicatur, vt testificaretur hæc in Ecclesijs. Ostenditur etiam quis & quãtus sit Christus, & quidem parabolis & allusionibus propter euidentiam. Appellatur enim Radix Dauid, & Stella splendida.
Desiderium Ecclesiæ, optantis Christi aduentum, exponitur. Spiritum autem illos nominat, qui spiritualibus nuptijs habiti digni sunt. Sponsam Ecclesiam appellat.
Promissionem habet amplam & consolationem: Qui sitit veniat, &c.
Decernitur pœna in contemptores & corruptores libri huius. Addit autem & detrahit qui inserit aliquid alienum à genuino sensu, & ab his, quæ à Domino disertè sunt posita.
Signatur subscriptione huius libri authoritas: sequitur enim, Dicit qui testimonium perhibet istorum. Subscriptio est Ioannis. Solent enim Notarij vel Secretarij Principum sub finem literarum Regalium aut Imperialium suum nomen subsignare.
Inducitur ipse Dominus loquens, & promittens certò se venturum ad Iudicium ad redimendos glorificandosq; pios, & ad puniendos impios. Subiungit mox fidem ac votum & ingens desiderium Ioannis, adeoq; fidelis Ecclesiæ, aut cuiuslibet pij, promissioni se subdentis, ac dicentis AMEN, Etiam: id est, certissimum esse agnoscimus & indubitatum, quod te promittis venturum.
Imprecatur pro more Apostolico gratiam Domini Iesu Christi omnibus huius libri auditoribus & lectoribus.

FINIS APOCALYPSIS.